
Parallelum
OLIVÆ,
Nec Non
OLIVARII
Sereniſſimi,
Celsiſſimi,
Potentiſſimiquè
ANGLIÆ,
Scotiæ, Hyberniæq;
Dei Gratiâ
PROTECTORIS
etc.
Studiò et Expenſis
D. Ludovici de Gand
Domini de Brachey,
et De Romecour.
Londini ex Typographiâ
R. G. 1656.
G: Faithorne fec:

CUm *SERENISSIME, CELSISSIMEQUE PRINCEPS, juvenilis olim ardor ad utriusque* Naturæ, *tùm* Mundanæ, *tùm* Cœlestis *arcana perscrutanda insanienti quôdam studiô, ut* Græcè *loquar* ἐρωτομανῶς, *me penè totum abripuisset; In* Alexandri Nepotis *librum incidi, ubi quarumdam in* Orientis *lucô meminit arborum, quæ non secus ac statua* Memnonis *primô* Solis *afflatu percussæ, mirandas* Oraculorum *voces per totam circumquaque funderent viciniam. Cujus tàm prodigiosæ rei veritatem exploraturus* Alexander *ille* Macedo, *dictum adiit lucum, quô in locô animadvertit magnô suô, circunstantiumquè amicorum stupore, ubiprimùm* Sol *radiis summum perstrinxisset arborum, quòd illæ solverentur actutùm in voces, & in* Oracula.

L. Alex. Nep.

Sal. an. mundi 2438.

Hieron. Interp. Euseb. Chron. 1.

Suid. in Memn. Philostrat. in Memnon. temp.

Illuc ut ingenuè fatear, ante menses aliquot bonus me tulit indequè retulit Genius: *Ubi* Fatidicam *ostendit* Olivam, *quæ teipsum* Olivari, *tùm mirandas dotes tuas, cognatasquè sibi tecum proprietates continuò decantaret, tibiquè tanta tribueret, quanta post hominum memoriam nulli* Monarchæ *tribuit unquam temporum testis* Historia.

Hæc igitur ſic aperta mihi, ſilentii tenebris ſi vellem operta, non ſolùm in ANGLIAM, *in quâ tandiu honorificè dego, ſed etiam in te potiſſimùm* SERENISSIME, CELSISSIMEQVE PRINCEPS, *grandi crimine, & quidem meritò reus agerer, tibi multâ dantaxat obſtrictus humanitate.*

Quamobrem Olivæ *profectò* Cœleſtis Oracula, *quæ de te* Olivari *ſunt omnia, quemadmodum in ſubjectô ſchemate videre potes, non* Angliæ *modò, ſed orbis etiam univerſi cultoribus hôc in* Olivæ *tecum parallelô patefacere, apud me ratum eſt, fixum, decretum, atque immobile.*

Lerin. in Pſal. *Et quandoquidem arboris* Olivariæ *ſuavis ac ſalubris eſt umbra, indequè ex* Strabone *plurimi degant in domibus* Aſiatici, *quarum tecta ſint intertexta frondibus*

Strabo in Geograph. l. 16 Olivarum φυλλάσι ἐλάιης, *propterea ſpero quòd opuſculum hoc de te meum, mequè ipſum ramorum tuorum umbrâ gaudere permittes, cùm tibi ſim totus ex animô*

SERENISSIME, CELSISSIMEQUE PRINCEPS

Servus Addictiſſimus

LUDOVICUS DE GAND DE BRACHEY.



Archontas summos inter fœlicés OLIVÆ,
Primus OLIVARI *nomen et omen habes.*

G: Faithorne fec

OLIVARIVS PRIMVS

W. Faithorne fec:

QUamvis Medicorum ſine controverſiâ princeps *Galenus* in eâ ſit hæreſi, ut multò majori ſtudiô, curâq; res ipſas, quàm nomina indagare, ſcrutarivè conveniat; tamen cùm rerum ipſarum intelligentiam aſſequi ſine nominibus, quarum ſint ipſa vicaria, & ex Logicorum opinione, pro quibus ſupponantur, omninò ſit ἀδύνατον: Propterea nominum æquè ac rerum rationem ſapientiæ ſtudioſus habeat neceſſe eſt. Nihil enim aliud eſt nomen, ſi Grammaticis eſt habenda fides aliqua, niſi novimen, quod illius notitiam in animis noſtris ingeneret, ad quam ſignificandam fuit inſtitutum. Unde communi fertur adagiô, *rebus imponere nomina prudentis eſſe*, propter varias cum rebus ipſis convenientias, relationes, proprietates. Ex quibus neceſſariò fit, quòd humaniorum literarum candidati in enodandis, enucleandis, explicandiſquè nominibus ſedulam collocare debeant induſtriam, ſine quibus res ipſæ, ne noſci quidem, tantùm abeſt ut perfectè queant agnoſci. Si præſertim ex *Plotinô* Platonicô ſuperioribus addas, eſſe nomina, tùm claves, tùm currus eſſentiarum, ὀνόματα τῆς οὐσίας, ut ad rem noſtram aptiſſimè *Garaſſus* ait, quibus & rerum nobis aperiantur portæ, & ad noſtros intellectus eorumdem eſſentiæ, nec non proprietates

Galen c.1. de optim. conſtitu. corpor.

Scaliger de origin. lib. 76.

Garaſ. ſum. Theol. l. 3. tract. 2. ſect. 1.

tates advehantur. Quæ cùm ita conſtent, conſtare debet pariter, quòd ea nomina, quæ ad plures, majores, nobilioreſquè nos ducunt intelligentias, majus requirant ſtudium, majorem attentionem, intentionemque in iis, ut par eſt conſiderandis, majorem.

Inter Dynaſtas autem omnes, ſupremoſquè principes, quorum ſolis de nominibus agere mihi nunc eſt animus, inter illos inquam omnes, quantumvis per ſpatium præteriti temporis omnibus retrò ſeculis omnia de iiſdem antiquitatis percurrasmonumenta, neminem illos inter poſt hominum memoriam reperias, qui tantô, tam ſignificanti, tam ſpecioſô, tam honorificô, tam glorioſô, tam heroicô, tam penè Divinô dixi nomine gaviſus ſit, quantô decoratur OLIVARIUS Primus. Nec eſt quòd mihi quiſquam *Achillis* ad inſtar hìc opponat, ſuperba, vana, ampullata Principum antiquorum nomina, qualia ſunt Βασιλεῖς Βασιλέων, Reges Regum, quô nomine principes olim *Parthorum* utebantur, ut teſtantur *Suetonius, Plutarchus, Dion, Alexander Neapolitanus*; *Ægyptiorum*, referente *Diodoro*; *Græcorum*, imitatus *Homerum Strabo*; *Armeniorum*, de quibus *Plutarchus*. Ut ſileam *Aſſyrios, Perſas, Palæologos, Otthomannos*, nominis ejuſdem omnes participes. Huc accedit quod de *Sapore Perſarum* rege narrant *Julius Capitolinus, Tribellius Pollio, Marcellinus*, ſic enim illum ad *Conſtantium* imperatorem ſcripſiſſe produnt, *Rex Regum* Sapor, *particeps ſiderum, frater Solis & Lunæ*, Conſtantio *fratri meo ſalutem plurimam. Otthomannorum* evolve chronica, reperies illìc antiquos olim orientis imperatores, *Palæologos* duntaxat, dictos Βασιλεῖς Βασιλέων Βασιλεύοντες Βασιλευόντων, Reges Regum, Regentes Reges. Ibidem intuere tabellam unius ex *Otthomannis* cum epigraphê, Selim Otthomannus *Rex Regum, Dominus omnium Dominorum, Princeps omnium Principum, filius & nepos Dei.* Quæ omnia Dynaſtarum antiquorum nomina, innumeraquè ſimilia multis ſuperat paraſangis Principis OLIVARII nomen, quod eſt nominum omnium Principum, Dynaſtarumquè breviarium, compendium, epitome, quemadmodum hôc in opuſculô ſine ullâ dubitatione lectori benevolo patebit inferiùs.

Suetan. in Caligul. Plutarch in Pomp. Dion in Aug. Alex. Neapol. l. 1. c. 28 Diod. lib. 1. Strab. l. 11, & 13 Hurt. in Lucul. Marcell. l. 17. Baudier in hiſt. Turcar. Marcel. l. 17. Baudier hiſt. Turcar.

Unde ad hanc uſque diem nemini gentis ullius Monarchæ, OLIVARII nomine gaudere divina permiſit Providentia, & ex conſequenti omni ratione primus eſt OLIVARIUS. Quòd ſi mihi fidem habere nolis humaniſſime lector, conſule ſi videbitur omnes Hiſtoricos, Geographos, Chronologos, antiquitatis teſtes omnes; Percurre omnia orbis imperia; Viſe *Aſſyrios, Perſas, Macedonas, Romanos*, ſi Monarchas eorum inter, OLIVARIUM vel unum reperias, inſcitiæ me condemnem; neque tibi hoc unum ſufficiat, ſed perlege diligenter catalogum Supremorum Principum diverſarum nationum, hos inter ne tibi quidem unus apparebit OLIVARIUS. Nam apud *Hebræos, Ægyptios, Sicyonios, Argivos, Lacedæmonas, Athenienſes, Latinos, Trojanos, Syros, Medos, Lydos, Parthos, Armenios, Tyrios*, cæteros, quantum memoriâ repetere poſſum ſpatium præteriti temporis, nemo Dynaſta viſus eſt OLIVARIUS. In *Galliâ* certus ſum, neminem offendes OLIVARIUM, in *Angliâ, Scotiâ, Hiberniâ*, præter hunc noſtrum, neminem; Neminem in *Hiſpaniâ, Germaniâ, Sueciâ, Daniâ, Poloniâ, Turciâ, Tartariâ, Ruſſiâ, Perſiâ, Egyptô, Æthiopiâ, Indiis, Chinâ, Japoniâ.*

Ne tibi moveam ſtomachum, aut bilem excitem, amice lector, quæſo teipſum tandem aliquando collige, neque efferveſcas animô, ſed tuam ipſius rationem auſcultes, undenam amabo te profectum arbitraris, ut tam innumeros inter Dynaſtas, qui omnibus retrò ſeculis, in tam multis orbis partibus extitêre, nemo fuerit OLIVARIUS? Id crede mihi, quod ſuperiùs obiter

attigi,

attigi, à divinâ factum Providentiâ nemo niſi mente captus revocabit unquam in dubium. Quemadmodum enim divina Providentia hunc regit orbem, atque per ipſam regentes orbem regnant, quibus & ipſamet impartiatur ſceptra, quod ſapienter agnovit *Sueciæ* Rex *Ericus* decimus quartus per ſceptrum decidens è nubibus, quod habuit in inſigne, cum epigraphê DEUS DAT CUI VULT; Sic procul dubiô certiſſimum eſt, quòd illis, quos excellenti quâdam nec ratione vulgari ad ſupremas Deus evehit dignitates, quòd illis inquam nomen rebus ipſis conſentaneum, quas per eoſdem intendit, plerumque communicare ſolet. Typot. ſymbo. reg. Suec.

Enimvero ut ex *Cypriano* ad rem noſtram appoſitè admodum annuit eruditionis nequaquam vulgaris quidam neothericus, cùm liberis ſuis imponere nomina parentes, vel ex præteritô vel ex præſenti tantummodò ſoleant, nequaquam autem, quia futuri ſolus Deus præſcius eſt, ex eventu futurô; Propterea ſoli Deo convenit ab iis quæ ſunt eventura, parentibus mortalibuſquè cæteris incognita, ponere nomen. Unde fit ut immediatè ab ipſômet Deô, vel mediantibus parentibus, non per ipſos quidem, ſed per divinam inſtigationem talia deſignari nomina ſit evidens. Idcirco cum in adultis eventus nominibus reſpondentes animadvertimus, id quidem caſu fortuitô reſpectu parentum, non verò Dei, in quem fortuitum cadere nullum poteſt accidere credimus, atque adeò conſequenter cum judiciô, ratione, ſapientiâquè manifeſtè colligimus quemlibet adultum, cujus nomini reſpondent effectus, fuiſſe divinitùs appellatum. Quam in ratiocinationem & ſi nihil, quod ego ſciam, rationabiliter objici poſſit: Eandem tamen, cùm magni ſit ea roboris, atque ad inſtitutum noſtrum plurimâ polleat authoritate, nonnullis, petitis ex ſacris codicibus, exemplis confirmabo. Polymnemon Magir.

Quòd igitur aliquando Deus per ſeipſum nomen iis imponat, quod effectibus, eventuiquè futuro conveniat, patet in filiô *Thare*, cui Deus, *Appellaberis* Abraham, *quia patrem multarum gentium conſtitui te, faciamquè te creſcere vehementiſſimè, & ponam te in gentibus, Regeſquè ex te egredientur.* Quô quid clarius, quid aptius, quid validius ad theſeos noſtræ roborationem adduci poſſit, non video. Proferam nihilominus alterum ejuſdem authoritatis exemplum, dixit olim *David* filio, quem ex *Bethſabeâ* conjuge ſuſceperat, *fili mi, voluntatis meæ fuit ut ædificarem domum nomini Domini Dei mei, ſed factus eſt ſermo Domini ad me dicens, multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti, non poteris ædificare domum nomini meo, tantô effuſô ſanguine coram me, filius qui naſcetur tibi erit vir quietiſſimus, faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum, & eam ob rem pacificus* (Salomon duntaxat) *vocabitur, & pacem, & otium dabo in* Iſrael *omnibus diebus ejus.* Vides utrôque hôc in exemplô quì Deus immediatè per ſeipſum utrumque ſuprà relatum futuris eventibus conforme nomen imponat. Gen. 17. 1 Par. 22.

Atque hæc quidem quoad primam poſitionis meæ partem dicta ſufficiant, reſtat altera, quòd ſcilicet mediantibus parentibus vel quibuſlibet aliis, non ex ſeipſis tamen, ſed per Divinam motionem, impulſionemquè, nominibus eventui futuro proportionatis liberos ipſorum notet Deus, duobus ſimiliter, quibus præterquam ☞ inficias ire nemo poteſt, illuſtratur exemplis. Ac primum quidem petitur à ſupra nominatô *Tharè*. Quid quæſo rationis bone vir habuiſti ut Primogenitum *Abram*, hoc eſt patrem excelſum appellares? Unde noveras quod filius hic tuus futurus erat pater excelſus, & ſic excelſus, ut eum totus ſuſpiceret orbis? Non aliunde certè reſpondere poteſt, humane lector, quam ab inſpiratione divinâ, quæ tali nomine ſignandi filii ſui mentem eidem injecerat. Gen. 11.

Alterum exemplum, quod ad rem eandem ſubjungo, te profectò lector, quicunque ſis, in maximam rapere debet admirationem, immò ſtuporem. Ducitur autem ab *Iſaiâ*, ubi habetur, *hæc dicit Dominus Chriſto meo* Cyro, *egò Dominus qui voco nomen tuum, vocavi te nomine tuo*: quæ nominis appellatio & Prophetia de *Cyrô Perſarum* Rege, quam integram in *Iſaiâ* videre potes, edita eſt ante *Cyri* ætatem, ut refert *Joſephus* in antiquitatibus *Judaicis*, ducentis & decem annis, *Cyrumquè* ipſum hâc *Iſaiæ* Prophetiâ lectâ animatum, *Babylonem* invaſiſſe.

Iſa. 45.

Herodot. in Cli. ſeu. l. 1.

Jam verò quis illis, qui primi *Cyri* nomen appellarunt, mentem eam indidit, ut ſic eum nominarent? Certè ex ejus vitâ, quam hiſtoriæ parens narrat *Herodotus*, divinam in hujus nominis per homines neſcio quos impoſitionem agnoſcere nullô negotiô quivis clariſſimè poteſt. Igitur animadverte quì futuris eventibus *Cyri* nomen aptè quadret, ait enim *Plutarchus*, κῦρον καλεῖν πέρσας τὸν ἥλιον, à *Perſis Cyrum* nuncupari ſolem. Ille enim quaſi novus ſol ſedentibus in tenebris afflictionis & captivitatis *Hebræis* affulſit, atque reges inter gentium effulſit tùm ſapientiâ, tùm juſtitiâ, tùm temperantiâ, tùm magnitudine animi, tùm liberalitate, tùm virtutibus regiis omnibus, tùm ſummi principis ſummis dotibus, quas omnes ejuſdem encomiaſtes *Xenophon* juſtô volumine proſecutus eſt. Porro *Cyrus* in linguâ ſanctâ *Meſiam*, unctum Dei, ſalvatorem, liberatorem ſignificat, ut ejuſdem *Iſaiæ* volunt interpretes. Atque hinc etiam nomini reſpondet effectus, *Judæos* enim à miſerô captivitatis *Babylonicæ* jugô in ſupradictæ, quam huic oſtenderant prophetiæ gratiam, vel potiùs imperante Deô liberavit. Ut autem quod à mê poſitum eſt magìs ac magìs eluceat, ſtat aliquid ab *Herodotô* breviter huc referre, ut videamus quam fortuitò putarent homines *Cyro* nomen inditum eſſe. Rex *Medorum Aſtyages*, formâ nobilem, nubilem filiam nomine *Mandanen* habuit, quæ viſa eſt huic per ſomnium mingens tantam urinæ copiam effundere, ut non modò ipſius urbem, ſed totum *Aſiaticum* orbem inundaret, cujus viſi per ſomniorum interpretes expoſitio, tantô percuſſit eum terrore, ut filiam ſuam à *Medorum* nemine duci voluerit, ſed eandem exotico *Perſæ* cuidam *Cambiſi* copulatam in *Perſidem* amandarit. Porro eôdem annô quô ducta fuerat atque adeò abducta, vidit idem in ſomnis *Aſtyages* ex *Mandanê* filiâ, quæ totam occuparet *Aſiam*, vitem enaſci, cui per id conjectores innuerunt fore, ut filiæ ſuæ proles in regis imperium ſufficeretur, quô auditô, ex *Perſide* prægnantem accerſit illicò filiam *Aſtyages*, atque ubi peperit, filium ex eâ natum ſtatim *Harpago* familiari, ſuorumquè exercituum præfecto tradidit occidendum. At magni martiiquè animi vir, generoſas, victrices, ſemperquè glorioſas manus infantis ignobili cæde contaminare ſe ratus indignum, hanc *Aſtyagis* bubulco legat provinciam, ut regis de mandatô expoſitum in remotiori monte quôpiam infantem inediâ conficeret. Dum ea geruntur, parit bubulci conjux ſed abortivum, mortuumquè filium? Quid multa, in demortui locum ſufficitur *Mandanes* natus, atque per decennium integrum non niſi bubulci filius agnoſcitur. Atenim à quibuſnam *Cyri* nomen habuit? Tu quiſquis hæc tam ſtudioſè quæris, tu ipſe videris, volunt enim aliqui *Cyrum* ab uxore bubulci nominatum, quæ quia *Medorum* linguâ *Canis* appellabatur, hinc datus eſt fabulæ locus, *Cyrum* expoſitum educatum à cane fuiſſe.

Plutarch. in Artaxer.

Xenoph in Cyropæd.

Herodot. Clio ſeu. l. 1.

Quæ cùm ita ſint, quis non meridianâ luce clariùs animadvertat, *Cyri* parentes, ſive bubulcos, ſive quoſlibet alios, non ex ſè, ſed ex inſtigatione Dei *Cyro* nomen impoſuiſſe. Sed quorſum ad iſtas ineptias abis inquies? Quid actum agis? Ecquis eſt adeò projectæ frontis & audaciæ, aut tam

mentis

mentis inops, qui vel in ſuſpicionem revocare audeat, à Deô, vel per ſe immediatè, vel mediantibus aliis, propter eventus longè poſtea futuros plurimis imponi nomina. Quid tùm? Quid inde in OLIVARII Primi gratiam inferre potes? Sit ita, concedamus quod negari non poteſt. *Plurimis igitur Deus ipſemet ob futurum eventum nemini præterquàm ſibi ipſi cognitum nomen indidit.* Concedo. *Ergo etiam* OLIVARIO *Primo.* Nego conſequentiam, *nam hoc in orthodoxâ logicâ ratione nullâ poſſit inferri, ex puris enim aliquot particularibus nihil unquam rectè colligas.* Certè nequaquam ex particularibus ſtabilire conor aſſertionem meam, ſed cùm reperiam in OLIVARIO rationem univerſalem demonſtrativam eandem à priori, propter quam ſupradictos compellavit Deus; quidni & OLIVARIUM à Deô tali nomine ſignatum inferam? Præterea cùm duæ ſint apud eruditos omnes rerum probandarum rationes, quæ propter evidentiam demonſtrationes appellentur, altera à priori, de quâ ſuprà, altera à poſteriori validiſſima quidem, utiliſſimaquè in ſcientiis probandi ratio, quâ per effectus ad infallibilem cauſarum notitiam devenire ſolemus: Siquidem manifeſtum eſt à Deô futuris eventibus proportionata dari nomina, per quos eventus, cùm adſunt, nominum talium authorem Deum ſolum agnoſcimus, quidni audacter in conſpectu totius orbis affirmem, à Divinâ Providentiâ non modò perſonam OLIVARII regendæ protegendæquè datam *Angliæ*, ſed ipſummet eam ob rem OLIVARII nomen eidem perſonæ conceſſum, quia, qui vix in animos noſtros cadere potuiſſent anteà, plurimi, ſupra nobiliſſimos, eventus, effectus pluſquàm heroici, caſus extraordinarii, miranda facinora, ſtupendaquè, penitùs quippe quæ vires hominum ordinarias ſuperent, quæ inquam omnia mortalium ab ullô nunquam prævisa, in OLIVARII tamen *Dei gratiâ* primi nomine, jam tùm in ipſius infantiâ incluſa, atque involuta continebantur, quæ tandem aperta nobis, explicataquè tanta prodierunt in lucem, ut principum aliorum omnium res geſtas longè ſuperare videantur. Unde nemini protectò mirum videri debet, ſi quemadmodum *Oleum* liquoribus omnibus, ſic OLIVARII nomen Dynaſtarum aliorum nominibus omnibus ſuperius exiſtat.

Quamobrem cùm OLIVARIUS adjectivè pertineat ad OLIVAM, ſubſtantivè verò ſit eadem arbor, ſi quæ tribuuntur OLIVÆ, OLIVARIO primo ineſſe reapſe demonſtremus, enimvero Deô juvante ſequentibus OLIVÆ ramis demonſtrabimus, nonne quod à nobis initiò verè poſitum eſt, exitu fœlici concludi mentis compos lector arbitrabitur? Nonne deniq; pedibus in eandem nobiſcum veniens ſententiam, quod olim populo Dei Propheta *Jeremias*, verè dicet OLIVARIO? *OLIVAM UBEREM, PULCHRAM, FRUCTIFERAM, SPECIÓSAM VOCAVIT DOMINUS NOMEN TUUM.*

Columel. l. 12. cap. 7.

Jerem. 11.



UT autem ordine ſervatô, vitatâq; confuſione, propoſita ſuperiùs facilè probare, demonſtrarequè poſſimus evidenter, ordiri præſtat à *PACE*, ſiquidem præfert atque adeò profert eandem hic prior *Oleæ* ramus. Igitur à *PACE* ductô principiô; Nulla gens eſt tàm inculta, tamquè barbara, nulla natio tàm ab omni prorſus humanitatis ſenſu deſtituta, nulli populi tàm feroces, tamq; ab hôc ſole noſtrô remoti, ad quos vel rudis *OLIVÆ* notitia pervenerit aliquando, qui non eam *PACIS Hieroglyphicum* fuerint arbitrati. Atque ut à verô ſermo meus abhorrere nequaquam tibi videatur, amice lector, audi fidelem antiquitatis eâ de re teſtem *Polybium*. Hic enim refert quòd *Annibali Afrorum* barbarorum exercitus imperatori, dum irrumperet is in *Italiam*, quòd inquam *Allobroges*, *Annibali* viribus inferiores, cum OLIVÆ ramis coroniſquè proceſſerint obviàm, θάλλας ἔχοντες καὶ στεφάνους, additquè ſuprà laudatus author ejuſmodi facti rationem, quòd inquit ferè ubique vel apud barbaros hoc PACIS, & amicitiæ ſignum eſſet. τοῦτο γὰρ σχεδὸν πᾶσι τοῖς βαρβάροις ἐστὶ σύνθημα φιλίας. Cujus rei rationem quærens ingeniorum aquila doctus *Auguſtinus*, ait non intellectu facile quì ramulus *Oleæ PACEM* ſemper denotet, niſi quia novimus & olei lenem contactum non facilè alió humore corrumpi, & arborem ipſam frondere perenniter.

Polyb. hiſtor. l. 3.

Auguſtin. de doctrin. chriſt. l. 2.

Equidem tàm conſtantis, atque ubique ferè gentium receptæ conſuetudinis, niſi ab inſtitutione divinâ in ipſô primordiô renaſcentis, reſurgentis, aut potiùs emergentis ex inundatione generali terrarum orbis aliunde cauſam repetendam non cenſeo. Cùm enim *Noacus* dimiſiſſet *Columbam* ex arcâ, *illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum* OLIVÆ *virentibus foliis in ore ſuo*. Unde vir ſapiens, *intellexit quòd ceſſaſſent aquæ diluvii ſuper terram*, cujus loci omnes in univerſum interpretes, ut privati neminis mentionem ego faciam, aiunt *Columbam* per *Oleæ* ramum, & *PACEM*, & reconciliationem orbi à Deô detuliſſe. Ex quô *Hieroglyphicorum* collector veriſſimum hunc, parùm elegantem licet, verſum condidit.

Gen. 8.

Pier. Hieroglyph. ſecundor. l. 5.

Ore columba Oleæ *fert ramum inſignia* PACIS.

Atenim inquies, ubinam & undenam tunc hâc in orbis conditione folium OLIVÆ *columba* reperit? πόθεν εὗρε τὸ φύλλον τῆς ἐλαίας? Huic objectioni jam-

jampridem is, cui non vulgaris eloquentia nomen indidit, abundè satisfecit, dum ait, dispensatione divinâ totum illud accidisse, τὸ μὲν πᾶν ἐγίνετο τῆς τοῦ θεοῦ οἰκονομίας, quod ad præsens institutum satis erit, quandoquidem hoc à nobis in cœlesti ramo fusiùs disputatum invenies. Chrysost. hom. 26. in Gen.

Jam verò quòd sit Oliva ubique ferè locorum Pacis symbolum, hinc factū autumo, quòd *Sem*, *Cham*, & *Japhet*, *Noaci* filii, ex quibus propagatio totius humani generis orta est, testes oculati misericordiæ divinæ, reconciliationisquè *PACIFICÆ* Dei cum orbe terrarum, per ramusculum *Oleæ* duntaxat suis liberis idem significarint, hiquè suis pariter, sicquè deinceps, unde factum, ut, cùm per totum terrarum orbem homines essent diffusi, hæc ad illos opinio per continuam generationum successionem dimanarit. Adde, quòd *Ethnicorum* plurimi sapientes cùm *Mosis* libros evolvissent, evolverunt autem, ut literatis omnibus patet, hoc etiam aliis communicarint, ut nihil dicam idem à *Judæis Israelitisquè* ipsis ubique divulgatum. Quocirca nemini mirum videri debet si narret *Plutarchus*, *columbam* ex arcâ *Deucalionis* emissam, indicium attulisse recedentis diluvii, unde præterea patet diluvium, *Deucalionis* inundationem illam, quâ olim *Græcia*, *Italiaquè* vastata, atque *Atlanta* insula absorpta est, nequaquam intelligi, sed universalem, qui *Noaci* temporibus extitit, orbis totius Cataclysmum. Plutarch. lib. de solertia Animal. Lucian. lib. de Syria. Dea.

Huc accedit, quòd *Cecrope* regnante post diluvium *Atticum*, in *Atticæ* metropolis arce primùm nata sit *Olea*, ἐν τῇ ἀκροπόλει ἐλαία πρῶτον ἐφύη. Quod accidisse vult *Eusebius* in *Attâ*, quæ nunc *Attica*, in urbe *Cecropiâ*, quæ nunc *Athenæ*, adannum *Abrahami* quadringentesimum sexagesimum. Quemadmodum autem post universale diluvium prima quæ visa est Oliva apud eos omnes, qui verò fidei lumine collustrati sunt, ad hodiernum usque diem Pacis indicium fuit, sic post diluvium hoc *Atticum*, sive *Deucalionis*, prima quæ apparuit Oliva, iis omnibus quibus hoc innotuit, quibusquè solum naturæ lumen præluxit, Pacis *Hieroglyphicum* semper est habita, quod videre est in omnibus ferè scriptoribus *Ethnicis*, qui licet omnes propter repentinam hujus *Oleæ* productionem in varias abierint opiniones, omnes tamen, nemine refragante, Pacis eandem symbolum esse consentiunt. Apud autorem λόγων περὶ γεωργίας annotatum est, terram initiò fuisse aquis obrutam, emersissequè primùm *Atticam*, cujus amore ducti *Neptunus* & *Minerva* de civitatis constituendæ nomine litem apud *Jovem* intenderint, *Joviquè* placitū id illius arbitratui permitti, qui optimum humano generi munus obtulisset. Hinc portubus, & navalibus adornatam urbem à *Neptunô*, in acropoli verò productam *Oleam* à *Minervâ*, propter quam victrix *Neptuni Pallas* extitit, unde postea victores oleagineis usos coronis memoriæ proditum est. Immò hanc ad rem *Ethnicorum* historicorum antiquissimus refert, *Athenis* in acropoli fuisse templum, in quô viseretur *Olea*, marequè, ἐλαίη καὶ θάλασσα, in testimonium *Neptuno* & *Minervæ*, quòd hâc de regione decertassent. Quin & naturæ docet historicus, *Athenis* ætate suâ, quam *Pallas* in dictô certamine produxisset, Olivam adhuc eandem superfuisse. Accedit eodem quòd ille, qui tanquam Philosophorum Deus habitus est, *Atticam* præ cæteris orbis regionibus jactabundus similibus extollit verbis, est inquit *Attica* non solum nobis, sed omnibus hominibus celebranda, cùm aliis multis de causis, tùm ex hôc præcipuè, quia diis chariſſima est, quod testatur deorum de hâc inter se concertatio, & judicium, μαρτυρεῖ δὲ ἡμῶν τῷ λόγῳ ἡ τῶν περὶ αὐτῆς θεῶν ἔρις καὶ κρίσις. Ad hæc *Franciscus Sylvius Ambianus* ex *Augustinô*, hic ex *Varrone* sequentia notat, *quoniam in agrô* Atticô *apparuisset subitò* Olivæ *arbor*, *illicquè aquæ magna vis erupisset*, *regem* Cecropem *prodigia ista movcrunt*. *Itaque misit ad* Apollinem Delphicum *sciscitatum quid intelligendum*, Lib. 3. Herodot. in Uran. Plin. l. 16. c. 44 Plato in Menexeno.

Franciſcus Sylvius Ambianus commentar. in orat. Iul. pro Flac.

gendum, quidvè faciendum eſſet, ille reſpondit quòd olea Minervam *ſignificaret, aquâ* Neptunum, *& quòd eſſet in civium poteſtate, cujus ex nomine potius duorum Deorum, quorum ſigna illa eſſent, civitas vocaretur. Hôc oraculo acceptô* Cecrops *cives omnes utriuſque ſexus ad ferendum ſuffragium convocavit, is enim mos tùm iiſdem in locis fuit, ut etiam fœminæ publicis conſultationibus intereſſent, conſultâ igitur multitudine, mares pro* Neptunô, *fœminæ pro* Minervâ *tulêre ſententias, & quia plus unâ inventa fœminarum eſt,* Minerva *vicit, ſuumque nomen urbi dedit, ea enim Græcè* ΑΘΗΝΗ *dicitur. Iratus tùm* Neptunus, *æſtuantibus marinis fluctibus* Athenienſium *agros populatus eſt. Ejus iracundia ut placaretur ab* Athenienſibus, *mulieres punitione triplici ſunt affectæ, ut nulla imposterum ferret ſuffragia,*

Gyra'd Hiſtor. Deor. ſyntagmat. 1.

ut nullus filiorum maternum nomen acciperet, ut ne quis eas Athenæas *appellaret,* hæc ille. Jam vero cùm referat *Gyraldus* ex *Plinîô*, quòd hôc de *Neptuni Palladiſquè* certamine, non modò utraque hiſtoria, ſed & *Muſæ* tùm *Græcæ* tùm *Latinæ* plurima prodiderint, propterea ſtat etiam de eôdem à Poëtis aliquid decerpere, quod, multorum ex ipſis opinione, ſic initum referunt *Higinus, Serviuſquè. Minervam* ſcilicet cum *Neptunô*, de nomine *Cecropis* urbi ponendô contendiſſe, atque inter eos ita demum ex Deorum placitô conveniſſe, ut is nominaret urbem, qui melius & utilius humano generi munus ediditſſet, tuncquè à *Neptunô* productum equum, *Oleam* à *Minervâ*; Quid multa? Adjudicatam *Minervæ* victoriam, quæ ſuô de nomine civitatem *ATHENAS* appellavit. Hinc Poëta *Latinus* obiter.

Higin. Poetic. c. 16.

Servius in 1. Georg.

Virgil. Georg. l. 1.

-- O cui prima frementem
Fudit equum magnô tellus percuſſa tridenti
Neptune.

-- Oleæquè Minerva
Inventrix

Sed unus pro mille ſit tibi *Pelignus* vates, apud quem videre poteris *Palladem* eandem, certamen idem acu doctiſſimâ depingentem.

Ovid Metam. l. 6.

Cecropiâ Pallas *ſcopulum* Mavortis *in arce*
Pingit, & antiquam de terræ nomine litem,
Bis ſex Cæleſtes, mediô Jove *ſedibus altis*
Auguſtâ gravitate ſedent, ſua quemque Deorum
Inſcribit facies, Jovis *eſt regalis imago,*
Stare Deum Pelagi, *longoquè ferire tridente*
Aſpera ſaxa facit, mediôquè è vulnere ſaxi
Exiluiſſe fretum, quô pignore vindicet urbem,
At ſibi dat clipeum, dat acutæ cuſpidis haſtam,
Dat galeam capiti, defenditur Ægide pectus,
Percuſſamquè ſuâ ſimulat de cuſpide terram
Edere cum baccis fœtum canentis Olivæ,
Mirariquè Deos, operis victoria finis.

Finis igitur ut huic tam memorando tamquè longo certamini tandem imponatur, conſtat ex *Hieroglyphicorum* interpretibus hôc in certamine *Oleam* ideò prælatam ab omnibus, atque ab omnibus in orbe totô pronunciatum à *Palladé*, quia *PACIS* indicium haberetur Oliva, *PACEM* verò bonorum omnium opulentiam, & ubertatem ſecum afferre nullibi gentium revocatum eſt unquam in dubium. Et licet bellorum Dea ſit *Minerva*, huic tamen aſſignatur *Olea, quòd hæc ſit arbor* PACIS *ſymbolum, nam & ideo arma dicuntur inferri, ut poſtea vivatur in Pace.* Ut ut ſe res habeat, vult cum multis aliis *Diodorus, Minervæ* tributam educendi primùm olei rationem; cùm enim ante *Palladis* ætatem lignis fuiſſet immiſta ſylveſtribus *Olea*, conſequenterquè nullus tùm

Pier Hieregl. l. 53. c. 15.

Gyrald. Hiſt. Deor. Syntagmat. 11.

Diodor. Sicul. bibliothec. hiſtor. l. 6.

eſſet

eſſet uſus olei, minimè notâ mortalibus hâc arbore, *Minervam* eandem divinos in inventi gratiam olei conſecutam honores, tradit *Stephanus*, *Oleam* verò, ex quâ *PACIS* tempore maxima caperetur utilitas, in *PACIS* indicium, notam inſigne σύμβολον, æternumquè monimentum conceſſiſſe. Stephan: Hiſt. Geogra: dict:

Quæ cùm ita ſe res habeat, per mihi mirum jam nullâ ratione videtur, ſi æquè primariò ferè nomen *Oleæ PACEM*, ac *Oliviferam* arborem apud innumeros rerum memorabilium ſcriptores ſignificet, conciliandæquè *PACIS* divinam quodammodò vim habeat. Poſſem ego ſexcentos eâ de re graves & idoneos authores proferre, ſed ne longiùs hic ramus extendatur, nonnullorum nunc temporis teſtimonium ſatis erit. Quamobrem audi qui ſe primus offert *Maronem*, dum ad *Arcadem* regem *Evandrum* navigantes *Trojanos* exhibet, cùm enim in illos irruerent *Arcades* armati, Virgil. Æneid. lib. 8.

Tùm pater Æneas *puppi ſic fatur ab altâ*,
PACIFIRÆQUE *manu ramum prætendit* OLIVÆ.

PACEM igitur ſecum fert OLIVA, ita ut *Oleæ* fructus ipſa quodammodò *PAX* habeatur. Vide rurſus apud Poetam eundem miſſos ab *Æneâ Latinum* ad regem Legatos.

Tùm ſatus Anchiſâ *delectos ordine ab omni*
Centum Oratores auguſta ad mœnia Regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis *omnes.* Idem Æneid. lib 7.

Hoc eſt ex interpretibus, *gerentes ramos Oleæ* PACIFERÆ, *cujus inventrix eſt* Pallas. Auſculta *Mantuanum*.

Vimina PACIFICÆ *per templa ligantur* OLIVÆ.

Ex quô vides, quod OLIVA *PACIFICA*, *PACEM* duntaxat faciens, atque adeò in templis, per quod Poeta ſapiens innuit, *PACEM* hominum cum Deô, tanquam OLIVÆ fructum eſſe. Dicam hìc quod mireris amice lector, evolve ſacros quantumlibet codices omnes, nunquam reperies ullam *PACIFICAM* hoſtiam oblatam Deo fuiſſe, niſi certa determinataquè de arboribus OLIVARUM eidem adhiberetur olei menſura. Quòd quia tractatur à nobis paulò fuſiùs in ramô religioni ſacrô, pluribus ob id hìc eâ de re loqui, ut in inſtitutô progrediamur, ſuperſedebimus. Itaque diligenter attende quid acutiſſimus pariter atque doctiſſimus *Romanus* eques ad rem eandem habeat.

Adjuvat in bellô PACATUS *ramus* OLIVÆ. Ovid l. 1. de Ponto Elegia 4.

Ramus *Oleæ* pacatus, quietus, mitis, tranquillus, in bellô ferô, atroci, truculentô, adjuvat inquit, quia *Pacatus*, quippe qui bellicô in certamine ubiprimùm exhibetur, deponendorum armorum, hoſtilitatiſquè omnis abjiciendæ, componendæquè *PACIS* illicò vim habeat. Mirare apud *Statium* quì navalis eaquè acerrima, crudeliſſimaquè pugna, horribili ſævâquè tempeſtate comitata, confeſtim *Oleæ* prolatô ramô, non ſolùm ceſſarit, ſed, O Divinam *Oleæ PACIFICÆ* vim, etiam tempeſtas ipſa validiſſima licet, continuò poſuerit.

Donec ab extremô cuneô ratis Æſone *natus*
Palladios *Oleæ* Mopſi *geſtamina ramos* Statius Thebaid. lib. 5.
Extulit, & ſocium turbâ prohibente popoſcit
Fœdera, præcipites vocem involvêre procellæ.
Tunc modus armorum, pariterquè exhauſta quierunt
Flamina, confuſôquè dies reſpexit Olympô.

Quô quid admirabilius, quid potentius, quid divinius hâc in rerum univerſitate reperiri poſſit, equidem non habeo. Neque eſt quòd opponas has eſſe Poëticas fictiones, atque ex fictionibus Poetam à *Grecis* appellatum, ποιήτην ἀπὸ τοῦ ποιεῖν, unde

--*Picto-*

Horatius de arte Poetic.

-- *Pictoribus atque Poetis*
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Ne inquam hoc objicias, nam ut à Poetis nihil dicam, qui tamen ſuas in veritate fundare ſolent fictiones, viri multi omni ſcientiarum genere nobilitati, immò & Philoſophorum principes contendunt, & nos pariter ex illis in *Oleæ* ramô fortitudinem exhibente, ſedari tempeſtates *Oleâ*, tàm verum eſſe, quàm quod veriſſimum. Porro in hominum animis ſic altas egit olim radices hæc explorata perpetuæ conciliandæ *PACIS* concordiæquè vis & poteſtas *Oleæ*, ut illi, cùm maximè neceſſariam in matrimoniô *PACEM* & concordiam judicarent, propterea ſtatuerint in connubiis, dum primô celebrarentur *Olearum* plurimum uſum eſſe, unde *CONNUBIALIS* arbor dicta eſt *Olea* quòd diem connubii, inquit *Sidonius*,

Lorin. in Pſal.

Sidonius in Epiſtola Polemii & Araneolæ.

PACIS *ſimul arbor, & juventæ,*
Æternumquè virens OLIVA *ſignat.*

Pluribus abſtineo, lector benevole, ut tibi coronidis locô ſive præmii, quô tuam in legendis parùm terſis, veris tamen ſcriptionibus meis, patientiam remunerer, mercedis inquam ergo tres trium imperatorum, nec adulterinos, ſed probatos pretioſoſquè nummos impertiar. Primus eſt *Veſpaſiani*, cujus in mediô videtur *Olea* cum epigraphê, *PAX AUGUSTI*; Alter *Maximiliani* cum *Oleæ* ramô, nec non epigrammate ſuperiori; Tertius *Severi Pii*, in quô ramus eſt *Oleæ* cum lemmate, *FUNDATORI PACIS*, quos dum conſiderabis, inquè tuos recondes uſus amice lector, interea

Valerian. Hieroglyph. lib 15. Idem ibid. l. 53.



AUguſtiſſimus *Britannicæ PACIS* fundator nobis adeundus eſt. Si verum enim eſt quòd Deus, poſtquam terra tota fuit aquarum alluvionibus obruta, ut *PACEM*, & reconciliationem ſibi cum orbe ſignificaret, huic primam dederit OLIVAM, ſic pariter verum eſt, quòd poſtquam diutinum ſanguinis diluvium, quô per tàm multos inundavit annos *Anglia*, quòd inquam Deus idem, quô ſe reconciliatum huic nationi, *PACATUMQUE* demonſtraret, *Anglis* pro ſuâ in illos clementiâ primum condonarit OLIVARIUM. Quemadmodum enim à nobis ſuprà veriſſimè probata fuit *PACIS* ſymbolum vel effectrix OLIVA, ſic nobis probandum hìc ſimiliter incumbit, OLIVARIUM *PACIS* effectorem

effectorem, & ex conſequenti *PACIFICUM*, atque in hôc Olivæ, ne dicam eâ ſuperiorem, ſimillimum.

Enimvero ut aggrediar, quid per Deum immortalem *PAX* eſt, niſi finis belli? Hoc qui vel tantillô, pueri ad inſtar, rationis uſu præditus eſt agnoſcit, nemoquè quod ſciam revocavit unquam in dubium. Quamobrem cùm bellis plurimis, quorum ipſe nequaquam fuerat author, finem, at huic Nationi glorioſum, necnon utilem impoſuerit Olivarius, nullumquè bellum, quod multum admirationis habet, fuerit unquam ipſemet aggreſſus, nonne *PACIFICUM* Olivarium jure meritô niſi laudum Olivarii ſupra modum invidus *Anglus* arbitrabitur? Arbitrabitur ſine dubiô cùm recolet, quod tota novit *Anglia*, quodquè eſt in omnium ore, nuper ab Olivario tot hoſtiles numeroſiſſimoſquè exiguâ militum manu tàm ſæpè, tamquè diverſis in *Angliæ* locis diſperſos, debilitatos, fractos, profligatos, perditos exercitus eſſe, unde victoriæ plurimæ natæ ſint, unde ſumma quies, placidiſſima tranquillitas, optatiſſima demum *PAX Angliæ* conſecuta fuerit. Nonne *Cambrobritannico* tandem bello finem ſic impoſuit, ut cùm hic principatus à mortalium nemine fuiſſet unquam anteà perfectè ſubactus, eum tamen in poteſtatem ſuam abſolutè redegerit? Quid? Nonne celeritate maximâ bella multa ſedavit, in *Hybernià* rebelli confecit, penitùs extinxit Olivarius. Nunquid ter quaterquè cæſis valentiſſimis *Scotorum* exercitibus, dirutis illorum fortalitiis propugnaculiſquè, captis urbibus & emporiis munitiſſimis, *Scotiam* univerſam novimus ab Olivario poſt hominum memoriam ſolô debellatam, pacatam, *Angliæ* junctam. Quis eſt, amabo te lector benevole, qui *Luſitanis* jampridem indictum à comitiis *Angliæ* bellum, ſuſceptum, inflammatum extinxit? Nunquid Olivarius?

Et quandoquidem mari me credidi, nonne tanquam Oliva ſedandi furibundi maris poteſtatem habet Olivarius? Sciunt omnes quantas in Oceanô procellas excitarint, quanta cauſarint naufragia, quantas ediderint calamitates *Bativica* bella, navaleſquè *Batavorum* pugnæ. Num Olivarii ſolum nomen velut *Oleum* in turbulentiſſimas vehementiſſimaſquè tempeſtates iſtas effuſum, mari tranquillitatem, ſerenitatem cœlo, *Anglis PACATUM*, liberumquè commercium reddidit? Num utiliſſimam glorioſiſſimamque *Britannis PACEM* dictis bellis, quæ non inchoarat finem imponendo comparavit Olivarius? Quid, num à *Danis* nil niſi minas ſpirantibus detentas onerarias *Anglorum* naves, cum ſuis armamentariis mercibuſquè omnibus reddi coegit Olivarius? Num furibundas *Danorum Batavis* junctorum compeſcuit iras? Num tandem eoſdem ad *PACEM* atque ad amicitiam cum ſuis nationibus attraxit Olivarius? Quid dicam de *Suecis*, num bellum ab illis, ut arbitrabantur omnes, illic in *Angliam* conceptum, antequam naſceretur, ſuppreſſit Olivarius? Gentemquè fortiſſimam ad amicitiam, concordiam, *PACEMQUE Britannis* adjunxit. Denique nunquid nationis iſtius mercatoriis navibus periculoſum, infeſtumquè *fretum Gaditanum*, marequè Mediterraneum, *Turcicis* Barbariſquè prædonibus liberavit Olivarius?

His adde, quòd nulla ferè gens exiſtat vel ab hôc ſole remotiſſima, quæ non amicitiam expetat Olivarii? Quid enim aliud iſti quos *Londini* ſingulis diebus conſpicimus, loquuntur tàm innumeri *Legati*, *Reſidentes*, *Agentes*, *Miſſi* variis ab orbis partibus ad Olivarium?

Quibus omnibus ita breviter conſideratis, ecquis eſt adeò ſtolidus, bardus, ſtupidus, hebes, *Arcadicus*, mentis inops, vel à ſenſu rationis abſtractus, qui non animadvertat jure meritiſſimô *PACIFICUM* Olivarium eſſe, Olivariumque *PACIFCUM*, hoc eſt incluſam in Olivarii nomine

PA-

PACEM huic belliſſimè, aptiſſimequè convenire, longequè meliùs illi, juſtiuſquè quàm antiquitatis Monarcharum ulli, nullô prorſùs excepto, *PACIFICI* nomen adaptari.

Ut autem huic aſſertioni meæ fides fiat exemplis, duo ſolummodò proferam, quibus ſanæ mentis inficias ire nemo queat. Alterum deſumetur à *Carolô Magnô rege Chriſtianiſſimô*, ſic ab *Hieroſolymitanô Patriarchâ*, qui ſe, locaquè ſancta *Caroli* protectioni, tutelæquè commiſerat, primùm appellatô. Quod *Chriſtianiſſimi* nomen *Carolus, Franciæquè* Reges ſucceſſores ipſius ſuis in titulis honorificis deinceps retinuêre. Cùm igitur *Romæ Carolus* eſſet annô Chriſti octingenteſimô primô, ab *Romanô Pontifice Leone* tertiô, in templô *divi Petri* coronatus eſt occidentis imperator, ipſômet *Leone*, Clerô, populôq; *Romanô*, ter hæc verba proclamante, *CAROLO AUGUSTO DEI CORONATO, MAGNO IMPERATORI, ET PACIFICO, SIT LONGA VITA, ET VICTORIA.* Jam ad rem, undenam factum eſt ut *Carolus Magnus* à *Romanis* ter *PACIFICUS* acclametur? Quia ſine dubiô liberaverat illos ab oppreſſione *Longobardorum*, eorumdemquè Monarchiæ *Romanis* ſemper infeſtæ, poſteaquàm ducentis viguiſſet annis in *Italiâ*, finem impoſuerat, victô igitur, captô, atque in exilium ultimô *Longobardorum* rege *Deſiderio*, ſeu potiùs in carcerem *Leodium* amandatô, proclamatus eſt *Carolus PACIFICUS*, hoc eſt *PACEM* faciens εἰρηνόποιος. Quòd ſi *PACIFICUS* dictus eſt tantus imperator, quia degere pacificè *Romanis* dederit. Quid dicendum de Olivario, Qui non uni urbi, ſed orbi terrarum *PACEM* effecerit, in *Angliâ* videlicet, *Cambriâ*, *Scotiâ*, *Hyberniâ*, *Bataviâ*, *Daniâ*, *Sueciâ*, *Luſitaniâ*, atque in omni mari navigabili. Atenim inquies, *Carolus Magnus* multis impoſuit bellis finem: Ergo *PACIFICUS* etiam eâ ratione debet appellari. Iſtud nequaquam annuendum cenſeo: Alioquin *Alexander Macedo*, *Pyrrhus*, & ambitioſiſſimus quivis princeps, qui totum bellis infeſtet orbem, *PACIFICUS* meritò diceretur, cùm bellis plurimis finem imponat. Illum igitur *PACIFICUM* appello propriè, qui non quærat ipſe bella, belliquè occaſiones, leviſſimâ quavis de cauſâ indicat, ſuſcipiat, alat, excitet, inflammet, propter ambitionem, magnitudinemquè, prætextu quôvis acquirendam. Quod in Olivarium ratione nullâ cadere poteſt: Nullius enim bellorum ſuperiorum author, cauſa, fons, origo, principium, vel occaſio fuit Olivarius, ſed electus, & ab ipſômet Deô datus *Angliæ*, qui tàm multorum bellorum incendia, quibus hæc miſeranda natio dudum abſumebatur, tandem aliquando reſtingueret.

Annonius in ſupplement ſuarum Hiſtor. ad annum Chriſti 800.

Waſbourg Antiq: Galliæ belgicæ, lib: 3.

Annales omnes Franciæ.

Ad alterum illius, qui vel ab ipſômet Deô, glorioſô *PACIFICI* nomine decoratus eſt, *Salomonis* videlicet exemplum accedo: teneoquè firmiter, accuratequè defendo, ut breviter quid ſentiam aperiam, *Salomonem* ipſum non tàm meritò quàm Olivarium *PACIFICUM* dicendum eſſe. Atque hoc vel inde patet, quòd *PACIFICUS* eum propriè ſignificet, qui faciat activè *PACEM*, *PACEM* procuret. Quam autem publicam PACEM fecit, procuravit, vel compoſuit *Salomon*, niſi tributarios ſibi faciendo terræ promiſſionis reſiduos, qui necdum ab *Hebræis* fuiſſent anteà ſubjugati? Audi quid patri *Salomonis Davidi* loquatur Deus ipſemet. *Filius quinaſcetur tibi, erit vir quietiſſimus, faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum, & ob hanc cauſam PACIFICUS vocabitur, & PACEM & otium dabo in* Iſrael *cunctis diebus ejus.* Quia igitur in ditionis ſuæ terris, quietem, tranquillitatem, & *PACEM* habuit *Salomon*, non ex rigore, ſed ampliatâ nominis ſignificatione, *PACIFICUS* habitus eſt. At in propriô ſenſu, juxta veram, ſtrictamquè nominis *Etymologiam*, atque ad verbi rigorem,

1 Paral. c. 22.

ratione

ratione multiplicis ab ipſômet *PACIS* compoſitæ, *PACIFICI* nomen invenit Olivarius.

Atque ob id etiam *PACIFICI* nomen præcipuè meritus eſt, quòd militem ſuum ita continuerit in officiô, ut omnes agricolæ ab agris ſuô tempore colendis, vel fructibus decerpendis, proquè ſuô arbitratu vendendis, diſponendiſquè nunquam abſtinuerint, injuriam nemini prorſùs miles idem obtulerit, ſicquè ubique, tanquam nullus eſſet omninò belli rumor, *PACIFICE* degerit. In regionibus autem aliis milites ſuâ etiam in patriâ, in amicorum terris, in fœderatorum dominiis ita ſe gerunt, quaſi legiones *Dæmonum* ab inferis ipſis ad hominum ruinam, lanienam, & carnificinam eſſent emiſſæ. Vidi & obſtupui *Alemanniæ* milites, per animi recreationem, in miſeris ruſticis, vel ſuis etiam proſcindendis probantes gladios, fortitudinis ſuæ, viriumquè, in majoribus vulneribus infligendis, majoribuſquè vivorum corporum partibus amputandis, per jocum & cachinnos periculum facientes. Vidi & palis alligatos, ad quorum frontem mediam tanquam ad metam, globis plumbeis oneratas bombardas exploderent. Vidi parentum in oculis, ſine ullâ pugnâ præviâ, vivos in ignem infantes conjici, nec non horrendum in modum flammis abſumi. Vidi ſuſpenſos è caminis tandiu miſeros, quoad vel theſauros indicarent, vel ſuffocati fumô flammiſquè ſimul interirent. Vidi plurimos, quorum pedes, cruraquè titionum ad inſtar ignibus aptarentur, cumquè illorum pars una fuiſſet abſumpta, paulatim admoveretur altera, quoad petita pecuniarum vel ſumma concederetur, vel paulatim igne lentô conſumpti miſeri ruſtici perirent. Vidi reſupinorum jacentium, nudatorumquè ventribus prunas ardentes imponi, tùm ſcopulis abſtergi, novis ardentioribus appoſitis, quoad divitiarum repoſitorium indicaretur. Exoticorum militum ludus ſunt furta, rapinæ, raptus, incendia, pecudum, pecorumquè per malitiam occiſio, equorum ablatio, doliorum vini profuſio, agrorum vaſtatio, ædium everſio. Quæ omnia longequè plura in bellis *Lotharingicis*, maximô cùm animi mei dolore ſæpiùs animadverti. Hâc ratione tractantur à militibus non extraneis modô, ſed incolis earumdem omnes ferè totius orbis regiones. Unde nationum cæterarum penè omnium exercitus *Dæmonum* potiùs, quàm virorum exercitus quis rectè judicet.

Viſæ ſunt aliàs ex antris *Perigordiæ*, nonnullæ militum cohortes, quos ut arbitror *Infernus* evomuerat, quippequi ſe *DIABOLI* milites palam & apertè nominarent, quorum in ſignis omnibus, vexilliſquè militaribus eſſent depictæ variæ *Dæmonum* imagines. Quiquè per omnes caſus *DIABOLUM* declinare ſe profiterentur.

Si quæreres igitur ab illis, quiſnam illorum Dux eſſet? Quis Archiſtrategus? Quis Imperator? Reſpondebant. Hic Diabolus.
Cujuſnam eſſent illi milites? Hujus Diaboli.
Cui militarent? Cui ſervirent? Huic Diabolo.
Quem Dominum agnoſcerent? Quem colerent? Hunc Diabolum.
Quem ad auxilium ſuum tandem invocarent? O Diabole.
A quô dependerent? A quô ſtipendium acciperent? A Diabolô.
Quonam demum proficiſcerentur? Ad omnes Diabolos.

Arnold. de Feron. in continuat. Pauli Æmilii.

O furorem pluſquàm belluinum militum exterarum nationum! Quem qui peregrinati ſunt, vel cum illis meruerunt, ſatis agnoſcunt.

Non ita *Milites* Olivarii, nec mirum, nam ſunt Olivarii *Milites PACIFICI* videlicet, quos ſic in militari diſciplinâ coercuit, ut bellum *Anglicum*, ſi paganos ruſticoſquè ſpectes, ſit *florum* ad inſtar, *Roſarum*, *Liliorum*, *Violarum*, bellorum exterorum habitâ ratione. Imperator enim Olivarius à

quò tales decerpſêre *flores Angli*, ſine ullâ mutatione *VIOLARIUS* eſt. Propterea quaſi *Ver* in *Angliam*, à quâ per ſuperiorum bellorum *Hyemem* diutinam, horroremquè continuum penè totum exularat, denuò revocavit, atque per innumeros lætitiæ, odoriſquè *ſuaviſſimi flores* totam recreavit *Angliam*.

Quamobrem non tantùm *PACIFICUS* OLIVARIUS eſt, qui tàm multis bellis, quæ nunquam inchoarat, finem impoſuit, ſed etiam, quia ſuos ita continuit *Milites*, ut eò tempore, quò præfuit, non bellum, ſed *PACEM* hôc in orbe dixiſſes, ita ut per ipſum in illis jamtùm *Anglia* reſtaurata, conſervataquè videretur, quæ nunc ab eôdem habeat cumulatiſſima perfectiſſimaquè. Eam ob rem per te mihi liceat *Anglia*, hìc OLIVARIO *Nummum* excudere, quemadmodum *Adriano*, qui poſtmodum fuit Imperator, in gratitudinem *PACIS* per illum obtentæ quondam fecit *Hiſpania*. Hôc enim in Nummô videtur adhuc ſimulachrum *Hiſpaniæ* demiſſô genu, lævâ tenens *Oleæ* ramum, dextrâ manum *Adriani* prehendens cum Epigraphê, *RESTITUTORI HISPANIÆ*, triaquè diverſa fuerunt ab *Hiſpanis* in honorem *Adriani* cum *Oleæ* ramis cuſa *Numiſmata*, quibus hunc *PACIFICUM PACISQUE* reſtitutorem, *Hiſpaniæquè* conſequenter inſtauratorem agnoſceret. Hoc æquiori jure debes OLIVARIO *Britannia*. Hunc itaque gratitudinis ergo *PACIFICÆ* ramum *Oleæ* profer OLIVARIO, atque in æternum *PACIS* tibi per illum comparatæ monumentum tuis in *Numinis* poſthâc incidi teipſam cum OLIVARIO jube, ramum huic offerentem OLIVÆ, cum hâc vel ſimili Epigraphê, *RESTITUTORI ANGLIÆ, INSTAURATORI ANGLIÆ, FUNDATORI BRITANNICÆ PACIS* OLIVARIO.

Pier. l. 53. c. 3.

Ut autem meliùs agnoſcas *Anglia*, quantum tibi bonum contulerit OLIVARIUS cùm tibi *PACEM*, tequè *PACI* reddidit, huc diligenter animum adverte. Primùm nemo ſic tardus eſt ingeniò, ſic hebes, ſic rudis, ſic retuſus, qui *PACEM*, quietem, tranquillitatem, ab hoſtilibus armis ceſſationem, in bonis numerandam eſſe non cenſeat; Contrarium verò inter mala non numeret. Audi fidelem eâ de re teſtem, *Bonum eſſe* PACEM *apud omnes homines in confeſſô eſt, quibus paululum rationis exiſtat, ſi quis autem hanc turbare ſit inventus, malorum cauſa ſibi ac proximis fuerit.* Unde non mirum ſi nemo niſi delirus, maleſanus, demens, mente captus, nulliuſquè conſilii, cùm utiliter honorificequè *PACE* gaudere poteſt, bellum *PACI* præponendum arbitretur. Nec enim inquit hiſtoriæ parens, quiſpiam ſic amens eſt, ut bellum quàm PACEM præoptandum putet, nam quod contra naturam eſt, belli tempore parentes filios, at, ut inquit *Cræſus*, tempore *PACIS* filii parentes inhumare ſolent.

Procop. l. 1. de bello Perſic.

Herodot. lib. 1.

Eraſm. in Apophthg.

Hoc ſapientum in animis altas ſic egit tradices, ut nunquam ex illis avelli potuerit, opinati ſunt enim juſtiſſimum *bellum*, etiam iniquæ PACI poſtponendum, lege ſuper eâ re Conſulem *Romanum* ſapientiſſimum, virum maximè politicum, amantiſſimumquè Patriæ, PAX *vel injuſta, utilior eſt quàm juſtiſſimum* bellum *in civibus*. *Thucidides* autem nec minor eloquentiâ *Tullô*, quippe cujus opera ſcripſerit octies *Demoſthenes*; Nec eôdem inferior politiâ, quemadmodum ipſius ſcripta legenti patere poteſt, ait, PAX *tuta, cuivis bello etiam juſto eſt præferenda.* Addit *Philo*, PAX *vel cum magnô damnô conjuncta, melior eſt bellô.* Quòd ſi tibi PAX certa ſit, ſpereſquè ſolummodò victoriam, è præclariſſimis Imperatoribus, qui poſt homines natos unquam extiterint unus expertus tibi dicit *Annibal, melior, tutiorquè eſt certa* PAX, *quàm ſperata victoria*, victoriis enim omnibus, immò triumphis, ad quos non niſi per malorum *Iliadem* ullum evehi certum eſt, PAX ſanæ mentis hominibus antiquior ſemper eſſe debet.

Tul. l. 1. Epiſt. ad Attic. Epiſt. 13.

Julius Capitol.

Titus Liv. l. 30.

PAX

--Pax *optima rerum,*
Quas homini noviſſe datum eſt, Pax *una triumphis*
Innumeris potior.
Pax *ducibus bellô gloria major erit.*
Nulla ſalus bellô, Pacem *te poſcimus omnes.*

Silvius lib. 11.
Ovid. faſtor. 1.
Virg. Æneid. 11

Primum igitur, & præcipuum bonorum omnium, immò cæterorum fundamentum, baſis efficienſquè cauſa *PAX* eſt. *Primum bonorum omnium humanorum* Pax *eſt, & tranquillitas populorum, quam Principes in primis debent procurare.* Immò *PACEM* bonum unicum, vel omne temporale bonum *HEBRÆI* ſunt arbitrati. Unde ſalutationes illorum, fortuna proſperâ, fœlicitas, reliquæ, *PACIS* nomine ſemper æſtimabantur. *Davidem* audi. *Miſit decem juvenes, & dixit eis, aſcendite in* Carmelum, *& venietis ad* Nabal, *& ſalutabitis eum ex nomine meô* Pacifice, *& dicetis, ſit fratribus meis, & tibi* Pax, *& domui tuæ* Pax, *& omnibus quæcunque habes ſit* Pax. Audi *Chriſtum* ipſummet qui peculiari titulò dicitur ab *Iſaiâ PRINCEPS PACIS.* Poſtquam enim ille ſurrexit à mortuis, & ad ſuos acceſſit, ſic illos ſalutaſſe legitur, *PAX vobis:* Eundem auſculta cùm ſuos in orbem mittit diſcipulos. *In quamcunque domum ingreſſi fueritis, dicite primùm* Pax *huic domui.*

Natal. Comes hiſt. lib. 3.
Interp. Lu. 24
1 Reg. ſiv. Sam. c. 25.
Iſa. 9.
Luc. 24.
Joan. 21.

Neque hoc tantùm apud *Judæos*, ſed etiam apud exteras nationes uſitatum fuiſſe comperimus, nam ſcriptum eſt apud *Danielem* in epiſtolâ *Nabuchodonoſoris* regis *Aſſyriorum*, Nabuchodonozor *Rex omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in univerſâ terrâ,* Pax *vobis multiplicetur.* Item in epiſtolâ *Darii Medorum* regis, occupatâ *Babylone*, occiſôquè *Balthaſare*, ſic habetur. Darius *Rex, univerſis populis, tribubus, & linguis, habitantibus in univerſâ terrâ,* Pax *vobis multiplicetur.* In epiſtolâ verò potentiſſimi *Perſarum* Regis *Artaxerxis* ad ſuos in *Samariâ* præfectos præfatur *ſalutem & PACEM.* Denique reperimus apud *Eſdram* quòd *Perſarum* duces *Dario* ſcribentes, ſic ſuam inchoant epiſtolam, *Dario Regi PAX omnis.* Quin & ſalutationis iſtius non ignari fuêre *Latini*; Nam de *Trojanorum* reliquiis ait *Virgilius,*

Daniel 3.
Daniel 6.
Eſdras l. 1. c. 4.
Ibid. c. 5.

Si ſine Pace *tuâ, atque invitô Numine* Troes,
Italiam *petière, luant peccata, neque illos*
Juveris auxiliô.

Virg. Æneid. lib. 10.

Hoc eſt ſine tuâ ſalutatione, amicitiâ, invitatione, benedictione. Fuit & *Ægyptiorum* communis idem ſalutandi modus, *Ægyptius* enim, domus *Joſeph* Oeconomus, fratres illius, antequam eoſdem in heri ſui domum introduceret, ita ſalutaſſe legitur, *PAX vobiſcum.* Ut unô verbô complectar, apud gentiles omnes, ut probat doctiſſimè *Briſſonius*, in obviatione congreſſuquè quôlibet *PACEM* præfari mos fuit, meminiquè variis *Galliarum* in provinciis, cùm domum aliquam ingrediuntur, audire me plurimos eandem *PACIS* ſalutationem communiter uſurpare.

Gen. 43.

Magnam igitur in hominum æſtimatione, Deiquè *PACEM* eſſe tenendum eſt, quam qui repudiat, cùm eâdem glorioſè poſſit uti, fœlicitatem, benedictionem, maximum Dei donum conſequenter repudiat: Sibiquè ipſi certiſſimam demum creat perniciem. Cùm aliquando *Gentilium Chriſtianorumquè* gemini, verùm hoſtiles exercitus, poſt varias cum jacturâ non mediocri commiſſas utrinquè pugnas de *PACE* conſultarent, ſoluſquè gentilium repugnaret huic *Anteſignanus*, diceretquè ſe quandiu viveret ad mortem uſquè talem averſatum iri *PACEM*, πρόμαχ@ λέγων μὴ δώσω εἰρήνην ἄχρι θανάτου, accidit ut poſt conflictum, ſtupentibus utriuſquè partis omnibus, ſolus deſide-

Pallad. in hiſt. Lauſiaca c. 52.

ratus

ratus *PACIS* oſor ille fuerit. Neque enim dignus fuit ille vitâ, qui *PACIS* ſolumquè vitæ communis bonum averſaretur.

Philemon in Pyrrho.

Quærunt Philoſophi, inquit Philemon, *quid ſit BONUM, atque in diſputationum de BONO diverſitate multâ, multum temporis impendunt, ego verò licet ruſticus, nec diſputationibus id genus ullatenus aſſuetus, attamen quæ PACIS BONA ſunt inveni, nuptias, feſta, cognatos, liberos, amicos, divitias, ſanitatem, amorem, vinum, voluptatem, quæ PAX confert omnia, quæquè ſi defecerint, viventium vitam miſerè perire neceſſe eſt.* Unde veriſſimum eſt quòd *PAX* maxima quidem producat.

Bacchil. in Paanibus.

Τίκτει δέ τε θνατοῖσιν εἰρήνη μεγάλα.

Unde *PACIS* procuratorem, conſervatorem, fundatoremquè apud omnes, quibus eſt illius author, magnum eſſe convenit. Quocirca *Philippus* ille *Macedo*, quia *Phocenſi* bello, ſive ſacro finem impoſſuiſſet, & ex conſequenti

Diodor. lib. 16.

Græciæ PACEM reddidiſſet, communi *Græciæ* totius calculô *Græcorum Imperator* electus eſt. Huncquè præcipuæ *Græciæ* civitates coronis aureis, aliiſquè muneribus imperatoriis adornarunt. *Eamquè ſimiliter ob rem* Olivarius *ab omnibus* Angliæ *Civitatibus, LONDINENSI præſertim, Exercitibus, Furiſperitis, innumeriſquè Nobilibus, externiſquè Principibus omnibus ſupremus* Angliæ, Scotiæ, Hiberniæquè *moderator palam atque in conſpectu* Solis *hujus declaratus, proclamatus, acceptatus eſt.*

Anglici Regiminis inſtrum.

Atenim cùm ſit adeò *PACIFICUS* Olivarius, atque ſe *PACEM* cum vicinis Principibus, quantum rationabiliter fieri poſſit, conſervaturum in regiminis inſtrumentô jure jurando confirmarit, atque cum *Gallis, Suecis, Luſitanis, Danis, Batavis, Italiæ* Principibus ferè omnibus, immò cum *Otthomannis, PACEM*, amicitiam, fœduſquè contraxerit: *Quid* Pacifico *neceſſarius exercitus eſt?*

Carion: Chron. l. 11.

Immò neceſſarius eſt, quia (ut de *Hiſpanis* nihil dicam, qui ſe palam & ubique profitentur hoſtes *Angliæ*) poſt bella civilia, & inteſtina præſertim, ad retinendam *PACEM*, tranquillitatemquè conſervandam, magnâ & ſigulari quâdam potentiâ opus eſt. Nam cùm ſæpè domeſtica bella penitùs extincta putes, atque ne belli quidem ſuſpicionem, conjecturam, vel opinionem rationabiliter habere poſſis, videas de repentè ſubitoquè bellum vehementius, longequè quàm anteà periculoſius, propter inveteratum odium, quod cinerum ad inſtar tegebat ignem, ubique ſtatim inflammari. *Quod ſine dubiô nuper accidiſſet in* Angliâ *totâ, niſi fuiſſet* Olivarii *prudentiâ in Salisburienſi pugnâ præcautum.*

Adde quod tria regna ſtatum in unum tam noviter redacta, neceſſariò cuſtodibus, iiſquè numeroſis, propter multas graviſſimas, valentiſſimas, cuivis vel non ſtulto, vel non invido ſatis apertas rationes, indigeant. Sileo cujuſlibet Imperii Principatuſquè gloriam, honorem, robur ſemper ab armis paratum, & in procinctu poſtulare *Militem*, ne tandem fracta deliciis Imperia, debilitati luxu Principatus, vacillent, labent, corruant; Quod ut non accidat in Olivarii principatu, de quô ſequenti ramô pluribus, ſapienter admodum ab eôdem proviſum eſt.

Jam

JAmpridem in controverſiam, diſceptationemquè vocatum eſt, humane lector, quænam *Arbores* inter eſſet præſtantiſsima, quæ nobiliſsima, quæ cæterarum *PRINCEPS*, quæ regina. Multi qui colunt *Apollinem* Poëtarum, *Muſarumquè* præſidem, huic Deo ſacræ *Lauro* primas concedunt; Qui ſtant ab *Jove*, ſtant ab illius arbore *Quercu*: Alii quamplurimi pro variis certant *Arboribus*, & adhuc ſub judice lis eſt. Hanc, te favente, lector, dirimere, dequè eâdem ſumere te judicem ſtatutum ac deliberatum habeo, modò ſtes à jure, illudquè omne veritatis præſidiò ſtatuere nequaquam verearis. Atque ut ab *Jove* principium, conſtat quòd in OLIVÆ gratiam, contra cæterorum Deorum ſequentes *Arbores*, in ſupremâ cœli curiâ, unde nulla detur provocatio, jampridem ab illò pronunciatum eſt. Extat etiam nunc eâ de re perelegans, nec minus eruditè, quam ſapienter elucubratum emblema.

Phædr: lib. 3.

Olim quas vellent eſſe in tutelâ ſuâ
Divi legerunt Arbores, Quercus Jovi,
Et Myrtus Veneri *placuit*, Phœbo Laurea,
Pinus Cybele, Populus *celſa* Herculi.
Minerva *admirans quare ſteriles ſumerent*,
Interrogavit cauſam, dixit Jupiter,
Honore fructum ne videamur vendere;
At me herculè narrabit quod quis voluerit,
OLIVA *nobis propter fructus eſt gratior*:
Tunc ſic Deorum genitor, atque hominum ſator,
O nata, meritò ſapiens dicere omnibus,
Niſi utile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria.

Ergo jam habemus, quòd ſuperiorum omnium diis ſacrarum *Arborum*, ex decretò ſummi Deorum judicis, præſtantiſſima ſit OLIVA, nunc reliquum eſt, ut de aliis pariter nonnulla diſputemus. Ac primùm occurrunt maximam in legentium animis admirationem gignentes *Arbores* nonnullæ, quales in oriente ſunt *Arbores Solis & Lunæ*, quæ ad *Aſtrorum* illorum ortum in voces & in oracula, ad eorumdem defectionem, vel eclipſim, in lamenta & in lachrymas ſolvi continuò perhibentur: Quales ſunt *Dodonæi Jovis* fundentes ora-

Alexan. Nepos.

cula *Quercus*, ex quâ *Dodonæ* ſylvâ, quia navis *Argo* carina fuit extructa, illam propterea præſagam, garrulam, fatidicam, tota venerata eſt antiquitas, atque demum inter *Aſtra* cœlo donavit, unde prodigioſum ejuſdem ſilentium miratur *Seneca*, dum ait

Senec. in Medea in chor. act. 2.

Ipſaquè vocem
Perdidit Argo.

Lucian. lib. 2. veræ hiſt.

His adde *Plantas inſulæ Beatorum, ſive fortunatæ*, quarum dum levis ramos aura continuò movet, tota ſylva continuò modulatè canit, ſuaviſſimâq; velut ſymphoniâ ſemper demulcet aures audientium. Nec eſt prætermittenda *ſylva quæ ex Acciô* μέλος ad aures & cantum mellitum referre putatur.

Tullius l. 2. de natur. Deor.

Cùm autem ſimus in *Britanniâ*, nequaquam omittere debemus, quod *Clemens Alexandrinus* narrat ex iis, qui *Britannicas* ſcripſerunt hiſtorias; *Quòd, inquam, in* Sylvis *hìc nonnullis, dum folia ventô moventur, cantus editur avium cantui quàm ſimillimus.* Verumenimvero ut breviter & ſtrictim, quid eâ de re ſentiam, paucis aperiam, has omnes *Arbores* inter commentitia, *Apologos*, aniles fabulas, figmenta poetica, ſenumquè deliriationes adnumero. Neque ego pluris facio *Ramum Maronis aureum.*

Clem. Alexan. ſtromat lib. 6.

Virgil. Æneid. lib. 6.

--Latet arbore opacâ
Aureus, & foliis & lentô vimine ramus.

De quô fertur

--Primô avulſô non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallô.

Neque ſuperioribus æſtimatione digniores judicem *Atlantis aureas arbores*, de quibus *Ovidius*,

Ovid. Metam. lib. 4.

Arboreæ frondes aurô radiante nitentes,
Ex aurô ramos, ex aurô poma ferebant.

Item *mundi Lunaris arbores*, quem vel jocoſus fingit, vel probat *Lunaticus*, tanquam ex orbe ſpuriô rejiciendas arbitror. Qui enim hunc primi mundum excogitarunt, illìc aiunt homines eſſe, qui δενδρῖται vocentur, quique hôc modô naſcantur. Dextri virorum duntaxat teſticuli, in fœcundâ *Lunaris* orbis terrâ ſeruntur, ex quibus maximæ naſcuntur *Arbores*, ramis frondibuſquè plurimis adumbratæ, ferenteſquè pro fructibus, cubitalis magnitudinis glandes, ex quibus, cùm maturæ illæ fuerint, atque ab *Arboribus* decerptæ, homines tandem excludantur.

Lucian. lib. 1. veræ hiſtor.

Apage ſexcentas id genus ineptias, nunc gravibus ſeriiſquè de rebus agendum eſt. Atque priuſquam aggrediar, palam & apertè conteſtor, quòd nullô modô cupiam, ut aliquid hic mihi negotii faceſſant, quæ ante generalem orbis inundationem, poſt immediatam ejus à Deô creationem, in *Paradiſô terreſtri* fuerunt *Arbores*. Plures enim de illis, quàm de ſuperioribus extant nugæ. Quis enim non derideat quidquid ex *Arbore vitæ* fabulati ſunt poetæ, ex hâc enim illi confecêre ſuum *Nectar, Ambroſiam, Nepenthes, Moly*, cibum potionemquè Deorum, quibus reddantur *immortales, juvenes, ſemper læti, æternumquè beati?* Quis non explodat quod eâdem de plantâ ſomniarunt *Rabbini Judæorum?* Vult enim *Rabbi Simeon* cum aliis, *virgam illam quâ* Moſes & Aaron *tanta patrarunt miracula*, decerptam ex arbore quâpiam ſolitudinis, quæ creviſſet in deſertô ante generalem orbis inundationem, ex *Arboris vitæ ramô*, illìc à *Seth* conſitô, quem ab *Angelis*, miſereſcentibus hominum, accepiſſet, quamquè *Moſi* Deus oſtendiſſet, ex quâ dictam excidiſſet virgam: quæ propterea *virga Dei* diceretur.

A Lap. in c 2. Geneſ.

Galat. lib. 6. c. ult.

Annè ſapienti cuipiam probari poſſint ea, quæ de *arbore ſcientiæ boni & mali* perhibentur à *Judæis?* Dum aiunt *Adam* & *Evam* omni prorſus ratione deſtitutos,

Id. A Lap. l. b.

tutos, à Deô velut infantes creatos eſſe, verùm ex arbore ſupradictâ rationis uſum accepiſſe, cum evidenti boni maliquè ſcientiâ: Atque ut *Joſepho* permittam, hâc in arbore fuiſſe quandam vim eximiam acuendi ingenii, augendæquè prudentiæ, item *Damaſceno* concedam eſum fructus ejuſdem arboris peperiſſe homini cognitionem propriæ naturæ. Attamen nequaquam continere me poſſum, quin cum *Epiphaniô*, ſacrô percellam *Ophitas* anathemate, quippe qui pro *Chriſtô ſerpentem* coluerint, ſiquidem homini comparandæ ſcientiæ fuiſſet author, dum illi de ligni vetiti fructu comedere perſuaſiſſet. Abeant malam in crucem *Hebræi*, qui delirent ex hâc arbore, *Seth Angeli* juſſu ſemen accepiſſe, illudquè in os *Adami* jam inhumati inſeruiſſe, unde ſuccreverit *Arbor*, ex quâ *Chriſti Crux* facta fuerit, quæ peccatum *Adæ* prorſùs aboleverit; *Decuiſſe enim, ut eôdem in lignô quô peccaverat* Adam, Chriſtus Adæ *peccatum expiaret.*

Joſeph. Antiq. lib. 1.

Epiphan. Hæreſ. 37.

Pined lib. 5. de Salom. c. 14.

De iſtis inquam *Paradiſi* terreſtris arboribus, nulla mihi eſt diſputatio, cùm non conſtet an ſit, aut ubi ſit ille *Paradiſus*. Primùm enim putat *Origenes Paradiſum præter tertium cælum*, in quod raptus eſt *Apoſtolus*, omninò nullum unquam extitiſſe. Illìc *Arbores virtutes Angelicas eſſe*, Flumina *porro*, *aquas*, *quæ ſunt ſupra firmamentum.* Cui ſententiæ ſuffragatur aliquantulùm ille, cui mellei nectareique ſermones nomen indidêre. Deinde nonnulli *Paradiſum* hunc locum eſſe omninò ſecretum, elatumquè ad uſque *Lunæ* globum arbitrantur.

Origen. in c. 2. Geneſ.

Ambroſ. lib. de Parad.

Petrus Lumbardus Magiſter ſententiar. in 2. Diſtin. 17.

Ad extremum cenſet *Abulenſis* & *Alenſis hortum ſupradictum ultra mediam aëris regionem elevari*, ac proinde nuſquam illuc aquas *Diluvii* pertigiſſe. Denique *Doctor ipſemet Angelicus*, antequè illum *Tertullianus*, inquiunt à Deô zonam torridam, quæ ob nimium æſtum nobis ſit impervia, inter haſce regiones & *Paradiſum* interpoſitam eſſe. *Certè ſi graves hi* Theologi, *& ad quorum doctrinam orbis quodammodò ſtupet univerſus, Si nihil inquam ſolidius ſuis in ſcriptis nobis illi relinquiſſent, certè nihil eſſet cauſæ, cur tanti fierent ab omnibus, ſiquidem ipſorum* Pace *dixerim, rationi tàm parùm conſona de* Paradiſô *ſuis prodidêre monimentis.*

Thom. Aquin. Secunda, Secundæ, q. 165. Tertul. in Apolog.

Igitur ut paradiſiacas arbores, quas nullas jàm eſſe teneo, miſſas faciam, teſtor orbem univerſum, ne *Critico*, *Zoilo* vel *Momo* cuipiam mordendi præbeam anſam, quòd hìc mihi tantummodò ſermo ſit de illis, quas à diluviô viderunt homines, *arboribus.* Quas inter, *Oleam* primam, præcipuam, & ex conſequenti *PRINCIPEM*, quiſquis *Oleæ*, cæterarumquè *Arborum* vel rudem notionem habuit, extra controverſiam omnem ſemper opinatus eſt. Nam nulla gens eſt ab ingeniô tàm mediocriter inſtructa, cujus mentem non imbuerit ea Principatus opinio, ut primum, præcipuum, *PRINCIPEM*, unum & idem eſſe non ſibi ſemper ſuaſerit; Atque eam ob rem quiſquis ubivis gentium cæteris antecellit authoritate, quiquè primum dignitatis locum obtinet, *PRINCEPS* appellatur; Quemadmodum à Tulliô civitatis longè *PRINCEPS* dictus eſt Pompeius, ob id etiam cùm plurimi apud nos eſt aliquid, majorquè de illô quàm de cæteris æſtimatio, *PRINCIPIS* à nobis ſortitur illud appellationem, *PRINCIPEMQUE* locum apud nos tenere dicimus. Jam verò quòd omnium *Arborum* Oliva prima, & omni ratione præcipua ſit, præterquàm quòd id inficiatur nemo, ſed idem certatim affirmant omnes, hôcq; in opuſculô paſſim à nobis efficitur: Addam nihilominus ex *Aben-Ezrâ* in hunc *Salomonis* locum, *Theſaurus deſiderabilis*, *&* Oleum *in habitaculo juſti.* Ait igitur ſuprà laudatus *Rabbinus*, quòd Theſaurus *Otſur* ſit nomen genericum, univerſa præſtantiorum ciborum genera comprehendens, quæ ab omnibus ad humanos uſus, eſus præcipuè reponi ſolent, cùm autem Olivarum *Oleum* inter cætera primas obtineat, ſiquidem illô cultus divinus exhibetur,

A. Lap. in c. 21. Proverb. Salo.

propterea

propterea ſapiens, *Olei* ſolius de baccis OLIVARUM duntaxat, fecit mentionem, ad quæ ſubjungit doctus *SALOMONIS* interpres, *Mortales, inter* Arbores *cateras*, Oleæ *principatum tribuerunt, ob illius præſtantem pinguedinem.* Quamobrem, non ingenioſè modò, ſed ſcitè, ſapienterquè protulit *Joatham. Ierunt ligna ut ungerent ſuper ſe regem, dixeruntquè* OLIVÆ *impera nobis, quæ reſpondit, nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, quâ & Dii utuntur & homines, & venire ut inter ligna promovear?* Scitè inquam & ſapienter, ut aiunt ſacrarum paginarum interpretes, ab *Oleâ Joatham* duxit initium, cum *Olea* omnium Arborum prima, præcipua, *PRINCEPS*, atque adeò Regina ſemper fuerit habita.

Judic. cap. 9.

Quæ licet ad probandum in reliquas *Arbores Oleæ PRINCIPATUM* dicta ſufficiant, idem tamen inferiùs evidenti, eâquè ab utilitate OLIVÆ ductâ ratione, demonſtrabo. Atque utinam, lector benevole, cæteris ex *Arboribus* & emolumenti, & utilitatis fructum tantum haberemus, ut hæc nobis deliberatio difficilis eſſet, quamnam præ cæteris, ob illius utilitatem, præponendam putaremus. Nunc verò cùm ex OLIVA ſolâ fructus non paucos, neq; mediocres, ſed quàm ex *Arborum* quâlibet uberiores colligamus, quænam amabo te res eſt, quæ cujuſquam animum hâc in cauſâ dubium facere poſſit, de quâ apud antiquos nulla ſit controverſia. Ne mihi fidem adhibeas, humane lector, ſed authoritate venerandam antiquitatem conſule, quam quia hieroglyphicorum interpretes dicendo nobis meliùs adumbrant, eam ob rem unius omnium inſtar teſtimonium uſurpabo, qui poſteaquàm rationem indagavit, cur apud veteres *Jupiter, Oleâ* coronari ſolitus eſſet, atque ex *Phurnutô* cauſam iſtius rei protuliſſet, quòd in OLIVA priſci viriditatis perennitatem, & pinguedinis abundantiam animadvertiſſent, ſequentibus tandem verbis hanc concluſionem elicit. *Itaque Deum bonorum omnium authorem, fœcundiſſimâ, utiliſſimâquè omnium* Arbore *inſigniri placuit.* Cùm igitur extra omnem diſputationis aleam manifeſtum ſit, quòd aliis arboribus plures, commodiores, quiquè magis ad hominum uſus conducant, fructus generet OLIVA, ut in ramô fœlicitatem proferente pluribus aperimus, manifeſtum pariter eſſe debet, quòd *Arbores* inter, *Olea* certiſſimum teneat *PRINCIPATUM*, ſiquidem ex omnium publicô judiciô, communiquè conſenſu, in quô naturæ vox eſt, inquit *Romanus* Orator, *PRINCIPES*, atque adeò Reginas in artibus, rebuſquè cæteris vulgò dicere ſolemus eas, à quibus in humanos uſus commoda plura dimanant.

Pier Hieroglyph. lib. 53 c. 15.

Tul. 1. Tuſcul. quæſt.

Quæ cùm ita ſint, faceſſat hinc procul temulentus *Alcæus*, dum ait, μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλῳ, nullam aliam ſeveris *Arborem* priùs *vite*, faceſſat inquam, atque ex ipſius ſcriptis orbis totius judiciô, tantum, tàm temerarium, tàm falſum, tàm impudens, oblivione ſempiternâ deleatur mendacium, inquè locum illius ſufficiatur, veriſſimequè ſubſtituatur, μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἐλαίᾳ, nullam aliam arborem ſeveris priùs *Oleâ*. Quòd ſi verò præceps, & inconſideratum vitiô tribuitur *Alcæo* carmen, quidni meritis celebretur ille laudibus, cujus nomen propter acutiſſimum hoc, atque ad rem noſtram ſapienter accomodatum *Epigramma*, fortuna nobis invidit.

Fragment. Poetar. lyr.

Anthologia Græcorum.

Παλλαδὸς εἰμὶ φυτὸν βρομίου τί με θλίβετε κλῶνες ?
Αἴρετε τοὺς βότρυας, παρθένος οὐ μεθύω.

Palladis *ſum planta*, Bromii *quid me affligitis rami?*
Tollite uvas, ego virgo, *non* ebria *ſum.*

Neque enim rationi conſentaneum eſt, ut *PRINCEPS Arborum Olea*, ſapientiam, juſtitiam, puritatem, religionem, ſanctitatemquè deſignans, quemadmodum in ramis illas ferentibus videre potes, ut inquam *PRINCEPS Arborum*

borum ſit vilis, amentis, furioſæquè ad impuram libidinem *violentiæ*, abhorret inquam à ratione, ut *Olea* ſit *vitis* fulcrum, ſuſtentaculum, præſidium, incrementum.

Talia multa de induſtriâ prætermitto, finioquè *PRINCIPATUM* in *Arbores* Olivæ, ut tandem inchoem *PRINCIPATUM* in homines, quo jure gaudet



Ta jure, ab exercitibus videlicet, ab urbibus, civitatibuſquè Angliæ *celeberrimis: ab omnibus juſtitiæ moderatoribus: ab* Angliæ, Scotiæ, Hyberniæquè *Provinciis omnibus; ab ſupremis illarum Comitiis.* De quibus ſigillatim & ordine, poſteaquàm objectioni jam tùm ab initiò *PRINCIPATUS* Olivarii factæ, quâ labefactari quodammodò *PRINCIPATUS* idem rudioribus videbatur, cumulatè ſatisfecero.

Objiciunt igitur plurimi. Qui? Hebetes, ſtupidi, invidi, inſani, mente capti, perditiſſima populi, nec non infima fæx plebis, Eluvies *Angliæ*, imperiti, rudes, indoctiores ſue? *At quid objiciunt?* Olivarium *EX SANGUINE REGIO NON ORIUNDUM, ATQVE EX CONSEQVENTI AD TANTVM DIGNITATIS APICEM NEC APTVM, NEC EVEHENDVM.* O pecudum, non hominum voces? Quaſi verò ſint illi ſoli *Reges*, *Monarchæ*, *PRINCIPES*, qui ſint ab illis orti. Quòd ſi tu, quiſquis tàm inſulſè talia crimini das Olivario, cognitionis omnis expers non eſſes, nec omnimodâ deſtitutus intelligentiâ, ex ore tuô profanô, veſanôquè, tibi tàm ſtolida nunquam excidiſſent.

Et certè plurimùm me puderet, ſi glorioſiſſimorum *PRINCIPVM*, Regum, Monarcharum, ſexcentorum Imperatorum, ſordidiſſimos natales, muniaquè viliſſima, cum Olivarii generoſâ proſapiâ, vel conferre putarem. Nam reperias inter illos, multos *ſpurios*, *Ruſticos*, *Cerdones*, *Bubulcos*, *Agricolas*, *Paſtores*, *Mechanicos*, *Mercenarios*, *Servos*, *Mancipia*, *Latrones*. Cùm præſertim nemo ſit *Rex*, *Imperator*, *Monarcha*, ſi ſtemma ſuum geminô repetat ab ovô, qui ſui generis authores his ſimiles non agnoſcat. Vis ut aliquot ex iſtis hìc annumerem?

Num *Arſaces*, glorioſiſſimus ille, fortiſſimuſquè *Parthorum* Rex, à quô ſequentes omnes alii *Parthorum* Reges, ob excellentem illius memoriam dicantur Cap. 38. Gen. Interp.

tur *Arſaces*, *Parthi* verò ipſi *Arſacidæ*, num inquam ex *LATRONE* ſceleratiſſimô, perditiſſimô graſſatore, teterrimô ſicariô, *Parthorum* ad regnum evectus eſt? Num *Giges* ille clariſſimus, famoſiſſimuſquè *Lydorum* Rex, *Mermnadarum* monarcharum caput, *SERVUS* fuit, & *PASTOR*? Num *Dejoces RUSTICUS*, *Medorum* regnum ſibi, ſuiſquè poſteris comparavit? Num *Cyrus* ipſemet imperatorum exemplar, *Perſarumquè* monarcha, per ducentos & decem annos anteà nominatus à Deô, per decennium ferè *BUBULCUS* extitit? Num *Darius Rex* Perſarum *ultimus*, *qui ſuperatus eſt ab* Alexandrô, è *SERVA natus fuerat*? Darius *primus* Hyſtaſpæ *filius*, *fuit* Cyri *PHARETROPHORUS*? Menelaus Philippi *avus in SPURIIS numerabatur*? Perſeus, *quem* Paulus *Romanus expugnavit*, Argivus *erat*, *& patre IGNOBILI natus*? Eumenes *prudentiſſimus imperator*, *fortiſſimuſquè*, *patre TIBICINE*, *& INOPE fuiſſe creditur*? Phocion *cognomentô juſtus*, *princepſquè clariſſimus*, *patrem habuit COCLEARIUM*?

Herodot. lib 1. Cic. l. 3. Offic. Clio. Her. Id. ib. Ælian. var. hiſt. l. 12. c. 43.

Quandoquidem autem fecimus *Alexandri magni* mentionem, cujus ambitioni non hic ſufficiebat orbis, num ipſe paterquè ipſius *Philippus* Rex *Macedonum*, *Græciæquè* totius Imperator, familiæ ſuæ, regniquè fundatorem, *SERVUM*, *MERCENARIUM*, *BUBULCUM Perdiccam Macedonum* regem habuerunt?

Urania. Her.

Quid dicam de Rege Romæ fundatore *Romulô*? *PASTOREM* omnes agnoſcunt. Notum pariter eſt, quòd *Tullus Hoſtilius* tertius *Romanorum* Rex, *PASTORALE PEDUM* in *Romanorum Sceptrum* commutavit. Ne dicam *Servium Tullium* ſextum eorumdem regem, quòd à *SERVA CAPTIVAQUE* matre natus eſſet, ſic appellatum.

Dyonyſ. Halic. orig. Rom. l. 1.

Nunquid poſt *regifugium*, multi apud *Romanos BUBULCI*, *AGRICOLÆQUE* ſummum obtinuerunt imperium? Ut ſileam *Curium*, *qui* Primus de Sabinis *triumphavit*, *Regemq*; Pyrrhum *expulit ex Italiâ*, in ſcamnô ſedentem, *RAPASQUE AD FOCUM TORRENTEM*, legatos tùm accepiſſe, tùm audiviſſe. Ut de *Fabriciô* nihil dicam, de quô cum *Virgiliô Tullius*,

Valer. Maxim. lib. 4. cap. 4. Tit. Liv in hiſt. Rom. l. 14. Tul. 3 Offic. & Virg. Æneid. 6.

--PARVOQUE potentem
Fabricium.

Sed quid neceſſe habeo unum aut alterum ex illis nominare? Nam tales erant initiò poſt regum ejectionem *Romani PRINCIPES*, audi Romanum Poetam.

Ovid. faſtor. 1.

Jura dabat populis poſitô modò Prætor Aratrô,
Paſcebatquè ſuas ipſe Senator Oves.

Audi & alterum.

Propert. lib 4.

Curia prætextô quæ nunc nitet illa Senatu,
Pellitos *habuit* Rustica Corda Patres.
Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites,
Centum Illi In Prato Sæpe Senatus Erat.

Quin & *Tullius* ait, *ab* Aratrô *arceſſebantur qui* Conſules *fierent*.

Cic. Orat pro S. Roſc.

Verùm, *omiſſâ* Romanorum Republicâ, Monarchiam *eorumdem imperatoriam luſtremus obiter*, *notemuſquè ex ſupremis illorum principibus aliquot*, *propter quos maximô pudore ſuffundi neceſſe eſt ejuſmodi*, *qui regium in* Olivario *genus deſiderent*.

Aggredior, unde putas *Vitellium* nonum *Romanorum* Imperatorem ortum habuiſſe? Audi *Suetonium*, *Plures authorem generis LIBERTINUM prodiderunt*. Caſſius Severus *nec minùs alii*, *eundem & SUTOREM VETERAMENTARIUM*, *cujus filius SECTIONIBUS*, *& CONSUTURIS uberius compendium nactus*, *ex muliere vulgari*, Antiochi *cujuſdam FURNARIAM*

Sueton. in Vitellio.

exercentis

exercentis filiâ, Romanum Equitem genuerit, Vitellium ſcilicet. Tres illius in imperiò ſucceſſores, *Veſpaſianus, Titus, Domitianus*, hoc habebant elogium. *Imperium ſuſcepit, firmavitquè gens* Flavia, *OBSCURA illa quidem, ac ſine ullis majorum imaginibus, ſed tamen Reipublicæ nequaquam poenitenda*, Veſpaſiani *pater* Sabinus *PUBLICANUM in* Aſiâ *egit, poſteà FOENUS apud* Helvetios *exercuit, ibiquè diem obiit.* Vides *USURARIUM, VECTIGALIUM*què collectorem, *Veſpaſiani* patrem, avum *Titi*, & *Domitiani*. Sueton. in Veſpaſian.

Num vigeſimus tertius imperator *Macrinus, OBSCURISSIMIS parentibus ortus eſt?* Num *Maximinus* vigeſimus ſextus Imperator fuit *OPILIO?* Num ſucceſſor ejus *Maximus Pupienus* patrem *FABRUM FERRARIUM* habuit? Quid dicam de *Philippo* vigeſimò octavò Romanorum principe? *Philippus Imperium occupat, nec ei GENTIS HUMILITAS obſtare potuit, quominùs imperaret, nam per omnes militiæ gradus ob virtutem evectus, Imperator ab exercitu dictus*, Romam *cùm veniſſet*, Philippum *filium Imperii participem declaravit. Galli* verò *Voluſianiquè* ſucceſſor *Æmilianus* hoc meritus eſt elogium, *hunc imperatorem* Mauritania *nobis dedit, virum quod fatendum eſt, militiæ peritum, ſed IGNOBILEM. An Probum* trigeſimum ſextum Imperatorem, ex principum familiâ natum arbitraris? *Quominùs* Probus *imperator diceretur, non obſtitit GENERIS HUMILITAS, cùm patrem Dalmatici ſanguinis, & eum AGRESTEM habuerit, vir pacis belliquè artibus longè clariſſimus.* Num *Diocletianus* trigeſimus octavus monarcha *Romanorum, HUMILLIMO, ABJECTISSIMO, VILLISSIMOQUE* locò natus eſt? *SERVI* filius manumiſſi duntaxat. Num *Conſtantini magni* in imperiò collega *Licinius, RUSTICIS & agrariis hominibus, ex eò enim genere fluxerat, æquus fuit?* Num *Valentinianus Primus, Romanorum* quadrageſimus quartus imperator, cum fratre collegâ *Valente*, patrem *FUNES TORQUENTEM* habuerunt? Joannes Baptiſta Egnatius Roman. prin. lib. 1.

Quid de *Juſtinò Primò*, Romanorum imperatore quinquageſimò ſextò, dicturi ſunt ſolius generis regum in provinciis adminiſtrandis amatores? Fuit enim ille primò Subulcus, deinde Bubulcus, tertiò Faber Lignarius, tùm Miles, poſtremùm Imperator. De quò principum *Romanorum* ſcriptor *Venetus* ait, *Quis credat in* Juſtinò Thracem *hominem*, Armentarium, *&* Sues Agentem, *ſine* Tribu, Ignotis, Obscurisque Parentibus *ortum, & rebus præfuiſſe, & rem tùm fœliciter, tùm optimè adminiſtraſſe?* Cujus ex ſorore nepos, ſucceſſor fuit, celeberrimus ille totius juris compilator, ad cujus commendationem in ſapientiæ ramò nonnulla protulimus, *Juſtinianus* imperator. Nonne *Leo Iſaurus* ſimiliter Imperator, *Mechanicus* fuit? Quippe qui Obscuritate Generis Sedentariam *exercuerat*. Certè ferè me pudet, hìc Imperatorum majeſtatem ſic imminuere. *Quis crederet* Baſilium Captivum, *inter venales* Conſtantinopolim *adductum*, Romanæ *rei præfuiſſe*, Qui Nec Patriam, Nec Parentes Saltem Ciere Posset? *Præfuit tamen, & eò rerum ſucceſſu, ut ad ejus nepotes imperii majeſtas tranſierit.* Ad extremum, *quis non in Michaele* Paphlagone fortunæ ludum non admiretur? Mancipium videlicet Barbarum, nec ullâ re niſi formâ commendatum, Mente Etiam Commotum, labenſquè ad ſingula momenta, ſpumâ inſuper oris fœdâ, ſeptem tamen annos imperavit, *nec malum principem egit.* Cui ſucceſſit in Imperiò *Michael Calaphates. Hic propter* Sordes Parentum, Qui Naves *apud Paphlagonas* Pice Oblinerent, *Calaphates dictus eſt.* Lib 1.

De *Romanis* Imperatoribus hoc ſolum addam ex ſuprà laudatò ſcriptore. *Subeat forſitan admiratio multos, hâc noſtrâ* Principum *relatione, quòd paucissimos* Quiritii *ſanguinis, omnes ferè externos, &* Pudendæ Multos Etiam Lib 1. in Diocletian.

TIAM ORIGINIS, *non tamen pœnitendos, recenſeam.*

Cùm autem imperium in duas diviſum partes fuerit, nempe in imperium *Orientis*, & *Occidentis*, ſive *Germanicum*, de hôc ultimô tantummodò dicam, *Carolum Magnum Gallorum* regem, primumquè Imperatorem occidentis, avum habuiſſe *Carolum Martellum*, SPURIUM, patrem *Pepini*, unde *Germani Cæſares*, regeſquè ſecundæ lineæ *Gallorum*.

Wasbourg. l. 2. Antiquit. Gal. belgic.

Tota novit *Anglia*, atque adeò orbis univerſus, *Guillelmum Nortmannum*, à quô ſeries ultima regum *Angliæ*, SPURIUM fuiſſe.

Hiſtor. omnes Gall.

Per varias monarchias citiſſimè curro. Apud *Mileſios* AGRICOLÆ *PRINCIPATUM* obtinebant. *Ægyptiorum* primus Rex *Vulcanus*, *RUSTICUS* fuit, cùm ignis excitandi, ſervandiquè rationem apud ipſos inveniſſet, unde *Vulcanum* Deum ignis fabulantur poëtæ. *Ægyptiorum* eorumdem *Sultanos* ex gentis inſtitutô, regniquè, priùs quàm ad ſupremum regni faſtigium aſcenderent, oportebat *SERVOS* eſſe. *Dionyſius Siciliæ* Rex, *SCRIBA* fuit, *INFIMÆQUE CONDITIONIS* homo, regnavit tamen triginta & octo annis. *Agathocles* ***FIGULUS***, ***FIGULIQUE FILIUS***, *LATRO*, *GREGARIUS* ***MILES***, tùm ſtrategus, *Siciliæ* Rex demum extitit. *Ballonymus* ex ***HORTULANO*** fit Rex *Tyriorum*. *Artaxerxes Perſa*, vir ***OBSCURIS*** admodum parentibus ortus, genti ſuæ veterem Imperii gloriam reſtituit, ad quadringentos ſequentes annos. Nam *Artabanô*, cum totâ *Arſacidarum* familiâ cæſô (*Hi erant orti ab* Arſace *de quô ſuprà, floruerantquè per quadringentos annos*) *Perſas* orienti iterum impoſuit, à quô dejecti erant ab *Alexandrô*, cæteriſquè, per quingentos & triginta octo annos. *Mahometes Arabs*, author *Mahometiſmi*, nec non *Alcorani*, ***VILISSIMO*** locô natus, quippequi *CAMELARIUS* latronum manu coactâ primùm, dein militum, hos tandem ſucceſſus habuit Imperator, quos nimiùm orbis univerſus agnoſcit. *Otthomannus* verò Turcici imperii princeps, ***AGRARIIS*** parentibus ortus eſt. Quin & *Otthomannici* imperii iſtius ad hanc diem ſucceſſores, antequàm Imperii poſſeſſione gaudeant, per legem, ***TERRAM ARARE*** debent: Atque ut in glorioſiſſimô *Scytharum* Imperatore *Tammerlanô* finiam, qui ſuperbiſſimum, crudeliſſimumquè Turcarum Imperatorem *Bajazethem* acie victum, captum, clauſumquè caveâ, per totam circumduxit *Aſiam*, annô *Chriſti* milleſimô trecenteſimô nonageſimô octavô, *Tammerlanus* inquam, ex ***PATRE RUSTICO***, nomine *Sangal*, natus eſt, primùm *PASTOR* & *BUBULCUS* extitit, poſteà latronibus adjunctus exercuit furta, tùm *DUX FURUM* creatus eſt, poſtremùm Imperator exercitus, demum *Maſſagetarum*, *Tartarorumquè* Rex potentiſſimus evaſit.

Hiſt. cur. Turc. Baud.

Id. Hiſt. Turc.

Ubi jam ſunt, qui ſupremum OLIVARII *dominium ideo non admittant, quòd illum, generoſum licet, regiô ſanguine natum non agnoſcant?* Quòd ſi *Galliarum* generoſos audirent iſti, quàm ſuperbos eos æſtimarent, apud quos nemo generoſus eſt, qui non æqualem ſe regi natalibus arbitretur, dignitatequè; Omnes enim illic generoſi palam & apertè, cùm Rex regni ſui primus ſolummodò generoſus habeatur, æquales ſe regi profitentur.

Denique ſi *Moſem* ſummum *Hebræorum* Imperatorem, anteâ ſacerdotis *Madian* ***PASCENTEM*** videant ***OVES***: Si *Jephtem* *MERETRICIS FILIUM* exercentem latrocinia, ***FURUM DUCEM***, tùm *Hebræorum* *PRINCIPEM* ſummum animadvertant: Si *Saulem* *ASINARIUM*, & *BUBULCUM* ad regiam dignitatem ab ipſômet Deô primô delectum conſiderent. Si *Davidem* ***PASTOREM OVIUM*** ab eôdem Deô regem declaratum perſpiciant, num illos præ pudore in terram abdere ſe neceſſe eſt? Audiant illi *Minucium Fœlicem in Octaviô*. *Faſcibus & purpurâ gloriaris, vanus error hominis, & inanis cultus*

Hiſtor. Sacr.

Marc. Minuc. fœlix in Octav.

cultus dignitatis, fulgere purpurâ, mente ſordeſcere, nobilitate generoſus es, parentes tuos laudas, omnes tamen pari ſorte naſcimur, SOLA enim VIRTUTE DISTINGUIMUR. Audiant morum doctorem Philoſophum; *Nemo alterô Nobilior, niſi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius, qui imagines in atriô exponunt, & nomina familiæ ſuæ longô ordine, ac multis ſtemmatum illigata flexuris in parte primâ ædium collocant, noti magis, quàm Nobiles ſunt, UNUS OMNIVM PARENS EST.* Audiant denique *Satyriſtam.* Senec. de benefic. l. 3. c. 28.

Stemmata quid faciunt? Quid prodeſt Pontice *longô*
Sanguine cenſeri, Pictoſque oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Æmilianos;
Et Curios *jam dimidios, naſumque minorem*
Corvini, *&* Galbam *auriculis, naſoque carentem?*
Quis fructus generis tabulâ jactare capaci
Fumoſos Equitum cum dictatore magiſtros,
Si coram Lepidis *malè vivitur? Effigies quo*
Tot bellatorum, ſi luditur aleâ pernox?
Tota licet veteres exornent undique cerâ
Atria, NOBILITAS SOLA EST, ATQUE UNICA VIRTUS. Juvenalis Satyr. 8.

Atque hæc quidem contra ſtultam plurimorum objectionem dicta, nos diutiùs quàm par erat, detinuêre, quod tamen aliquô modô neceſſarium fuit, cùm Imperia tàm multa, tàm multas Monarchias, tàm multos, eoſque ſummos, tamque ab invicem diſſitos *PRINCIPATVS*, ad irridendam potiùs, explodendamque, quàm ad confutandam adverſariorum ſtoliditatem adierimus.

Jam verò quòd ſumma rerum ab exercitu data ſit OLIVARIO, ſatis agnoſcunt omnes. Sed quô jure quæritur? Ut diſceptationem totam hanc paucis expediam, *breviter reſpondeo, eôdem prorſus jure, quô ſumma totius orbis IMPERIA, MONARCHIÆ, PRINCIPATVS ſupremi, ARISTOCRATIÆ etiam hodiernâ die ſubſiſtunt.* A quibus ſi cuſtodes auferas exercitus, præſidia, munita loca, ab Imperatoribus pleriſque, Monarchis, principibus, diademata, capitaque pariter auferes. Et quinam precor ad Imperii *Romani* culmen, faſtigiumque *Julium Cæſarem* evexerunt? Nunquid exercitus? Quinam *Octavium Auguſtum* effecêre? Nunquid exercitus? Num *Tyberius*, cùm per ſimulationem recuſaret Imperium, ut eligeretur retinuit exercitus? Num *Caligula*, quia nutritus puer in caſtris, & *Militum* poſſidebat animos, pervenit ad Imperium? Nonne *Claudius Cæſar*, dum quæreretur ad mortem, ſalutatus eſt à *Militibus* Imperator? *Dum Conſules cum ſenatu, & cohortibus urbanis forum*, capitoliumque *occuparent, aſſerturi communem libertatem.* Nunquid *Nero, Preceſſit ad excubitores, proque palatii gradibus Imperator conſalutatus, lecticâ in caſtra, & inde raptim appellatis* Militibus *in Curiam delatus eſt?* Num *Galba, Otho, Vitellius*, per ſuos *Milites* ad Imperium idem elati ſunt? Lege quod de *Veſpaſianô* tribuſque ſuperioribus apud *Suetonium* reperies. Moeſiaci *exercitus bina è tribus legionibus millia miſſa auxilio* Othoni, *poſtquam iter ingreſſis nunciatum eſt victum eum, ac vim vitæ ſuæ attuliſſe; Nihilo ſecius* Aquileïam *uſque perſeveraverunt, quaſi rumori minùs crederent. Ibi per occaſionem & licentiam, omni rapinarum genere graſſati, cùm timerent nè ſibi reverſis reddenda ratio, ac ſubeunda pœna eſſet, conſilium inierunt eligendi creandique Imperatoris, neque enim deteriores eſſe, aut HISPANIENSI EXERCITU, qui* Galbam, *aut PRÆTORIANO, qui* Othonem, *aut GERMANICIANO, qui* Vitellium *Imperatorem feciſſent, propoſitis itaque nominibus Legatorum Conſularium, quot ubique tunc erant, cùm cæteros alii alium altâ de cauſâ implorarent, & quidam è legione tertiâ, quæ ſub exitu* Neronis *tranſlata ex* Syriâ in Moeſiam *fuerat*, Veſpaſianum *laudibus ferrent*, Suetonius in his Imperatoribus. Sueton in Veſpaſian.

rent, aſſenſère cuncti, NOMENQUE EJVS VEXILLIS OMNIBVS SINE MORA INSCRIPSERVNT. Cæterùm divulgatô factô, Tyberius Alexander *præfectus* Ægypti, *primus in verba* Veſpaſiani *legiones adegit* Calendis Julii: Judaïcus *deinde exercitus quintô* Idus Julii *apud ipſum juravit. Præterea ex præſidibus provinciarum,* Licinius Mutianus, *& è Regibus,* Vologeſes Parthus, *ille* Syriacum *promiſit exercitum, Hic quadraginta millia ſagittariorum. Igitur ducibus copiſquè in* Italiam *præmiſsis, &c.* Vides quô jure deligantur Imperatores ab exercitibus. Nonne *Philippus,* ut ſuprà vidimus, *Imperator ab exercitu dictus* Romam *venit ?*

Fgnat. Princip. Roman. lib. 1.

Enimvero quid hìc aliquot enumerare neceſſe eſt, cum conſtet omnes, omnes ab exercitibus evectos ad Imperium, tandiu ſervatos in illô, quandiu placerent iiſdem exercitibus, qui tamen omnes eſſent exercitus populi *Romani,* quibus nequaquam *Senatus* populuſquè *Romanus* obſtabat, ſciunt enim omnes *SUMMUM JVS IN ARMIS ESSE.* Amabo te lector quod mireris, rem ad eandem hìc aliquid accipe. *Interregnum per ſeptem menſes* Aurelianô *interfectô fuit, cùm* miles *ad* Senatum, Senatus *ad* militem, *prærogativam Imperatoris deferret, eligendi tandem patres conſenſu militari victi,* Tacitum Auguſtum *dixêre.* Vides quì *Senatores* ipſi tali factô electionem Imperatorum Prærogativam exercitus eſſe demonſtrarint, cùm non elegerint niſi *VICTI,* & quaſi *COACTI* à *Militibus,* qui ſibi ſuum jus reſervantes, cùm *Tacitus* non ipſis arrideret, hôc, poſteaquàm ſex ferè menſibus imperaſſet, interfectô, *Probum,* de quò jam ſuperiùs, Imperatorem elegerunt.

Neque valuit hoc tantùm apud *Romanos,* ſed apud alias quoque Nationes ſemper adhuc uſurpatum eſt, apud quas qui fortiori magiſquè fidô valuit exercitu, hunc rerum pro arbitratu ſuô potitum fuiſſe conſtat. Num *Franciæ* Regem *Meroveum,* neglectis quatuor *Clodionis* Regis ſui defuncti filiis, elegit exercitus ? Num alterius lineæ *Francorum* Regum caput *Pepinum,* militum humeris in clipeos elatum Regem ſalutavit exercitus, electionem confirmavit *Romanus Pontifex,* totaquè, in monaſterium *Chilpericô* Rege ſuô detruſô, probavit *Gallia ?* Norunt omnes, tertiæ Regum *Franciæ* lineæ principium *Hugonem Capetum,* ab exercitibus, contra *Carolum Auſtraſiæ* Regem, legitimum Regni *Franciæ* ſucceſſorem, *Capetum* inquam, creatum ſervatumquè Regem ab exercitibus.

Annales Franciæ.

Ut unò verbô complectar, *Militum* eſt, victorum præſertim, orbi dare Monarchas, legeſquè conſequenter, quod ab orbe conſtitutô in Monarchiis omnibus factitatum, gentium omnium omnes produnt Hiſtoriæ.

Finio *Militaris juris* diſputationem, per dictum hoc celeberrimum *Pompeii.* Detrectantibus *Meſſanæ, Mamertinis, Pompeii* Tribunal, & juriſdictionem, à quâ veteri populi *Romani* formulâ ſe contendebant immunes, & exemptos eſſe. Non definetis, inquit, nobis gladiô accinctis citare leges, οὐ παύσεσθε ἡμῖν ὑπεζωσμένοις ξύφη νόμους ἀναγινώσκοντες.

Plutarch. in Pompeio.

Ab exercitibus veniamus ad urbes, fuit enim urbium conſuetudo, ut, cùm *Milites* Imperatorem proclamaſſent, illum acceptarent illicò, niſi fortè gemini diſcrepantes exercitus, diverſos ſimul proponerent Imperatores, atque pro alterutrô pugnarent, unde civile bellum, quô finitô victoris exercitus Imperator, ab omnibus urbibus talis habebatur. Neque verò fuit neceſſarium, ut agnoſceretur ab omnibus, ſi enim à præcipuis, ſat erat; exempli cauſa, ſi *Romana* civitas vel Prætorem, vel Conſulem, vel Dictatorem, vel Imperatorem eligeret, non neceſſe fuit, ut cum aliis urbibus *Italiâquè* totâ fieret. Si deligerent *Archontas Athenæ,* non tota convocabatur *Attica,* quæ ſuum daret calculum; ſi Regem, vel Imperatorem exercituum ſuorum, id urbs *Lacedæmon* ſola, non coacta *Laconica* tota, præſtare ſolebat,

bat. Si præstarent idem *Syracusæ*, anne *Siciliam* cogebant ad id universam? Si *Carthago* dat Imperium *Annibali*? An *Africæ* vicinæ ratum id esse debet? Cùm suum ducem eligit *Venetia* vel *Genua*, totumne propterea statum suum in consilium adhibet? Constat enim metropolim, primariamquè status cujusvis civitatem, in rebus præcipuis, majorisquè momenti, præcipuam semper authoritatem habuisse.

Cùm igitur civitas *LONDINENSIS*, metropolis & caput *Angliæ*, præ cæteris omnibus *Britanniæ* potentissima, de quâ jam æquè meritò, ac de *Romanâ* quondam *Virgilius*, quis dicere valeat. Virg. Eclog. 1.

Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna Cupressi.

Cùm *LONDINENSIS* civitas, inquam, OLIVARIUM cum exercitu pariter elegerit, magistratumquè suum universum ad electionis OLIVARII solennitatem adesse voluerit, huncquè in triviis, plateisquè suis celeberrimis proclamari jusserit, huicquè supremos, qui non nisi regibus exhibeantur, detulerit honores, dispositis hinc inde per vicos & compita repagulis, cum suis tapetibus, signis, vexillisquè, civibus omnibus societatum omnium dictæ civitatis stantibus apertô capite, dum per medium illorum equô vectus, inermis, sine ullô *MILITE*, sed innumerâ populi multitudine cinctus OLIVARIUS, urbis dictæ magistratum universum, ad *Templi* portam ipsius præstolantem adventum, obvium habuit, qui eôdem prorsùs in locô per suum oratorem, supremam OLIVARIO concessêre potestatem. Quis autem hanc tàm solenniter concessam OLIVARIO supremam authoritatem in eôdem residere inficiari jam audeat? Neque sola civitas *LONDINENSIS* rerum summam detulit OLIVARIO, sed & aliæ præcipuæ civitates *Angliæ* per suos ad illum ablegatos, laureatosquè codicillos idem prorsùs effecêre, hìc nihil fingo, nihil impono, typis excusi fuerunt iidem codicilli, vulgati publicè, propalatiquè, ita ut quæ commemoro, jam universô sint orbi conspicua.

Quid dicam de Judicibus, *Angliæquè jurisperitis* omnibus? Certè si quid jure legitimequè fieri constet, constare debet illis præsertim, qui totum vitæ suæ tempus in *juris justitiæquè* studiô collocarunt. Num ex illis magè præcipui, nobiliores, prudentioresquè in eôdem habitu solenni, quô regem admittere primò solerent, adfuerunt electioni OLIVARII? Hancquè juridicam præsentiâ suâ confirmarunt, atque etiàm cùm ab illò de capite judicandi, litiumquè dirimendarum potestatem acceperunt, unde per illationem necessariam sequitur, quòd supremam in OLIVARIO potestatem agnovêre *jurisperiti*, atquè etiamnum agnoscunt, cùm actus omnes legales ab illis OLIVARII nomine fiant, quorum judiciis cum adhæreat *Anglia* tota, OLIVARII supremæ potestati, manifestè nec non evidenter adhæret.

Cùm autem *Angliam* totam nominavimus, omnes & singulas ejusdem provincias complexi fuimus, quæ non tantùm per hoc supremam tribuunt OLIVARIO potestatem, quòd *Judices* solam ab hôc juridicam vim habentes observent, sed quòd ad OLIVARII *Chirographum* seu mandatum, quòd regibus anteà solis concessum fuit, singulæ *PROVINCIÆ* suos ad comitia delegatos ad OLIVARII nutum emisêre, qui cùm *Visemonasterium* simul convenissent, illìc sub OLIVARIO per quinque mensium spatium tenuêre comitia, quæ ad illum, ut ad regem alia solerent, pro ejusdem beneplacitô nonnunquam accessêre. In quô nisi supremam illius authoritatem agnoverint, quid supremæ potestatis authoritatisquè nomine sit intelligendum, nescire me fateor.

Adde quod *Reges, Monarchæ, Principesquè Christiani, Respublicæ, liberæ-*

què

què Civitates, tùm ordinarios, tùm extraordinarios generis omnis publicos miniſtros ad congratulandam conceſſam OLIVARIO poteſtatem, quod nunquam niſi ſummum imperium obtinentibus fieri ſolet, in *Angliam* ablegarunt, OLIVARIUMQUE omnes tùm ſuis fidejuſſoriis epiſtolis, tùm Legatis, aliiſquè ſuis mi-niſtris *SERENISSIMÆ CELSITVDINIS* titulô, quem ſolis convenire ſupremis poteſtatibus notum eſt, jure decorarunt.

Quæ cùm ita ſint omnia, quivis ſanæ mentis OLIVARIUM æquè meritò *PRINCIPEM Angliæ* decernet, atque ullus ſupremus nationis alicujus in orbe totô Dynaſta cenſeatur, meliorique forſan & titulô & jure fundatum OLIVARIUM, quàm ullum ex illis omnibus gaudere judicabit.

Quòd ſi dixero, ab OLIVARIO diu detrectatum imperium *Angliæ*, cùm illud eidem nationis iſtius Primores cum precibus importunis offerrent, ut bellorum tempore labefactatum, authoritate ſuâ ſtabiliret, firmaretquè, nonne per hoc OLIVÆ ſimillimum OLIVARIUM demonſtravero. Sciunt enim omnes quòd imperare ligmis recuſaverit OLIVA, licet hanc omnes *PRINCIPATUM* in arbores habere fateantur.

COELESTIS

Eccleſ. c. 7.

Quid neceſſe eſt homini majora ſe quærere? Proponit ſapiens. Quid neceſſe eſt perdifficiles, & perobſcuras habere quæſtiones? Quæ vel in vanis numerentur, vel ut ſolvantur, multas hominum ætates, cum labore propemodum infinitô, requirant. Unde meritò non ſecùs atque aliæ plurimæ, inter ἀλύτατα conſtituantur. Inter vanas autem, leves, futiles, & inanes adnumero quæſtiunculas, quæ fieri ſolent à plurimis. Utrum videlicet innumeri ſint *mundi*? Utrum *Populi* ſint in *Lunâ*, *Sole*, *Aſtriſquè* reliquis? Ita ut tot *mundi* conſtituantur, quot exiſtant *Aſtra*, quorum de numerô vel ipſa *terra* cenſenda ſit. Utrum *Genethliaci* poſſint ex *Aſtrorum* eorumdem conſpectu contingentia futura prædicere? Atque hominis cujuſcunque fortunam, mores, ſucceſſus, eventus dubios, mortemquè portendere. Porrò inter eas, quæ vix aut omninò ſolvi non poſſint, atque inter impoſſibilia, ſi dicere fas eſt, ſimiles refero quæſtiones. An per artem aliquam humanam, quam *Chymicam* vocant, verum generari poſſit aurum? Ita ut *Chymicus*, ſi ſuperis placet, omnia quæcunque tetigerit, *Midæ* alterius ad inſtar, in aurum convertat, paremquè cum illô fortunam experiatur. Quot arenularum

lârum granula, ut à centrô terræ circumquaque totum hoc impleant *Univerſum*, ad uſque *Syderei Cæli* ſummum præciſè requirantur? Quot partibus ſit *Sol Terrâ* major? Quî mutuò inter ſe loquantur *Angeli*? An poſſit quadrari *Circulus*? Duplicari *Cubus*? A navigantibus haberi certa *Loci longitudo*? Quam quicunque ſupremis *Batavorum* ordinibus demonſtrarit, in ingenii, ſolertiæ, ſtudii, nec non laboris, adpromiſſum jampridem quadraginta millium librarum *Turonenſium*, ad *Græcas* ut puto *Calendas*, præmium accepturus eſt.

Quibus hanc celebrem placet addere dubitationem. An ſit verum quòd in generatô quolibet nihil inſit omninò maſculi ſeminis, quippe quod non remaneat in femellâ, cùm nihil illius conceptionis locum ingrediatur, ſed ſolummodò titillet in coitu femellam, cujus ſola demum materia fœtum totum compleat. Quæ doctiſſimi, celeberrimique ætate noſtrâ medici *Harvæi*, quem honoris cauſâ nomino, ſententia, pace tanti viri dixerim, non eſt univerſaliter vera. Nam & in brutarum femellarum nonnullis, id vulgò contingit, ut poſtquam ritè caſtratæ ſint, ſemel vel iterum fœtus aliquos, non tamen ita corpulentos enitantur. Miratus ſum equidem ad inſigne *Pegaſi*, è regione *Templi*, hoſpitis mei felem, quæ ne tantâ *Cattorum* ſobole domum impediret, caſtrata præſentibus quinque teſtibus idoneis, atque ad id exercitatis, *feliculum* tamen poſtmodùm, at unicum, cùm alias quinque quolibet partu ſoleret edere, *feliculum* inquam, *muris* ad inſtar, decimô quartô *Calendas Maias* annô *Julianô* currenti ſub noctem eſt enixa, quem cùm inter *Prodigia* numerarem, atque ob id ſervari mihi mandarem, irriſus ſum à domeſticis, qui ruri degiſſent; Ubi quotidianâ patet experientiâ, præſertim in *ſuibus*, quòd poſtquam caſtratæ fuerint, ſemel aut iterum aliquando pariant.

Harvæus Doct. Med in obſervationibus anatomicis generationis animalium exercitatione, 67. 68, & 69.

Hìc ſuperioribus diſſimilem, diſparem, diverſam in mediô ponere quæſtionem mihi eſt animus, quam hunc in locum rejecturam me ſuprà recepi. Quam eô libentiùs aggredior, quô à ſexcentis viris intelligentibus, omnimodâ bonarum artium inſtructis ſuppellectile, ſcientiæ multiplicis ornatu conſpicuis, denique virtutum præſidiô munitis, jamdudum in publicô propoſita eſt. Qualis & unde nimirum ſit OLIVA? Quâ ratione primùm apparuerit? Ubinam ramuſculum illius offendere *Columba* potuerit? Quod poſteaquam verbis nonnullis, breviter tamen, diſputavero, huic demum quæſtioni finem imponens, evidenter eliciam, *COELESTES* inter, divinaſq; plantas OLIVAM præcipuam numerari.

Atque ut ab illius ſub finem *Diluvii* primô conſpectu ducamus initium, unde putas, amice lector, poſt univerſalem cataclyſmum, tàm immenſum, apertis duntaxat *COELI* cataractis; Tàm diutinum, quippe quô terra tota per annum integrum inundata fuit; Tàm profundum, tàm altum, tamquè exuberantem, ut vel editiſſimorum montium cacumina fuerint aquis illius obruta, quindecim cubitis aſſurgente ſuper eadem exundatione *Diluvii*. Unde putas inquam? poſt tàm generalem orbis devaſtationem, urbium exciſionem, direptionem ædificiorum, depopulationem agrorum, plantarum extirpationem, rerum omnium ſub aquis per tantum temporis ſpatium ruinam, interitum, perturbatamquè confuſionem, ita ut quæcunquè ſub aquis laterent univerſa, in antiquum χάος redacta viderentur. Undenam inquam tertiò factum arbitraris amice lector? Ut poſt debellatas terræ totius vires, fractas, fuſas, exinanitas, *Oleæ* virentis ramuſculum invenire *Columba* potuerit. Equidem ſine ullâ dubitatione dificultatis plurimum hanc habere quæſtionem mihi perſuadeo. Quamobrem hàc in tàm præclarâ dirimendâ controverſiâ, præcla-

Geneſ. 7.

ros eruditione, doctrinâquè viros conſulere non modò decorum, verùm etiam conſentaneum eſt. Ageſis qui primus occurris, quiquè ob divinam eloquentiæ vim, oris aurei ſortitus es appellationem? Unde putas *Oleæ* ſurculum tunc temporis extitiſſe? Veriſimillimum eſſe reſpondebit, quòd totô *Diluvii* tempore ſeipſam vegetam conſervarit OLIVA, neque viriditatem amiſerit, unde poſt receſſum tantarum alluvionum & circumluvionum, virens, frondeſcens, triumphanſquè de victricibus terræ totius aquis innumeris, una invicta, illæſa, conſtanſquè ſibi ipſi, veluti quoddam laudis inſigne, *Trophæum*, perpetuumquè victoriæ monumentum permanſerit OLIVA. Accipe quæ ſequuntur ipſiſſima *Chryſoſtomi* verba, ἔτι τὸ διένδρεον τὴν τῶν φύλλων ἔχειν κόμην. Hìc mihi, antequam ulterius progrediar, exclamare libet, O vim incredibilem OLIVÆ! O divinam prorſus *Oleæ* naturam! O verè *COELESTEM* arborem! In quam nihil potuêre tot decumani fluctus, tot imbres, nimbi, procellæ, turbines, tamquè innumeri, tot ſæva ventorum vehementiorum flamina, tot immoderatæ, tot horribiles, tot inauditæ, tot furioſæ, tot calamitoſæ tempeſtates. O *Oleam* inquam pluſquam *COELESTEM* arborem! Quam unam implacabilis *Oceani*, inexpiabilis, inexorabiliſquè *COELI* tota rabies, proſtratis, domitiſquè cæteris omnibus, nequaquam vel immutare potuerit. In quô profectò non poſſum quin divinam providentiam agnoſcam, venerer, adorem, quæ inter tot inevitabilia, ſi dicere fas eſt, pericula, conſervarit *Oleam*, nam ex ſuprà laudatô patre manifeſtum eſt, totum id diſpenſatione quâdam divinâ factum eſſe. τὸ μὲν πᾶν ἐγίνετο τῆς τοῦ θεοῦ οἰκονομίας.

S. Chryſoſt. homil. 16.

Idem Ibidem.

Sed videamus quid eâ de re ſentiant *Judæorum* doctores, undenam putant allatum in arcam à *Columbâ* tunc virentis OLIVÆ ſurculum? Certè ſi vera ſit eorum opinio, maximam facit admirabilitatem, docent enim quod mordicùs arctequè tenent, accuratequè defendunt, vel ex *Sion*, vel ex OLIVARUM montibus, quos tanquam *SACROS* reveritæ ſint aquæ, quippe quò *Diluvium* eam ob rem nequaquam pertinere fuerit auſum, eundem *Oleæ* ramulum in arcam delatum fuiſſe. Quæ ſine dubiô ſtare non poteſt opinio, niſi concipiamus aquas aſſurgentes undequaque circa montes eoſdem intactos, hoſquè tanquam in aqueis domibus contentos fuiſſe, atque ideò cæteris multùm immutatis conſervatos, eô ferè modô quô populus *Iſraeliticus*, perditô *Pharaonis* exercitu, viam in maris mediô reperit, aſſurgentibus hinc inde muris aquarum, quibus veluti propugnaculis ſalvi & incolumes ab hoſtibus, volente Deô, protegerentur. Unde ſatisfacere ſe putant iſtis quæ objectantur ex Geneſi, *Aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram, operti*q; ſunt omnes montes excelſi ſub univerſô *COELO*, *quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes quos operuerat*. Si quæras unde ſententiam hanc expiſcati fuerint? Subjicient, miraculoſum *Cæleſtemquè* ab omnibus prorſùs haberi hunc *Oleæ* ramum, neque eſſe neceſſarium ad alia miracula confugere, cùm in Scripturis ſimilia nonnulla reperiamus.

Interpret. c 8. Geneſ

Geneſ. c. 7.

Et quandoquidem alteram *Judaicæ* legis Doctorum opinionem ad inſtitutum noſtrum aptè congruentem ſuperiùs obiter attigi, eam ob cauſam ad ea, quæ poſitâ de quæſtione reſtant, ex eorum ſenſu nonnulla præmittenda ſunt. Altera igitur Doctorum *Judaicorum* ſecta, putat hanc *Oleæ* virentis particulam delatam à *Columbâ*, cùm hôc in rerum ſtatu, per nullam à naturâ petitam rationem in viriditate ſuâ conſervari potuiſſet, miraculoſam, divinam, *COELESTEM*, atque vel ex *Paradiſô*, vel ex *COELO*, *Columbæ* datam fuiſſe. Age nunc amice lector, vide quantam exiſtimationem habuerint *Hebræi* de OLIVA! Vide quantum OLIVÆ tribuerint. Vide quàm Divinam, quàm *COELESTEM* OLIVAM arbitrati fuerint! Age porro, nunquid hæc ad ſtabiliendam

biliendam aſſertionem, quam *COELESTIS* ramus noſter exhibet, diſputata ſufficerent? Nunquid ad hæc adſcribere plura eſſet actum agere, *Soli* lumen addere, aquas in *Oceanum* deferre? Nunquid denique ſuperioribus, eorumdem confirmandorum gratiâ, plures argumentationes, ratiocinationes, ſyllogiſmos adjungere, eſſet & otiô, & tempore, & patientiâ benevoli lectoris abuti.

Ut ut ſe res habeat, aliquot nihilominus, cùm *COELESTIS* hic ramus maximi ſit ad propoſitum noſtrum momenti, probationes addere, quibus ſic idem fiat evidens, ut ei contradicere ne pertinax criticus, quamtumvis *Ariſtarchus* vel *Ariſtophanes* audeat, rationi maximè conſentaneum exiſtimo. Qui mihi jam verſaris ob oculos, cuiquè ſermones melle quolibet, *Nectare, Ambroſiâquè* ſuaviores invenêre nomen, unde putas *Oleæ* ramuſculum, quem in *Arcam Columba* detulit, excerptum eſſe? Cùm tot inter objectos obices, ait, tot impedimenta, tot obſtacula *Diluvii*, fieri naturaliter nullô modô poſſet, ut ſuum virorem ſub aquis tandiu conſervaret OLIVA, propterea neceſſarium fuit, ut hæc in *oleâ* miranda viriditas extraordinaria fuerit, atque prodigioſa, vim aliquam ſupernaturalem, divinamquè declarans, cujus potentiâ etiam ſub aquis hæc *COELESTIS* arbor nihil à ſublunarium atrociſſimâ, generaliquè conjuratione paſſa, germinaret. Ambroſ. lib. de arca c. 19.

Habes expreſſam quatuor in his diverſis opinionibus, *Eccleſiæ* tùm *Judaicæ*, tùm *Chriſtianæ*, de primævâ hâc *oleâ* mentem. Primò quidem *Judaicæ* in duplici doctorum ejuſdem ſectâ: Deinde *Chriſtianæ* tàm orientalis quàm occidentalis; orientalis in *Chryſoſtomô*, in *Ambroſiô* occidentalis, ut de privatis omnibus aliis ſileam, qui ſine ullâ dubitatione plantam hanc *COELESTEM*, divinam, atq; in univerſum miraculoſam, extraordinariamq; omnes omnes arbitrantur. Quod ultimum licet unum concedatur, unum tamen ſat erit, ut *Oleam COELESTEM* arborem quis inferat. Nam ex linguæ *Latinæ* principibus magnum & extraordinarium quidpiam, minimequè vulgare, *COELESTE*, divinumquè dicimus. Omnium inſtar ſit judex *Tullius*, ille enim res à *Brutô* geſtas memorabiles, *COELESTES* vocat, idemquè hominem appellat, *Animal divinum atque COELESTE*. Addit de legionum duarum magnis viribus, minimequè ordinariis, quòd ſint *illæ COELESTES, divinæquè legiones, Martia & quarta*. Sileo memoratum ab eôdem, Pompeium *omnes ſicut aliquem, non ut ex hâc Urbe miſſum, ſed de COELO lapſum, tuentur*. Taceo ſexcentas id genus in re tàm clarâ virorum eruditiſſimorum authoritates. Quis enim vel primô de limine *Muſas* aliquando ſalutavit, qui non ſciat, laudes minimè vulgares, *COELESTES* appellari, immò eos quos extraordinariô modô commendamus, dici laudibus in *COELUM* à nobis tolli, ferri, evehi. Hæc inquam, innumeraquè ſimilia *Grammaticulis* magè convenientia prætermitto, ut *COELESTIS* nomine commendetur *Olea*, non ſolùm quòd extraordinaria, minimequè vulgaris ſit arbor, vel quòd meritis in *COELUM* præconiis ferenda, extollenda, evehendaquè ſit, ſed etiam quia reverâ, de factô, ſine ullâ hyperbolê, propriè, in verô, germanô, genuinôquè ſenſu, non detortâ, non inflexâ, non immutatâ ſignificatione, reapſe *COELESTIS* eſt OLIVA, & ſola, quod omnem ſuperat admirationem, *COELESTIS* planta. Tul. l. 1. Epiſt. ad brut Ep. 7. Idem l. 2. de finib. Idem Philip. quinta. Pro Pompeio.

Mihi ſi fidem habere nolis, tibi *COELUM* adeundum eſt amice lector, ut tu ipſe *COELESTEM* illìc tuis ipſius oculis intuearis OLIVAM, atque de theſeos meæ poſitione ſuboriri tibi nulla poſſit ampliùs dubitatio. Sed ardua *COELI* petere hoc opus hic labor eſt. Quod ſi afforent novi *Gigantes*, qui montes ad id montibus imponerent, hoc foret aliquid, ut ſileam *Jovis* ſacerdotem è *Thraciâ*, ſimul omnes, quibus *COELVM* aſcenderet; conqueſturus

apud

apud *Jovem* de popularibus ſuis, in planitie vaſtiſſimâ regionis totius ſcalas alligaſſe, *Thraces* verò pertimeſcentes fulmina, petitâ veniâ, virum à propoſitô revocaſſe. Faceſſat hinc procul rudium hominum fallax ille circumvenor, candendi *COELI* patent aliæ rationes. Neque tibi *Pegaſum* offeram, quippe fatalem *Bellerophonti*. Neque *Solis* volucres lucem ignemquè vomentes equos tibi proponam, cùm *Phaetonti* perniciem attulerint. Vereris fortaſſe vultures *Mercurii*, *Martis* Lupos, pigros *Saturni* Dracones, cave nihilominus aſcendas *Palladis* currum, licet enim ab antiquis hæc *Oleæ* repertrix habeatur, attamen

Horat. 1. Carm.
Jam galeam Pallas, *&* Ægida,
Curruſquè, & rabiem parat.

Cave inſuper *Matris Deorum* utaris conceſſu, *COELI* petentis ardua, nam

Lucret. lib. 2. de rer natur.
Hanc veteres Graïum *docti cecinêre Poetæ,*
Sedibus in curru bijugos agitare Leones.

Cave denique veharis indomitô *Bacchi* vehiculô, tùm quia

Ovid Metam. l. 4.
--Bijugum pictis inſignia frænis
Colla premit Lyncum.

Tùm quia

Virgil. Æneid. lib. 6.
Liber agit celſô Niſæ *de vertice* Tygres.

Poſſis tamen tutò ſi lubeat *Cereris* uti Rhedâ, propterea quòd

Ovid Metam. l. 5.
--Geminos Dea fertilis angues
Curribus admovit, fræniſquè coercuit ora.

Poſſis & eligere unam è quatuor *Zachariæ* quadrigis, iſtæ enim ſunt, *quatuor* Zachar. Proph. c. 6. venti *COELI, qui egrediuntur ut ſtent coram dominatore omnis terræ,* ſed hos inter magis arrident Orientales, ſiquidem eſt

Virgil. Æneid. 2.
-- Lætus Eois
Eurus *Equis.*

Et leniter ſine periculô

Horat. Odar. l. 4.
Eurus *per* ſiculas *equitavit undas.*

En tibi *Junonis* aptiſſima ſe præbet opportunitas, jam enim

Ovid Metam. l. 2.
-- Habili Saturnia *curru*
Ingreditur liquidum Pavonibus *æthera pictis.*

Quod ſi malueris *Tythoni* ad inſtar in *COELUM* rapi curriculô, quô

Virgil. Æneid. l. 6.
-- Roſeis Aurora quadrigis
Jam medium æthereô curſu trajecerat axem,

Vel eô quô

Idem. Ibidem l. 7.
Aurora *in roſeis fulgebat lutea* bigis,

Quæ & dicitur à *Theocritô* in *Hylâ* λευκιππος ἠώς non ſine *albis equis Aurora.* Si nimius *Solis* fulgor tibi perſtringat oculos, *Nocti* te crede, ſiquidem tàm ſæpè

Tibullus Elegiarum lib. 3. Eleg. 4.
Eſt Nox *æthereum nigris emenſa* quadrigis
Mundum.

Vel alterius ejuſdem currum elige, de quô fertur

Claudianus de raptu Proſerpinæ.
-- Sparſô Nox *humida ſomnô*
Languida Cæruleis *invexerat otia* bigis.

Finge te cum *Endymione Lunæ* amaſium,

Virgil Æneid. l. 10.
-- Almaquè curru
Noctivagô Phœbe *medium pulſabit* Olympum.

Athen. Dipnoſoph l. 9. c. 10.
Quòd ſi *Veneris* blandis delecteris avibus, ut *Paſſeres* omittam hujus currui junctos à *Sapphô* decimâ *Muſâ*, Ἀφροδίτην ἐπὶ ϛρουθῶν φυσιν ὀχεῖαθαι, dicam quòd illuc quò tendis ſæpè fuit

-- Venus

-- Venus *hìc invecta* Columbis,
Perquè leves auras junctis invecta Columbis.

Claudian. de laudib. Stilicon.

Atque in aliô curru
-- *Junctiſquè per aëra* Cygnis,
Carpit iter.

Hôc enim curru & leviter, & leniter vehi potes, de hôc enim dicitur,

Ovid. Metam. l. 14.

Vecta levi curru medias Cytherea *per auras*
Cyprum Olorinis *nondum pervenerat alis.*

Ovid. Metam. lib. 10.

Monitum pariter te jubeo lector, alterum *Solis* eſſe currum, nec fatalem.
At ſi Phœbus *adeſt, & frænis* Grypha *jugalem*
Riphæô, Tripodas *repetens, detorſit ab Axe.*

Claudian. de 6. Conſulat. Honorii.

Quòd ſi velut alterum *Herculem* ab *aquilis*
Te Pater Omnipotens inter cava nubila raptum
Quadrijugô curru radiantibus inferat aſtris,

Ovid. Metam. l. 9.

Quis contradicere audeat?

Scio, lector benevole, quòd mihi malis habere fidem aſſerenti *Oleam COELESTEM* eſſe plantam, quàm igneô curru, *equiſquè igneis* cum *Eliâ* per turbinem in *COELUM* aſcendere, ut ſermonum meorum veritatis teſtis oculatus eſſe queas.

1 Reg c. 2.

Addam quod tibi forſan magìs arridebit, ut ſcilicet immenſum navibus trajicias *æquor*, quoad tandem vel *æquinoctiali* circulô, vel propè ſubjaceas, nam tunc in eâ *ſphæræ* poſitione, ſingulis diebus oriuntur & occidunt *aſtra* ſingula, atque ex conſecutione videre poſſis *aſteriſmum Columbæ* cum *Oleæ*, quem ore profert ramô, quæ *conſtellatio*, quandoquidem nobis, qui degimus hìc in *Angliâ*, *perpetuæ* eſt *occultationis*, ut cum *Aſtronomis* ego loquar, quippequæ nobis nunquam oriatur. Propterea ut tam *COELESTIS* arboris ramus, *illìc à Deô conſtitutus à primô* mundi *naſcentis exordiô*, *licet ſeriùs agnitus*, noſtris oculis appareat, vel neceſſe eſt ut *COELUM* ipſum, vel orbem alterum adeamus, vel ſaltem eorum qui hunc illìc animadverterint, contenti ſimus authoritate, atq; *Globi COELESTES*, *Planiſphæriaquè* pro *COELIS* nobis exiſtant, in quibus ad *Polum Antarcticum* ſeu meridionalem eſt *dicta volucris*, *Oleæ virentis ramuſculum roſtrô ferens*, qui ſine dubiô aſteriſmus *Oleæ* non fortuitus, ſupervacaneus, aut uſum non habens, in illâ *COELI* parte nequaquam à Deô per tot ſecula collocatus eſſe poteſt.

Inauditum ſubjungam aliquid, amice lector. Unde fieri putas, quòd cùm aqua ſit terrâ levior, cur non terram eandem ſicut initiò, ſuis undequaque fluctibus amplectatur, Cur Ποσειδῶν dicatur *Neptunus*, hoc eſt, cur vincula pedibus habeat, nec eum in terram progredi natura permittat? Multi recurrent, ad miracula, atque ad Dei *Potentiam* & *Providentiam*, qui terminos *mari* poſuerit, ultra quos evagari non liceat; Nonnulli volunt ad *Polum Arcticum* ſive ſeptentrionalem plurimas eſſe ſtellas in *Urſis Dracone*, *Polôquè* vicinioribus *conſtellationibus*, quæ tantam vim, efficientiam tantam, tantamquè virtutem habeant, ut per ſuam ipſarum diffuſam circumquaque poteſtatem, aquis ſeſe firmiſſimorum murorum ad inſtar opponant, fluctus illarum, furoremquè contineant, reprimant, denſiſſimiquè velut aggeres coerceant. Quæ ſi de *conſtellatione Columbæ*, *Oleæquè* rami ad *Polum* oppoſitum dicta fuiſſent omnia, probabilia profectò, veriſimilia, credibiliaquè dicta fuiſſent omnia; quemadmodum enim *Iris* ſeu *COELESTIS arcus* non fuit niſi poſt *Diluvium*, *licet & ante viſum eſſet in nubibus*, inſtitutum à Deô ſignum, quòd ille nunquam iterum univerſali Cataclyſmô deleret orbem, ſic idem de *conſtellatione Columbæ*, *Oleæquè rami* factum arbitrandum eſt, quam in *COELIS* hominibus Deus poſt *Diluvium* oſtenderit,

Plato in Cratylo.

Clavius in Sphæram.

ut *æternum illìc Pacis, reconciliationis, miſericordiaquè divinæ ſymbolum haberent, monimentumquè ſempiternum*; Propterea etiam in eâ *COELI* parte eſt, unde plerumquè nimbi, pluviæ, tempeſtates oriuntur, quod & *Pelignus* vates pluribus deducit, dum quâ ratione *Jupiter* Diluvium immiſit in orbem, eleganti carmine proſequitur.

Ovid. Metam. l. 1.

Protinus Æoliis Aquilonem *claudit in antris,*
Et quæcunque fugant inductas flamina nubes,
Emittitquè Notum, *madidis* Notus *evolat alis,*
Terribilem piceâ tectus caligine vultum,
Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis,
Fronte ſedent nebulæ, rorant pennæquè, ſinuſquè,
Utquè manu latè pendentia nubila preſſit,
Fit fragor, & denſi funduntur ab æthere nimbi.

Item ab eâdem mundi regione,

Unà Eurus, Notuſquè *ruunt, creberquè procellis*
Africus, *& vaſtos volvunt ad littora fluctus.*

Virgil Æneid. l. 1.

Quæ cùm ita ſint, mihi videtur igitur *Olea* in eâ *COELI* parte conſtituta, ut extraordinarias, quæ *mundum* perdere denuò poſſent, inundationes comprimeret, cohiberet, refrænaret. Quamvis autem verborum meorum fluctibus, ingenium tuum obruere videar, lector benevole, verumtamen quòd non tantùm dicatur ideò *COELESTIS* Oliva, quia ſit in *COELO* reapſe, inter ſidera, ſed quòd in Empyreô ſit ultra ſidera, in æternâ duntaxat *ſanctorum* manſione, ſine ullâ diſputatione breviter aperio. Cùm vidiſſet *Propheta* candelabrum aureum, duaſquè ſuper illud Olivas, unam à dextris lampadis, alteram à ſiniſtris, quærit ab *Angelô*, *Quid ſunt duæ* Olivæ *iſtæ ad dextram candelabri, & ad ſiniſtram ejus*, reſpondit *Angelus*, *Iſti ſunt duo filii Olei ſplendoris, qui aſſiſtunt dominatori univerſæ terræ.* Hìc explicationes nullas profero, ſed eaſdem in alium remitto locum, quemadmodum & dictum hoc *Joannis* Theologi, *Hi ſunt duæ* Olivæ, *& duo candelabra, in conſpectu Domini terræ ſtantes*, *Arabica* verſio eſt, hi ſunt duæ radices Olivarum, id eſt arbores, vel rami Olivarum ut vertunt ſeptuaginta, quæ omnia innumeraquè alia obſervatione dignìſſima, hinc de induſtriâ ad *SAPIENTIÆ*, *JUSTITIÆQUE* ramos transfero, ſiquidem ſatis ſuperquè abundanter *Oleam COELESTEM* arborem demonſtravi.

Zachar. c. 4.

Apocalyp. c. 11

NIhil homines inter certius, nihil exploratius, manifeſtius eſſe nihil cenſeo, quàm *Reges, Imperatores, Monarchas, ſupremos Principes, ſummoſque* Rerumpublicarum *adminiſtratores, à Deô COELITUS humano generi conceſſos, tandiu* Rerumpublicarum *tenere gubernacula, quandiu videatur, & placeat Divinæ ſuæ Majeſtati.* Atquè ut à nemine revocari poſſit in dubium hæc aſſertio mea, hanc primùm apud *Iſraelitas*, deinde apud *Ethnicos*, tùm apud *Chriſtianos* nihil dubitationis pati poſſe confirmabo. Poſtremò neceſſariò concludam, & *Anglis* à *COELO* datum eſſe *PRINCIPEM* OLIVARIUM.

Ac primùm apud *Iſraelitas* nihil eſt apertius, ſi enim principem moderatoremq; eorumdem *Moſem* adeamus, audiemus dicentem illi Deum, cùm ſoceri ſui Sacerdotis *Madian* oves ipſe paſceret, *Mittam te ad* Pharaonem, *ut educas populum meum filios* Iſrael *de* Ægyptô, *ego ero tecum.* Porro mortuô *Moſe*, num electus eſt a Deô populi ſui ductor *Moſis* ſervus *Joſue?* Cui Deus, *Surge, & tranſi* Jordanem *iſtum, tu & omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis* Iſrael, *ſicut fui cum* Moyſe, *ita ero tecum, non derelinquam, nec dimittam te, confortare igitur, & eſto robuſtus.* Quid? Nonne poſt mortem *Joſue*, populo ſuo ducem Deus idem elegit? *Conſuluerunt filii* Iſrael *Dominum, dicentes, quis aſcendet ante nos contra* Chananæum, *& erit dux belli? Dixitquè Dominus*, Judas *aſcendet, ecce tradidi terram in manus ejus.* Num *Othoniel*, ab ipſômet Deô condonatus eſt illis, cùm à Rege *Meſopotamiæ* ſervitute premerentur? *Dominus ſuſcitavit eis ſalvatorem* Othoniel, *fuitquè in eô ſpiritus Domini, & Judicavit* Iſrael. Num adverſus Regem *Moabitarum, Suſcitavit eis ſalvatorem Nomine* Aod? Audi quid ad *Barach* ferat Prophetiſſa *Debora. Præcepit tibi Dominus Deus* Iſrael, *vade & duc exercitum in montem* Thabor, *tradam eos in manu tuâ.* Nunquid poſteaquam majores *Galaad* dixiſſent *Jephte, Veni & eſto princeps noſter, & pugna contra filios* Ammon, ipſorumquè ſermonibus acquieviſſet, nonne inquam, ſtatim *Factus eſt ſuper* Jephte *ſpiritus Domini?* Omiſeram quòd ut *Iſraelitas* ab oppreſſione *Madianitarum* liberaret, *Spiritus Domini induit* Gedeon. Norunt omnes primum *Iſraelitarum* Regem *Saul* à Deô datum ipſis fuiſſe. Alterum item, *Davidem* ſcilicet, tertiumquè *Salomonem*, cæteroſquè *Judæorum* Reges inſtitutos à Deô fuiſſe. Sed audi ſacros de iiſdem annales, *Dixit Dominus ad* Salomon, *quia non cuſtodiviſti pactum meum, ſcindam Regnum tuum, & dabo illud ſervo tuo, verumtamen in diebus tuis non faciam, propter* David *patrem tuum, de manu filii tui ſcindam illud, nec totum Regnum auferam, ſed tribum unam dabo filio tuo, propter* David *ſervum meum*, & Jeruſalem *quam elegi.* Idem habemus ibid. dictum *Jeroboam* ab *Abiâ* Prophetâ, *Hæc dicit Dominus, ego ſcindam Regnum de manu* Salomonis, *& dabo tibi decem tribus, Porro una tribus remanebit ei propter ſervum meum* David, *&* Jeruſalem *Civitatem quam elegi, ut eſſet nomen meum ibi. Habetur præterea in ſacris annalibus, Noluit autem Dominus diſperdere* Judam, *propter* David *ſervum ſuum, ſicut promiſerat ei ut daret illi* Lucernam, *& filiis ejus cunctis diebus.* Ex quibus manifeſtè colligitur, Reges omnes *Judæorum* ab ipſômet Deô, ſine ullâ controverſiâ, Regnum accepiſſe.

Exod. 3.

Joſ. 1.

Judic. 1.

Judic. 3.

Ibidem.

Judic. 4.

Judic. 11.

Judic. 6.

Reg. penul. c. 11.

Ibidem.

Reg. ult. c. 8.

Verùm miretur hìc aliquis, *Idololatris* & à Deô Regnum conceſſum eſſe. Num *Jeroboam, Iſraelem* ob rationem politicam, quod & ſucceſſores ipſius in Regnô præſtiterunt, in *Idololatriam* induxit? Et tamen nequaquam hoc ignorans Deus, illum populo ſuo præfecit, quem tamen ſic abhorruit, ut per Prophetam *Abiam* hæc ei ſignificarit, *Qui mortui fuerint de* Jeroboam *in civitate, comedent eos canes, qui autem mortui fuerint in agrô, vorabunt eos aves Cæli,*

eo n-

conſtituet autem ſibi Dominus regem ſuper Iſrael, *qui percutiet domum* Jeroboam. De *Baas* autem loquitur, *Iſraelitis* à Deo datô rege, qui quemadmodum & *Jeroboam*, etiam in *Idololatriam* populum induxit, unde exprobrat illi Deus, *Exaltavi te de pulvere, & poſui te ducem ſuper populum meum* Iſrael. Num hoc à Deô mandatum accepit *Elias*, Jehu *filium* Namſi *unges ſuper* Iſrael? Quod tamen effecit diſcipulus ejus *Elizeus* per unum è filiis prophetarum, qui ait ad *Jehu*, effundens lenticulam olei ſuper caput ejus, *Hæc dicit dominus Deus* Iſrael, *unxi te regem ſuper populum Domini* Iſrael, *& percuties domum* Achab. Cui Deus ipſemet, *filii tui ſedebunt ſuper domum* Iſrael *uſque ad quartam generationem*, hoc eſt ad captivitatem *Babylonicam*. Mirum eſt quì Deus *Idololatris Samaritanis*, *Iſraelitis* tamen, ſemper Reges elegerit, & Regesquidem *Idololatras*. Quòd igitur Deus, tùm *Judæis*, tùm *Iſraelitis* reliquis, principes ipſe dederit, tàm verum eſt, quàm quod veriſſimum.

Reg. penult. cap. 14.

Ibid. cap. 16.

Ibid. c. 19. Reg. ult. cap. 9.

Ibid. cap. 10.

Jam in gentibus, ethniciſquè factitatum idem à Deô probare nobis incumbit, quod ſic à nobis, ipſômet Deô juvante, fiet, ut contradicere nemo prorſùs audeat. Cùm *Iſraelitas* in terram *Canaam* introduxiſſet Deus, oblitiquè Dei ſervirent Idolis, *Iratus contra* Iſrael *dominus*, *tradidit eos in manus* Chuſan-Raſathaim *Regis* Meſopotamiæ, *ſervieruntquè ei octo annis*. Videſne gentilem hunc Regem, à Deô, populo ſuo præfectum eſſe? Num propter rationem eandem Deus *confortavit adverſus eos* Eglon *Regem* Moab, *qui percuſſit* Iſrael, *atquè poſſedit* urbem Palmarum, *ſervieruntquè ei filii* Iſrael *decem & octo annis*; Et hunc Gentilem populo Dei ab ipſômet Deô præpoſitum intuere. Nonne *tradidit illos ſimiliter in manus* Jabin *Regis* Canaam? *Qui per viginti annos vehementer oppreſſit eos*. Tres gentiles iſti reges, quibus populum ſuum Deus commiſit, ad propoſitionis meæ veritatem ſufficerent, Nihilominus aliorum, & quidem omni genere validiora proferam exempla, tibiquè gratiora, lector amantiſſime.

Judic. 3.

Ibid.

Judic. 4.

Equidem ut verum fatear, non me parva tenuit aliàs admiratio, quì Deus, *Eliam* populi ſui prophetam, juſſerit ungere in gentilis *Syriæ* regem gentilem, paganum, *Idololatram*, ad populum ſuum nullô modô pertinentem, immò populum ſuum deſtructurum, *Hazael*. *Unges* Hazael *ſuper* Syriam. Sed admirationem meam auxit ſomnii *Nabuchodonoſor* per *Danielem* hæc interpretatio, *Tu rex regum es*, *& Deus COELI regnum*, *& fortitudinem*, *& imperium*, *& gloriam dedit tibi*, *& omnia in quibus habitant filii hominum*, *& beſtiæ agri*, *volucres quoque Cæli dedit in manu tuâ*, *& ſub ditione tuâ univerſa conſtituit*. Præterea ſcriptionem manus ad parietem aulæ regiæ *Balthaſaris*, cum ejuſdem per *Danielem* explicatione, conſidera. *Numeravit Deus regnum tuum*, *& complevit illud*, *diviſum eſt regnum tuum*, *& datum eſt* Medis, *&* Perſis. Animadverte quæſo lector, quod non tantùm Deus det imperia, ſed & Imperiorum tempus determinet. Vidimus in Olivario primô, quì Deus per *Iſaiam*, ducentis & decem annis ante *Cyri* ætatem, *Cyrum* eundem jam tùm in regem Deus unxerit. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo* Cyro, qui tamen fuit ethnicus & ſerviens *Idolis*, cùm dicat hìc Deus, *Accinxi te*, *& non cognoviſti me*, licet habeatur apud *Eſdram*, *Hæc dicit* Cyrus *Rex* Perſarum, *omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus COELI*. Poſſem & in confirmationem partis iſtius multa variis ab authoribus petita in medium proferre, verùm cùm ea quæ produxi divinam habeant authoritatem, his humanam addere ſi vellem, fiduciæ cauſæ meæ non modò detraherem, ſed & authoritati tantæ ſummam irrogarem injuriam.

Reg. penu. c. 19

Dan. 2.

Dan. 6.

Iſaiæ 45.

Eſdr. 1. cap. 1.

Propterea ad tertiam Propoſitionis meæ partem, quæ de *Chriſtianis* eſt, accedo, quam probare *Chriſtianis* videtur omninò ſuperfluum. Si Deus enim

enim *Iſraelitici* populi ſic proni ad *Idololatriam*, ſi *Paganorum* ita curam Deus habuerit, ut rectores illis ordinaverit, quid de populis illis, qui ſic chari Deo fuêre, ut pro illis homo fieri, moriquè voluerit, dicendum exiſtimas. Quòd ſi non eandem in *Chriſtianis* regendis Dei curam, providentiamquè parem, ne dicam majorem, quis admittat, certè *Chriſtianos Paganis* deteriores arbitratur, *Chriſtianamquè* religionem meram fabulam, pejoremquè ducit *Idololatriâ*. Quod *Chriſtianorum*, quibus hæc ſcribo, nemo certus ſum admittet, ſciunt enim omnes, quod dicit *Apoſtolus*. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deô, quæ autem ſunt, à Deô ordinata ſunt: Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt, nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali, vis autem non timere poteſtatem, bonum fac, & habebis laudem ex illâ, Dei enim miniſter eſt tibi in bonum, ſi autem malum feceris, time, non enim ſine cauſâ gladium portat, Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei, qui malum agit. Ideoquè neceſsitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ideò enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Rom. 11. Cùm autem hoc ſcriberet *Apoſtolus*, poteſtates omnes, quibus ſubditi erant *Chriſtiani* per totum terrarum orbem, erant omnes *Idololatræ*, & præſertim *Romanæ*, quæ multitudinem Deorum innumeram admittebant, & tamen ordinatas omnes à Deô dicit *Apoſtolus*, jubetquè *Chriſtianos* omnes, etiam propter *conſcientiam* illis ſubdi, eâ ſolâ ratione, quòd tales *principes, ſint miniſtri Dei, Dei Legati, Dei Proreges, á Deô nominati, dati, miſſi, inſtituti, uncti, cujus ſolius ſit illos ordinare, cùm ſit ille ſupremus orbis Monarcha, atque per ſuos miniſtros velit orbem adminiſtrari.*

Quamobrem non admittit ullas *Chriſtianorum* excuſationes *Paulus*; talis imperator, Rex, Princeps, Magiſtratus, crudelis eſt, ignobilis, nobis infenſiſſimus, belluïnus, non electus legitimè, per tumultum militum & ſanguinem evectus, *Chriſtianorum* lanienam exercens. Non admittit inquam iſta, neque ſimilia, ſed ait abſolutè, *Non eſt poteſtas niſi à Deô.* Ergo ſi tibi miniſtrum ſuum præfecit Deus, hunc tanquam primum à Deô tibi præfectum conſidera, neque enim tuum eſt inquirere, cujus conditionis ille ſit, qualitatiſve? A quónam ortus? Quàm literatus? Quibus moribus præditus? Quàm profiteatur ille religionem? & ſimilia plurima, quæ divinam providentiam immediatè ſpectant, non enim tibi, ſed ei à quô poteſtatem habent, adminiſtrati principatus rationem ſunt illi reddituri. Unde *Chriſtus* ipſemet, quem in regem ſæpe *Judæa* plebs cupiebat eligere, tributum *Cæſarì* pendere voluit, licet *Judæi* non ſuum legitimum regem, ſed uſurpatorem regni ſui, ſed *Tyrannum* arbitrarentur. *Chriſtus* autem *Cæſari* datum à Deô regnum agnoſcens, hunc patris ſui miniſtrum agnovit. Unde præterea cum *SORBONÆ* doctoribus infero, licet detur quod ſummus *Pontifex Romanus* ſit vicarius *Chriſti*, non tamen inde poteſt inferri, quòd ille deponendorum regum poteſtatem habeat, dandorum regnorum, quibus placeat authoritatem, ſubditorum ab ſupremorum principum obedientiâ, juramentôquè fidelitatis eiſdem præſtitô liberandorum potentiam, datô inquam, quòd in terris ſit ille vicarius Chriſti, non majori poteſtate præditus eſſe poteſt, quàm Chriſtus fuerit, vel ſaltem eſſe voluerit: certum enim eſt quòd regnum Chriſti, non fuerit temporale, cùm dixerit ipſemet: *Regnum meum non eſt de hôc mundô*, tributumquè *Cæſari* pendere voluerit. Unde ſi *Romanus Pontifex* in aliquibus locis ſupremum non haberet dominium, poteſtatem, juriſ- Joan. 18.

dictionemquè ſupremam, certè non video quô jure à non perſolvendô principibus aliis tributô, quorum in terris ille degeret, legitimè atquè in rigore ſe poſſet eximere, cùm ab hôc ipſemet *Chriſtus* immunis eſſe noluerit.

Enimvero ut ad propoſitum revertar, conſtat abſolutè ſine additô, poteſtatem omnem ſupremam in homines ab ipſômet Deô conſtitutam eſſe, Immò & crudeles, vitioſos, hypocritaſquè Principes, ab eôdem authoritatem ſuam immediatè derivare. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi ſui*; Tandiuquè gubernare, quoad illos tandem, accidentariâ nobis ratione, cùm ipſi placuerit, aliis præpoſitis amoveat. Vidimus enim ſuprà, Deum populum ſuum Regi *Meſopotamiæ* per annos octo tantùm ſubjeciſſe, per annos octodecim Regi *Moabitarum*, per annos viginti Regi *Canaan*, per annos autem ſeptuaginta Regibus *Babyloniorum*; Eos inquam amovet, cùm & quâ placet ei ratione.

Job 34.

Judic. 3. & 4.

Num placet *Dionyſium* adire juniorem potentiſſimum *Siciliæ Locrenſiumquè* Regem, qui cùm exercitum centum millium peditum, & equitum decem millium continuò ſervaret, præter quadringentas longiores naves bellicas, poſtquam triginta octo Regnaſſet annis, tandem amotus à Deô, degere *Corinthi* in ſummâ coactus eſt egeſtate, cum viliſſimâ *Popinariâ*, ibidemquè poſteà, ut vitæ ſuæ conſuleret, agere *Ludimagiſtrum*?

Diodor. lib. 16. Plutarch. in Timoleonte Trogus Hiſt.

Viſne potentiſſimi Regis ultimi *Macedonum Perſei* filium *Alexandrum*, ut vitam quærat, tùm officium *Scribæ*, tùm *artem tornandi Romæ* publicè profitentem, intueri?

Plutarch in Paul. Æmil.

Unus è *Palæologis* Monarcharum omnium Orientis glorioſiſſimis, qui ſe dicerent, ut ſuprà vidimus, *REGES REGVM REGNANTES IN REGES*, *arte pingendi* vitam ſuam toleravit.

Hiſtor. cur. Tur. Baud. c. 1. Garaſſ. ſumm. Theolog. Tract 2. Sect. 14.

Vide *Bajazethem* quintum *Turcarum* Imperatorem ſuperbiſſimum, crudeliſſimumquè, poſtquam per decem annos continuos fruſtrà *Conſtantinopolim* obſediſſet, ad caput centum viginti millium armatorum, ab *Tammerlanô Tartarorum* Imperatore captum, ferreâquè incluſum caveâ, ſub illius menſâ veſci micis, Oſſaquè canis ad inſtar ibidem corrodere.

Hiſtor. Turc. Bau.

Audi denique *Beliſarium* Imperatorem innumeris elatum victoriis, clarum triumphis, nobilitatum trium Regum captivitate, in tugurioló ad viam publicam, orbatum utrôque lumine, clamantem, *DA VIATOR OBOLUM BELISARIO.*

Volateran. hiſtor.

Hæc, innumeraquè ſimilia, ſatis evidenter probant, amice lector, à Deô Principes erigi, deprimiquè cùm libeat. Ut ſileam ab joculatore Lucianô viſos in inferis Reges, Principes, Satrapaſquè mendicantes πτωκεύοντας, aut Salſamenta vendentes ἤτοι ϑαριχοπωλοῦντας ὑπ' ἀπορίας, aut præ inopiâ primas profitentes literas, ἢ τὰ πρῶτα διδάσκοντας γράμματα. Atque inter ipſos conſpectum in angulô *Philippum Macedonem* detritos mercede reſarcientem calceos, ἐν γωνιδίῳ τινὶ μισθοῦ ἀκούμενον τὰ σαθρὰ τῶν ὑποδημάτων. Cognitos à ſe præterea mendicantes in inferorum triviis *Xerxes*, *Darios*, *Polycrates*, ἐν ταῖς τριόδοις μεταιτοῦντας Ξέρξας, Δαρείους, Πολυκράτεις. Jocatoris inquam iſtius omiſſis cachinnis.

Lucian in Menipp.

Si verum eſt, ut eſt veriſſimum, quòd Deus Nationibus omnibus rectores per ſeipſum immediatè, mediantibus tamen aliquibus, quæ nobis accidentaria, fortuita, factaquè caſu cæcô videntur, rectores inquam, eoſquè duros, aſperos, horridos, inhumanos, quibus populorum peccata puniat, præponere ſæpè ſoleat; Profectô nullò modô dubitandum eſt, quin cultoribus electiſquè ſuis bonos provideat principes, quales fuêre *Conſtantini Magni*, *Clodovæi*, *Juſtiniani*, *Caroli Magni*, cæteri, qui tanquam populorum patres dati ſunt illis à Deô.

Deô. Nec enim, inquit *Xenophon*, bonus princeps differt à bonô Patre, ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ. Qui ſint veri populorum paſtores, qui ſint eorumdem medici chirurgiquè. Propterea legitur apud *Iſaiam*, *apprehendet vir fratrem ſuum domeſticum patris ſui, veſtimentum tibi eſt, Princeps eſto noſter, ruina autem hæc ſub manu tuâ, reſpondebit in die illâ dicens non ſum medicus, & in domô meâ non eſt panis, neque veſtimentum, nolite me conſtituere Principem populi.* Quaſi dicat, fulci Rempublicam noſtram labantem ac deſperatam, ne corruat, reſpondebit autem ſe non eſſe medicum, neque chirurgum, ut tanto malo mederi, illudquè curare poſſit, *Hebræi* enim codices habent pro medicô, *CHOBES*, hoc eſt Chirurgus, unde ſummus princeps dicitur à *Græcis* ἄναξ ab ἄκος id eſt medela, quòd ſubditorum ſuorum malis, quæ ſint morbi politici, remedium adhibere quâvis ratione teneatur, ſubditorumquè ſuorum neceſſitatibus providere, unde ſcribens ad *Juſtinianum* Imperatorem *Agapetus*, ait, quòd quemadmodum oculus innatus eſt corpori, ſic Imperator aptatus ſit mundo, atque à Deô pro rerum adminiſtratione datus, quæ ſint utiles populiſquè convenientes, ὥσπερ ὀφθαλμὸς ἐπίφυκε σώματι οὕτω βασιλεῦς τῷ κόσμῳ ἀνήρμοσται ὑπὸ τοῦ θεοῦ διεσκεμένος εἰς συνεργίαν τῶν συμφερόντων. Oportet igitur eum omnibus hominibus, quaſi propriis membris proſpicere, ut proficiant in bonis, nec offenſaculô malorum illidantur. χρὴ οὖν αὐτὸν ὡς οἰκείων μελῶν οὕτω πάντων ἀνθρώπων προνοεῖν. Boni præterea principes ſunt veluti *BASES* populorum, in quibus ipſorum vita & ſalus, divitiæ, omnia ſua fundata ſint; propterea ſapienter dicitur à *Græcis* βασιλεὺς Rex, Princeps, Imperator, Monarcha, βάσις τοῦ λεῶ, *baſis populi*, nam ex eô quòd aliquis principatum, regimenquè populorum admittit, hôc ipſô vult illorum eſſe cuſtos, βούλεται ὁ βασιλεὺς εἶναι φύλαξ, ut ii quidem qui copiis & facultatibus abundant, nullâ injuriâ afficiantur, populus verò nullis vexetur contumeliis, ὅπως οἱ μὲν κεκτημένοι τὰς οὐσίας μηθὲν ἀδικον πάσχωσιν, ὁ δὲ δῆμος μὴ ὑβρίζεται μηθέν.

Xenophon. Cyropæd. l. 8.

Iſa 3.

Αγάπητος Ιουστινιανῷ

Ariſt. 5. Polit. c. 10.

Denique cùm ſit *Princeps hominibus datus à Deô, Dei Legatus, Dei prorex, Dei vicem gerens, illum veluti Deum inter homines exiſtere conſentaneum eſt,* ὥσπερ θεὸν ἐν ἀνθρώποις, *illos bonorum omnium, quacunque ratione poſſit, abundantiâ cumulando, iiſquè fælicitatem ſaltem terrenam, politicamquè, cum rerum omnium affluentiâ pacificè procurando.*

Idem. Polit. l. 3. c. 13.

Quod in te totum *ſereniſſime*, nec non *Auguſtiſſime* Princeps OLIVARI, niſi tùm corporis, tùm animi luminibus ſit orbatus, negotiô nullô videre quivis poteſt.

Ecquis enim eſt ſic projectæ frontis & audaciæ, oris tàm duri, tàm rationis inops, tamquè ſenſus expers, qui negare audeat à Deô te datum immediatè Principem *Angliæ*, *COELI* te Legatum hìc eſſe, Dei Vicarium, Dei Miniſtrum, à Deô præpoſitum huic Nationi, cùm ſupremos Nationum omnium rectores ubique locorum, etiam *Ethnicos*, eoſquè *Idololatras* ab ipſômet Deô conceſſos, ordinatoſquè *PRINCIPES* earumdem, immò populi ſui ſuprà viderimus.

Quid? Cùm OLIVARIUS hìc ab orbe totô ſupremus *Angliæ* rector jampridem agnoſcatur, poteſtatemquè diu ſupremam exerceat, quinam fieri poſſit, *quandoquidem omnis poteſtas eſt à Deô*, ut non ſit OLIVARIUS datus à Deô? An contra decretum & ordinem Dei, qui ſit ipſe Deus exercituum, ſibi potuit OLIVARIUS *Anglicô* cum exercitu ſupremam hìc authoritatem adſciſcere? Quid? Mutabiliſnè Deus eſt? Qui per ſeipſum velit Nationum omnium moderatores ſupremos omnes eligere, & tamen hìc ſit OLIVARIUS non delegatus ab eo? Quid? Anne Deus ignarus eſt, qui contra ſua decreta ſummam in *Angliâ* poteſtatem exercentem OLIVARIUM neſciat? O Dementiam inauditam! O ſtoli-

ſtoliditatem pluſquàm belluinam ! O blaſphemiam deteſtabilem ! Nemo ſanæ mentis, certus ſum, in orbe totô reperiri poteſt, qui cum ratione negare poſſit, OLIVARIUM æquè datum à *COELO PRINCIPEM*, atque quiſquam à Deô datus unquam fuerit.

Ex ſuperioribus, ſic manifeſtum, & evidens iſtud eſt, atque ex illis in ſequelâ, conſecutioneque neceſſariâ ſic deducitur, ut illud probare diutiùs, pluribuſque, ſit omninò ſupervacaneum.

Addam tamen hìc aliqua *PRINCIPATUS* OLIVARII prævia ſigna, quæ certè quemlibet in illum obfirmatum, pertinacem, obſtinatum, ad rationem revocare valeant.

Primum petitur ab impoſitione nominis OLIVARII, de quô cùm jam anteà ſuô locô ſatis ſuperquè diſputarim, non eſt quòd repetitione ſuperfluâ tibinauſeam, tædium vel faſtidium ingenerem, amice lector. Quamobrem OLIVARII PUERI *ſomnia* diſquiro.

Neque enim is ego ſim, qui *ſomniis* fidem adhibendam eſſe cenſeam, quamvis plurima de *ſomniis* à multis ſcripta ſint, ut quæ falſa, quæ vera ſint, agnoſcere quis poſſit.

Virgil Æncid. 6.

In mediô ramos, annoſaquè brachia pandit
Ulmus *opaca ingens, quam ſedem* ſomnia *vulgò*
Vana tenere ferunt, foliiſquè ſub omnibus hærent,

ait Poeta, tùm quæ vera, quæ falſa ſint ſic aperit.

Sunt geminæ ſomni portæ, quarum altera fertur
Cornea, quâ veris facilis datur exitus umbris.
Altera candenti perfecta nitens Elephantô.
Sed falſa ad COELUM mittunt inſomnia manes.

Ovid. Met. m.

Ovidius pariter ſomni Regiam eleganter deſcripſit, circa quem omnia *ſomniorum* genera collocat.

Hunc circa paſſim varias imitantia formas
Somnia *vana jacent, totidem quot meſſis ariſtas,*
Sylva gerit frondes, ejectas littus Arenas.

Et cætera, quæ pluribus proſequitur.

Lucian. veræ hiſt. l. 2.

Lucianus verò omnium ingenioſiſſimè ſomno civitatem extruxit, ubi multa lectione non indigna ſubtiliter admodum collocat. Præterea *ſomnia* ſtatuit illìc aurea, argentea, monſtroſa, quæ terreant, quæ largiantur epulas, quæ regna promittant. De *ſomniis* extat etiamnum juſtum *Arthemidori* volumen.

Cicer. de Som. Scipion.

Tullius autem librum eruditiſſimum ſcripſit de *ſomniô Scipionis*, ubi Deum æternum, huncquè Regentem orbem clariſſimè, doctiſſimequè demonſtrat.

Macrob. de Som. Scipion.

Porro *Macrobius* vir conſularis, maximequè literatus, & de *ſomniô Scipionis* ſcripſit, ubi ſolidè admodum de ſubjectâ materiâ diſputat, *Omnium quæ videre ſibi dormientes videntur, inquit, quinque ſunt principales diverſitates, & nomina, aut enim eſt* ὄνειρος *ſomnium*; *aut* ὅραμα *viſo*; aut χρηματισμὸς *Oraculum*; aut ἐνύπνιον *inſomnium*; aut Φάνταſμα *viſum*. De quibus omnibus peritè admodum, copioſequè diſſerit.

D. Gregor. Dialog. l. 4 c. 48.

Divus autem *Gregorius* ſex *ſomniorum* genera numerat, *Sex modis*, inquit, *tangunt animum imagines* ſomniorum; *aliquando, namq;* ſomnia *ventris plenitudine, vel inanitate, aliquando verò illuſione; aliquando cogitatione ſimul, & illuſione, aliquando Revelatione, aliquando aut cogitatione ſimul & Revelatione generantur.*

Joannes Clymacus Scæ grad 3. S. P. Antioch. περὶ ἐνυπνίων.

Multa ſimiliter de *ſomniis* habet ſanctus *Joannes Clymacus*, quæritquè rationem, quare ſæpè *ſomniantes Prophetent*. Scripſit & Sanctus Pater *Antiochus* Homiliam ſuam octuageſimam quartam de *ſomniis*.

Per

Per quæ ſuperiora, non libet explicare *ſomnia*, dixerim potiùs *VISIONES, REVELATIONES, PROPHETIAS* OLIVARII *PUERI*. Dum inter dormiendum ſæpè Deus aperit illi, quòd Rex *Angliæ, Scotiæ, Hyberniæque* futurus eſſet, unde cùm non ſatis aſtutus puer, *ſomnia* ſua ſuis ſodalibus inter ludendum ſæpiùs aperuiſſet, adquè parentis aures ludiquè magiſtri perveniſſent, objurgatus primùm, tùm virgis, & à patre, & à ludi magiſtrô ſæpè cæſus eſt, innocentiæquè pœnas ſæpè luit puer innocuus. Quæ certiſſima ſunt univerſa, vivunt enim etiamnum multi, qui prima cum OLIVARIO literarum rudimenta didicerint, eorumdem teſtes & auriti & oculati, quæ & ipſemet accepi, tùm à generoſis, tùm à juriſperitis, tùm à fide dignis mercatoribus, quod ſic vulgare jam hìc eſt, ut in omnium ore communiter verſetur, frequentiquè ſermone teratur.

Jam dicamus ad rem aliquid. Nemo eſt qui velit univerſaliter affirmare *ſomnium* quodcunque vanum, inane, futile; cùm tàm apud prophanos, quàm ſacros authores veriſsima plurima reperiamus, qualia fuerunt, ut de profanis ſileam, *ſomnium* pueri *Joſeph* de futurâ ejuſdem magnitudine, *ſomnium Pharaonis* de fertilitate ſterilitatequè annonæ, *ſomnia Nabuchodonoſor*, de quibus *Daniel*, *ſomnia Joſephi* beatæ virginis conjugis, nemo eſt, inquam, qui judicet æqualiter eſſe falſa omnia *ſomnia*, cùm etiam gentilis Poeta fateatur, quòd aliquando ſit à Deô *ſomnium*. Sacri Codices

-- ὄναρ ἐκ Διός ἐϛιν. Homer Iliad. β

Veriſſimequè dicat *Hermogenes* ille *Xenophonteus*, quòd omnia ſciens, omniaquè potens Deus, noſtriquè curam habens, ſæpè nobis voluntatis ſuæ Nuntios *ſomnia* mittat, ἀγγέλους ἐνύπνια, quibus quid faciendum, quid ſit omittendum ſignificet, ἅτε δεῖ, ἅτε χρὴ ποιεῖν. Xenophon in Synopſio.

Enimvero quandonam à Deô *ſomnium* eſſe, quandonam à Deô non eſſe cognoſcere poſſimus? Miror, amice lector, quòd per teipſum hoc, quod adeò clarum eſt, decernere nolis. Si quis, preſertim puer, qui nugis, ineptiis, vanis, futilibus, inanibuſquè ludis plerumquè detineatur, videat aut audiat inter dormiendum, quod poſt annos quadraginta vel plures, quemadmodum anteà viſum & auditum eſt, accidat, Nonne *pueri ſomnium eſt à Deô? Nonne Angelus Dei? Nonne Viſio? Nonne Revelatio? Nonne Prophetia?* In re tàm manifeſtâ pudet me tàm multa ſcribere.

Progredior, indubitatum eſt quòd ex *Phyſiognomiâ* mores hominum, naturam, inclinationes, futuraquè ex corpore, vultu, oculis, fronte, non neceſſariò tamen, ſed valdè probabiliter prænoſcere poſſimus. Unde fit in judiciis cùm è duobus conſtat alterutrum criminis eſſe reum, nec uter ſit deprehendi poſſit, ut qui *Phyſiognomiâ* deteriori ſit inhonoratus, pejor habeatur.

Rem hìc extraordinariam narrare placet. *Joannes Nivernenſis* comes, Dux *Burgundiæ*, cùm *Gallorum* duceret exercitum in *Turcas*, ut in illos *Sigiſmundo Hungariæ*, Regiferret opem, ſpe majoris gloriæ ductus Juvenis *PRINCEPS*, exercitu *gallicô*, non expectatis *Hungaris, Alemannis, Rhodiiſquè, Turcas* aggreditur, atque ut animoſiùs fortiuſquè pugnaret, cum ſuis deſilit ex equô, quod perditionis *Chriſtianorum* cauſa fuit, nam cùm exercitus vicini, ut ſe *Gallis* adjungerent, accelerarent, viſis *Gallorum* palantibus equis, hos cæſos omnes arbitrati ſunt, propterea promiſcuè ſaluti fugâ conſulunt, quos inſequentes *Turcæ*, vel internecioni dederunt omnes, vel cepêre captivos, dum interim *Galli* vitas ſuas cariſsime divenderent, proſtratis quadraginta *Turcarum* millibus, qui tandem oppreſsi multitudine, laboribuſquè fracti, ferè omnes cecidêrè, nonnullis captivis abductis, quos inter, fuit ipſe *Joannes* Comes *Nivernenſis*: Cùm autem octo ſoli, ut pretium redemptionis ſolverent, à *Turcis* Hiſtor Turc. Band 1 b. 2. c. 4

ſervarentur, trecenti clariores è *Gallîâ* nobiles adducti coram *Bajazethe*, ipſô ſpectante mandantequè nudi ſigillatim à *Janniſariis* in fruſta conciſi ſunt. Cùm autem *Bajazethes* conciliumquè vellent *Joannem Nivernenſem*, etiam reliquorum inſtar occidi, quippe qui magis eſſet in culpâ, cùm illuc tanta nobilitatis multitudo, nunquam ipſô niſi ductore veniſſet. Conſideratô Juvene, ſurrexit unus è Conciliô, *Bajazethemquè* deterruit, ne Comiti vitam eriperet, hâc ratione ſolâ motus, quòd *Otthomannici* Majeſtas Imperii magnitudoquè, *Chriſtianorum* à ruinâ dependeret. Quòd ſi Juvenem hunc ambitioſum cædat *Bajazethes*, virum tantùm unum auferat ab hoſtibus, ſi verò ſervet eundem, quòd innumeras *Chriſtianorum* ſtrages cauſaturus ille ſit, & quòd ipſe ſolus ſit futurus plurium malorum inter *Chriſtianos* author, majoremquè ſit cauſaturus *Chriſtiani* ſanguinis effuſionem, quàm *Turcarum* exercitus omnes per multos annos effundere poſſent, ſe *infallibiles* in ejuſdem Juvenis facie eâ de re videre *PROPHETIAS*. Hôc auditô ſervavit Juvenem *Bajazethes*. Confirmavit autem eventus vera fuiſſe, quæ ex ipſius *Phyſiognomiâ* prædicta fuerant. Nam ipſe poſteà ducem *Aureleanenſem Franciæ* Regis fratrem juſsit occidi, unde *malorum Ilias*. Ipſemet enim à *Delphinô Carolô*, *Caroli* ſexti Regis filiô, propterea de mediô ſublatus eſt, unde *Philippus Burgundiæ* Dux, *Joannis* interfecti filius, in *Gallias Anglum* advocat, tradit illi Regem *Carolum*, Reginam, *Pariſios*, unô verbô totum Regnum, *Carolus* autem freneticus exhæredat filium *Carolum Delphinum*. *Catharina*, verò Regis *Caroli* filia *Anglorum Henrico* Regi deſponſatur, qui *Pariſiis Franciæ* Rex Coronatur, unde tantæ miſeriæ, tanta calamitas, tantæ ſtrages, tanta Chriſtiani ſanguinis effuſio, quantam ex dicti *Joannis* Comitis *Nivernenſis* facie *Turca* prædixerat, evenêre.

Annales omnes Franciæ.

Stupendum quid addô, cùm Sereniſſimus, Auguſtiſſimuſquè *Carolus Britanniæ* Rex ultimus, ſcripſiſſet ad Agentem Reginæ conjugis ſuæ Romæ Reſidentem, ut ab *Italô* ſculpendi marmoris arte celeberrimô, ſuum ipſius è marmore *ſignum* habere poſſet, ſeipſum hìc ab Equite *Van Dyke* pictore non ignobili, ad vivum, quàm proximè fieri potuit, exprimi jubet in tabellâ, quam ad dictum Agentem *Italo* ſculptori tradendam miſit, cum mandatô ne cujus hæc eſſet effigies ediceret, quam cùm attentè ſatis diu ſculptor conſideraſſet, ait miniſtro Reginæ, ſe nunquam magis infortunatam faciem aſpexiſſe, ſequè nolle diutiùs tàm mali ominis faciem intueri; Regi per epiſtolas reſpondet prudens miniſter, quòd tantum opus ſculptor, præ negotiorum multitudine, nullâ ratione poſſet aggredi, cùm in multos inſequentes annos deſtinatam haberet materiam. Rex urget negotium tùm precibus, tùm vi pecuniarum, tandemquè ſignum evincitur, *Italicâquè* navi *GRINVICHUM* ad *Tameſim* advehitur, Rex tunc in *Otlandiæ* caſtellô degens, ſimulachri ſui viſendi ſtudiô, ſtatim ut audit appuliſſe, *GRINVICHUM* adit, ex cujus Regiâ porticu, ubi depoſitum fuerat ſignum, jubet in hortum illicò transferri, ubi dum illud attentiùs intuetur atque circumſpicit, plurimis cum ipſô Nobilibus tantum opus admirantibus, Ecce tibi ſupervolans avis ſanguinem in Regis è marmore caput, qui per ſtatuæ faciem effluxit, ad rei novitatem Rege ſtupefactô, demiſit. Hoc poſt initium majoris *Angliæ* Parlamenti ab generoſô fide dignô, eôquè Regis domeſticô, qui tunc in hortô *GRINVICHI* cum Rege dictum contemplabatur marmor, quiquè ſanguinem emiſſum ab ave ſuô ipſemet abſterſit ſtrophiolô, fideliter accepi.

Cumquè ego ipſe paulò poſt per Cambium negotiorum gratiâ facerem iter, vidi & obſtupui ſceptrum ex Regii ſimulachri manibus illic excidere. Nec multò poſt ambulans cum ſereniſſimô duce *Gueldriæ Ludovicô*, *Hæmundæ* Comite,

Comite, qui me ſuum hìc in *Angliâ Plenipotentiarium* poſteà conſtituit, cùm inquam familiariùs cum eôdem aliquando colloquerer, aperuit ille mihi, quòd cùm eſſet *Madridii* in *Hiſpaniâ*, didiciſſet à *Moniali* quâdam, quæ vulgò Prophetiſſa crederetur, quòd *Cambriæ* Princeps *Carolus* cum duce *Buckinkamiô* tùm habens *Hiſpaniam*, eandem *Nonnam* inviſiſſet, cui prædixiſſet, ſi filiam *Hiſpanorum* Regis duceret, quòd vitâ longâ, tranquillâ, pacatâ, fortunatâ beatâquè frueretur; Si verò *Franciæ* Regis filiæ matrimoniô copularetur, quòd & caput & Regnum, ſibi poſteriſquè ſuis eſſet amiſſurus.

Iſtis, ut verum fatear, licet fidem non haberem, ſæpè tamen verſabantur hæc in animô, cùm præſertim populum, jam tum tumultuantem, & ad ſeditionem quodammodò paratum animadverterem, qui *CROMWELLUM* ingeminaret identidem, cùm nec bellum, nec belli conjecturam quiſquam ſuſpicari poſſet. Quod in cauſâ fuit, cur Dominum *Timotheum Middleton* poſteà Vicecomitem *Eſſexiæ*, quô familiariter admodum utebar, vehementer oraverim, ut illum qui tàm ſæpè frequens eſſet in ore vulgi, tanquam vir ingentis indomitiquè ſpiritus, quiquè malis ipſorum mederi poſſet, CROMVVELLUM indicaret. Annuit ille mihi, ſecumquè die ſequenti deduxit in plateam vulgò dictam *Holborne*, ubi ferè per ſpatium unius horæ cum ipſô, CROMVVELLI Societate, Colloquiôquè gaviſus ſum. Quô tempore, quantum per modeſtiam urbanitatemquè licuit, in faciem ejus intentus, in hâc tanquam in ſpeculô vidi plurima, quæ poſtquàm eidem vale diximus, aperui ductori meo. Teſtis eſt ſuprà laudatus generoſus. Huic enim aperui mihi non anteà notum fuiſſe CROMVVELLUM, ſed ex ipſius *Phyſiognomiâ* hunc eſſe generoſum, ſapientiſſimum, fortiſſimum, animi non vulgari magnitudine præditum, maxima verſantem animô, Huncquè quantum conjecturâ poſſem aſſequi, fore potentem, qui tàm multa promitteret ex facie. Rex Sereniſsimus, Auguſtiſsimuſquè *Carolus*, *LONDINI* tùm degebat, omnia tunc erant in *Angliâ* pacata, neque militis colligendi tunc erat ulla ſuſpicio.

His adde, res ob OLIVARIO prodigiis ſimiles, exiguô tempore geſtas, quas hìc recenſere non eſt animus, cùm plurimæ libelli mei de OLIVARIO paginæ, nequidem victoriarum OLIVARII catalogum continere valeant, quæ ſunt alioquin jam typis excuſæ, quæquè in Annalibus *Britanniæ* juſtum requirant volumen; Cùm inquam, nec humanâ fortitudine, nec induſtriâ, tanta miracula fieri nequirent, patet OLIVARIUM *COELESTEM* fuiſſe virum, à Deô datum *Angliæ*, per quem tot & tanta, quæ ſuperent omnem admirationem, ad exitum fœlicem, hoſtibus exitium, tàm citò redacta fuerunt.

Si verum enim eſt, quod *Docent* hiſtoriæ, *agi magnos Reges & Principes COELESTI quôdam numine*, cùm illi res extraordinarias, quæquè fidem audientium ſuperent efficiant, procul dubiô dicendum eſt ob id *COELESTEM PRINCIPEM* OLIVARIUM actum à Deô fuiſſe, quippe qui plurima tàm modicâ temporis intercapedine, quæ ſine grandi miraculô fieri non poſſent, tamen effecit. Carion l. 2. Chronic. in Alexandr.

Accedit eodem OLIVARII Triumphus, nam reportatâ ad *Vigorniam* de *Scotis*, victoriâ, cùm huic obviàm ad multa millia cum acclamationibus variis tota *Londinenſis* effunderetur civitas, & ego conſcenſô curru triumphantis ſalutator eſſe volui, itaque *LONDINO* egreſſus ad ſeptum uſque ferarum, vulgò dictum *Hidepark*, dici vix poſsit quàm multos catervatim ore plenô vociferantes audierim, victorem OLIVARIUM conſtituendum eſſe *PRINCIPEM Angliæ*, ſi verum enim eſt quòd *VOX POPULI SIT VOX DEI*, & ante bella, & bellis finitis populus acclamabat, OLIVARIUM.

Quæ ſigna ſatis evidentia forent omnibus, ut inferrent OLIVARI te donatum

natum *Angliæ PRINCIPEM* à Deô, licet non demonſtraſſem univerſaliter anteà ſupremam authoritatem exercentes omnes, exceptô nemine, *COELESTES* eſſe *PRINCIPES*. Quod & ſapientiſsimus politicus, paganus tamen agnovit, dum in Somniô *Scipionis* introducit *AFRICANUM* è Cœlô loquentem, dicentemquè, *Nationum Rectores & conſervatores hinc profecti, huc revertentur.*

Tul in ſom. Scipionis.

Symbol. Heroic.

Hoc & ſapientiſſimus *Sueciæ* Rex ut ſupra vidimus *Ericus* per ſceptrum decidens è nubibus agnovit, quod habuit in inſigne cum epigraphê, *DEUS DAT CUI VULT.* Quod & *Fernandus Caſtellæ* Rex indicavit, dum morti proximus ad Templum habitu Regiô ſe deferri voluit, ubi flexis genibus infinitâ multitudine præſente ſic Deum alloquitur, *Tua eſt poteſtas Domine, tuum eſt Regnum, Regnum quod te donante accepi & quamdiu tuæ voluntati placuit rexi, ecce reddo tibi.* Exuitquè Regalem Clamidem, Diademaquè depoſuit, tùm poſteà in oratione, pœnitentiâquè perſeverans, in Templô Regnum & ornamenta Regia, & animam Deo reddidit. Hoc idem Sinarum Reges agnovêrè, dum ſe ſuis in titulis appellarunt, *Mundi Dominos, Filios COELI*, ſuamquè Metropolim, *Quinſay, Suntien*, hoc eſt *COELESTEM* appellarunt, quorùm exemplô, cùm *COELI* filius ſis Olivari, *COELESTIS* à Deô datus *PRINCEPS Angliæ*, ſi Metropolim tuam *COELESTEM* non habeas, at ſaltem ex prudentiſſimi Politici conſiliô, *COELESTEM* aulam habeas. *Principis domus*, inquit ille, *debet eſſe Dei Templum, prudentiæ oculus, libra juſtitiæ, fortitudinis ſedes, regula temperantiæ, honeſtatis exemplar, charitatis ſplendor, fons gratiarum*, Muſarum *chorus, Oratorum Poetarumquè Gymnaſium, Philoſophorum, Theologorumquè Sacrarium, prudentum Senatus, ingeniorum fomentum, præmium literatorum, pauperum menſa, bonorum ſpes, refugium innocentum, præſidium miſerorum.* Sic enim convenit illius *COELESTEM* eſſe Domum, qui ſit datus ipſemet à Cœlô. Quemadmodum autem Oliva per inauditum anteà prodigium, ut in ramô fortitudinis *Oleæ* fuſiùs exponimus, bellô *Perſicô*, *Athenarum* acropoli flammis abſumptâ, duobus, incendiô non obſtante, cubitis altior excrevit, ἐπὶ δυὸ πήχεις, ſic idem accidit in Olivario, qui cùm bellis flagrarent hìc omnia, duobus cubitis ſeu gradibus, & *POPULO* duntaxat, & *PROCERIBUS Angliæ*, factus eſt per *COELESTE* ſine dubiô miraculum, elatior.

Baron. ad Annum Chriſti, 1065.

Hiſtor. cur. Chinar. Baud.

Marcil. Ficin. in Epiſt. l. 5.

Pauſan in Attic. l. 1

Quod

Quid per Deos optabilius eſt SAPIENTIA, inquit Tullius, *quid præſtantius? Quid homini melius? Quid homine dignius?* Illa eſt, *rerum divinarum humanarumquè ſcientia, rerum omnium moderatrix, Domina rerum, princeps omnium virtutum, Mater denique omnium bonarum artium, quâ nihil à Diis immortalibus uberius, nihil præſtabilius hominum vitæ datum eſt.* Quorum, *tandiu vigent & florent* Reſpublicæ, *quandiu regnat & floret in illis* SAPIENTIA. Unde Plato *fore beatas* Reſpublicas *putavit, ſi* SAPIENTES *homines eas regere cœpiſſent, aut qui regerent, omne ſuum ſtudium in* SAPIENTIA *collocaſſent.* Unde SAPIENTES *omnes* Græciæ, *præter* Thalem Mileſium *civitatibus ſuis præfuerunt.* Quamobrem mirari deſino, quod multò magis ante mirabar, quid cauſæ fuerit, cur *Atticæ* populi *Oleam* exiguam arborem, minimequè ſibi cognitam anteà, quippe nunquam viſam, prætulerint celeberrimis naviumquè pleniſſimis portubus, tùm à naturâ, tùm ab arte tutis, tranquillis, clauſis, oblatis à Neptunô, cum navalibus, armamentariis, cæteriſquè ad Navigationum fœlices curſus accommodatiſſimis. Deſino inquam mirari, quòd tàm multis, tàm proficuis, tàm neceſſariis *Oleam* prætulerint. Refert enim *Franciſcus Sylvius*, *Cecropios* viſâ primùm de repentè Oleâ in agrô *Atticô*, ſubitâquè aquarum irruptione, *Apollinem* conſuluiſſe *Delphicum*, qui reſpenderit, per *Oleam* ſignificari *Minervam*, per aquam *Neptunum*. Cùm autem *Minerva* ſive *Pallas* nihil ſit aliud præter SAPIENTIAM divinam, quam ideò finxerunt ortam ex *Jovis* cerebrô, vel cùm ex *Platonicis*, *Sit ipſa divinitas ſapienter ſimul & potenter tùm Cæleſtia exornans, tùm quæ ſub cælô ſunt ædificans.* Non mirum eſt, ſi SAPIENTIAM expreſſam in *Oleâ* ſibi ipſis oblatam à *Pallade*, reliquis omnibus anteponere nullô modô dubitarint; *Atque* Palladis *de nomine, quæ* Græcè *dicitur* Ἀθήνη, Cecropiam *ſuam urbem, poſtea laudatarum artium inventricem, civitatem* Philoſophorum, Oratorumquè *parentem*, Poëtarum *alumnam, ad extremum eruditionis prorſùs omnis, omniſquè doctrinæ liberalis procreatricem*, Athenas *appellarint.* Quandoquidem autem propter electam ab illis in *Oleâ* SAPIENTIAM, ad ſupremum ejuſdem apicem, ſummumquè *prudentiæ* faſtigium evecti ſunt *Athenienſes*, idcircò tàm magnas in ejuſdem *Oleæ* conſervatione curas adhibuerunt, ut naturæ memoret hiſtoricus, *Athenis* ætate ſuâ eandem OLIVAM etiamtùm videri ſolitam, hoc eſt pluſquàm mille & ſexcentis annis ab eô tempore, quô primùm viſa fuiſſet in *Atticâ*. Ex quô non mirum, ſi dicat *Romanæ* parens eloquentiæ *Tullius*, cùm tandiu duraſſet, Athenæ *ſempiternam in arce* Oleam, *tenere potuerunt.*

2. Offic.
4. Tuſcul. quæſtion.
1. De invent. pro Muræna.
1. Offic.
1. De legib.
Canonher. politic. flor. Ad. quint. frat. l. 1. Epiſt.
Autor. λόγων περὶ γεωργίας. l. 9.
Sylv. Comment. in orat. pro Flac.
Marſil. Ficin. c 5. in Timæum Platon.
Plin. l. 16. c 44.
Cic. 1. De leg.

Hìc autem minimè tenuis, nec quidem obſcura ſuboritur dubitatio, utrum Regiones quæ Oleis abundent, abundent quoque *SAPIENTIBUS*, ita ut eædem terræ quæ generent OLIVAS, generent quoque *SAPIENTES*, ſitquè OLIVA quaſi naturale ſignum *SAPIENTIÆ*, quod ſemper rem ſignificatam propiùs abeſſe demonſtret.

Quæ quidem quæſtio nihil dubitationis, nihil ſcrupuli, controverſiæ nihil, nihil denique *RABBINOS* apud *Salomonem* & *Davidem* habet hæſitationis, nam exponentes Scripturæ locum hunc, *Verba* Amos *qui fuit in Paſtoribus* THECUE, Sine ullâ dubitatione aſſeveranter affirmant, *Terram* THECUE, *utpote* OLIVARUM *fertilem, progenuiſſe viros* SAPIENTES, *Regiones enim* Oleis *abundantes gignere viros* SAPIENTES, *ideoquè* Amos *locum originis nominare* THECUE, *ut inde liqueat ejus* SAPIENTIA.

Apud Cornel. in Amos c. 1.

Equidem facile in animum induco meum, atque ad credendum nullô ne-

gotiô ducor, ſuprà laudatos *RABBINOS*, in hâc ſuâ promulgandâ ſententiâ rationem *Athenienſium* habuiſſe, de quibus ante natam apud ipſos *Palladis Oleam* nulla eſt hominum opinio, nulla commendatio, vixquè ulla memoria, poſteaquam verò ſtudioſè diligenterquè coluiſſent OLIVAM, tantô ſunt illos honore proſecutæ Nationes omnes, ut Athenas *ipſas omnis eruditionis, humanitatis, intelligentiæ, doctrinæ, liberalium artium, eloquentiæ, prudentiæ, virtutis, omnimodæ rerum cognitionis, ingenii, conſilii, præſtantiſſimæquè SAPIENTIÆ, veluti principium, originem, inexhauſtumquè fontem exiſtimarint.*

Accedit eôdem quòd mihi videantur iidem *RABBINI* ante oculos ſibi propoſuiſſe *Babylonios CHALDÆOS*, apud quos tanta fuit *Olearum* vis, tanta copia, tanta multitudo, ut Rex ipſorum *Sennacherib*, cùm *Judæis* deditionem perſuaderet, ut ſeipſos duntaxat in ſuam ipſius ditionem, atque poteſtatem
4. Reg. 18. permitterent, uſum ſe validâ ratione putarit, cùm ait, *Transferam vos in terram, quæ ſimilis eſt terræ veſtræ, terram* OLIVARUM *ac Olei.* Ex quô ſimiliter inferre potuerunt totam *CHALDÆORUM SAPIENTIAM* ab OLIVIS quodammodò profectam eſſe. Quæ ſine dubiô tanta, tàm admirabilis, tàm incredibilis, tàm Cœleſtis, tàm prope divina fuit, ut eos etiam *DÆMONAS* quaſi quoſdam *SAPIENTES DEOS*, quod ipſorum nomen indicat, meritò quis appellarit. Eninvero quis homines inter non penitùs obſtupeſcat, ſi quantumvis ille doctus, eruditus, intelligens, qui *CHALDÆI* mortalium
1. De divi. omnium primi ſcientiam *Aſtrorum* orbi demonſtrarint, *CHALDÆI*, inquit Tullius, *qui cognitione* Aſtrorum *ſolertiâquè ingeniorum antecellunt*, ſiderum *ſcientiam putantur effeciſſe.* Quæ quanta ſit inde conjicies, ſi vel aciem oculorum in *ſtellarum ſiderumquè* greges ſerenâ hyemaliquè nocte, temporequè *Novilunii* conjicias, putabis enim multùm humanas excedere vires, poſſe virorum quempiam nemine priùs docente, vel dirigente, poſſe inquam, *Aſtrorum* tàm innumerorum, tamquè omni ratione diverſorum, tùm *inerrantium*, tùm *errantium* certô certiùs monſtrare *Altitudinem, Longitudinem, Latitudinem, Magnitudinem, Ortus, Occaſus, vires, velocitatemquè*; tùm *errantium* docere nec non ante dicere ad multos annos, ſine ullâ fallaciâ, *Mutuos aſpectus, ſextiles, quadratos, trigonos, conjunctiones, oppoſitiones, in capite caudâvè Draconis*, tùm eorumdem indicare *dignitates, domos, detrimenta, exaltationes, caſus, dejectiones, carpenta, Thronos, gaudia, Terminos, perſonas, triangularitatis Dominia*, ſexcentaquè id genus alia, quæ tàm evidenter demonſtrari prædicivè poſſint, quàm dici prædicivè queat, *Solem* lucere meridie. Quod ſine dubiô omnem ſuperat admirabilitatem. Unde meritò *CHALDÆI*, hoc eſt *DÆMONES* ſeu *DII SAPIENTES* habiti ſunt: Quid enim Divinius eſt amabò te lector, quàm ante centum, ducentos, trecentos annos, ante decem annorum millia, ſi tandiu duret mundus, *Prædicere tali annô, menſe, die, horâ, temporis momentô, Solem in tali locô Cœli paſſurum eclipſin, ſeu defectionem totalem reſpectu talis regionis; occultatum iri mediâ ex ſui parte habitâ ratione alterius Provinciæ; Tertiam ejus partem ſolùm ab his videri non poſſe; illumquè totum iſtis eôdem temporis articulô, totum inquam, ſine ullô deliquiô fore conſpicuum.* Quô quid præſtantius, hâc in rerum univerſitate reperiri poſſit, non video. Itaque tam abundantem *CHALDÆORUM SAPIENTIAM*, in OLIVARUM earumdem abundantiam refundi poſſe ſuprà laudati *RABBINI* forſan exiſtimarunt, cùm præſertim ſine
Diodor. Biblio. hiſtor. l. 3. multô labore *SAPIENTIAM* eandem ſuis ipſorum liberis patres impertiri ſolerent, *Philoſophiam* enim *Aſtrorumquè* ſcientiam, à parentibus ſic edocebantur filii, ut in viros doctiſſimos, *SAPIENTISSIMOSQUE* modicô ſtudiô prorſùs evaderent.

Adde, quòd iidem reflectere potuerint animum ad *Ægyptios*, ubi maxima eſt

Olearum

Olearum copia, quemadmodum ex omnibus *Hieroglyphicorum* eorumdem interpretibus facile eſt animadvertere, *Ubi & ſint* OLIVÆ *carnoſiſſimæ*, & ubi tanta fuit omni tempore *SAPIENTIA*, ut ad *ÆGYPTIOS* Sacerdotes orbis ferè doctiſſimi, quòd ab omnibus ferè totius antiquitatis teſtibus perhibetur, eruditionis gratiâ ſe contulerint. Plin. natural hiſtor. l. 15. c. 3.

Illinc enim *Homerus*, *Pythagoras*, *Empedocles*, *Melampus*, *Dædalus*, *Solon*, *Muſæus*, *Plato*, *Democritus*, *Apollonius Tyaneus*, Innumeriquè alii, maximum ſcientiæ theſaurum reportarunt. Ut ſileam ab *ÆGYPTIIS* iiſdem liberalium artium diſciplinis excultum *Moſen*. Ut non dicam *Mercurium Triſmegiſtum* ex illis unum, tantam etiamnum ſuis in libris continere *SAPIENTIAM*, ut ad eam vel eruditiſſimi ſtupore maximò corripiantur. Ut eorumdem taceam, quæ ſcientiam admirabilem capiant, *Hieroglyphica*. Ut præteream *ÆGYPTIACUM Gymnaſium*, *Alexandriam*, ex quò tàm multi ſcientiis omnibus nobilitati, quàm multi ex ullâ unquam *Academiâ* prodiêre. Unde doctiſsimus *Origines*, unde *Ptolomæus Aſtronomus*, *Geographuſquè* celeberrimus, unde, ut unò verbò complectar, *SAPIENTES* innumeri. Ubi eâdem in urbe ab *Alexandrò Magnò* diebus ſeptemdecim conditâ, licet in latitudine quindecim millia paſſuum contineret, ubi inquam *Ptolomæus Philadelphus* innumera tùm emi, tùm deſcribi curavit librorum exemplaria, emiſsis ad id ad omnes orbis partes cum ſumptu planè regiò viris intelligentibus, ſiquidem tunc temporis nullus eſſet uſus *Typographiæ*. Rex igitur hic unus ad quingenta librorum volumina in *Alexandrinâ* Bibliothecâ repoſuit. Septingenta autem millia poſtmodum à *Ptolomæis* ibidem ſervata fuêre volumina. Ex quibus ait *Seneca*, *Quadringenta millia librorum* Alexandriæ *arſerunt*, *pulcherrimum Regiæ opulentiæ monumentum*. Quod gymnaſium ab Imperatoribus *Romanis* ſervatum, reparatum, ornatum, locupletatum eſt. Mahumetiſtæ *verò quàm nihil habeant in ſe dignum humanitatis*, *immò verò quòd beſtiæ magis quàm homines dici mereantur*, *vel inde apparet*, *quòd tàm vetuſtum* Alexandriæ *gymnaſium*, *quod jam ſupra duo annorum millia floruerat*, *conſervatum à tàm præclaris principibus*, *in quò omnis generis SAPIENTIA*, *& diſciplinæ non ſine ſummò beneficiò divinò tradebantur*, *oboleri & perire voluerint*. Denique debemus *ÆGYPTO* hujuſquè curioſæ in quærendâ quocunque *SAPIENTIA* diligentiæ, celeberrimam ſacrorum codicum, nunquam factam anteà, tranſlationem, ex linguâ *Hebraicâ* in *Græcam*, à ſeptuaginta duobus viris doctiſsimis non ſine miraculò divinò convenientibus tot hominibus in unam & eandem verſionem, factam in *Ægyptò*, lege quod habet *Ariſtæas* ſub hiſtoriæ finem, quam primus omnium eâ de re conſcripſit exactè. *Ubi verſionem ſeptuaginta duorum interpretum vidit* Ptolomæus Philadelphus Ægypti *rex*, *cujus gratiâ facta fuerat*, *ait* Demetrio *Bibliothecæ Regiæ præpoſito*. *Ut fieri potuit*, *quando talia hæc*, *tamquè perfecta ſunt*, *quòd* Hiſtoricorum *aut* Poetarum *nemo ſibi aſſumpſerit*, *tùm ille*, *tùm ob venerandam legis inſtitutionem refert*, *tùm quia Deus prohibuerit*, *nam quidam tantum opus ſibi aſſumere auſi*, *mox Divinâ ultione percuſsi conſiliò obſtitere*, *teſtaturq*; *inde ſe audiviſſe* Theopompum, *quoniam ex lege ſecretiora quædam in* Hiſtoriâ *audaciùs transferre conaretur*, *ſupra triginta dies mentis titubatione correptum*, *qui cùm per morbi intervalla Deum imploraſſet*, *ei manifeſtè per inſomnium demonſtratum eſt*, *eâ gratiâ id ſibi contigiſſe*, *quòd divina pervertens in vulgus projicere tentaſſet*, *quibus viſis emendatus*, *& menti redditus eſt*, *& quidem & ipſe comperi apud* Theodectum Tragœdiarum *ſcriptorem ſe luminibus captum*, *dum quædam ex hujuſmodi libris in ſuum Poema transferre vellet*, *verùm ubi eam cæcitatis cauſam animadvertit*, *Deum plures oraſſe dies*, *ſicquè reſtitutum ait*. Atque hæc ſat ſuperque de non vulgari *ÆGYPTIORUM SAPIENTIA* dicta ſint, quos ut ſuprà

Diodor. l. 1.

Valer. maxim. l. 8. c. 7. Plin. l. 30. c. 1. Tul l. 5. de fin. Origen. in 1. Exod.

Juſtin. hiſtor. l. 11.

Ariſtæas in hiſtoria 72. Scriptur. interpret. Geſſius l. 6. c. ult.

Seneca libro de tranquillitate animi. c. 9. Carion. Anno Chriſti 163.

Ariſt. hiſtor. 72 Interpret.

Philo. l. 2 de vita Moſis.

Joſeph. Antiq. Judaic. l. 12. c. 2 Tertul in Apologetic. c. 18 Euſeb. præpar. Evangelic. l. 8 c. 1. & 3.

Epiphan. l de ponder. & menſur. Athanaſius in Synopſi. Auguſt. l. 18. de Civitat. c. 45.

ſuprà monui in aſſertionis ſuæ vindicationem, noſtri *RABBINI* veriſimiliter attenderunt.

Attenderunt & probabiliter *ROMANOS*, vel ſaltem attendere potuerunt, non enim hoc eſt tàm dictu quàm reipſâ mirabile, ſimilequè prodigio, quòd initiô *ROMANI* imperii nulla fuit Oliva in *Italiâ*, ad tempus uſquè *Tarquinii Priſci*, hoc eſt ad annum ab urbe conditâ centeſimum octuageſimum tertium. Quin & *Oleam Theophraſtus è celeberrimis* Græcorum *authoribus, urbis ROMÆ annô circiter quadringenteſimô negavit niſi intra quadraginta millia paſſuum à mari naſci.* Quod ſine dubiô favere poſſet *RABBINORUM* opinioni, modica enim *ROMÆ* ſine *Oleis* fuit *SAPIENTIA*, creſcentibus autem illìc *Oleis*, crevit pariter *SAPIENTIA*; abundantibus autem *Oleis*, ſic abundavit *ROMANORUM SAPIENTIA*, ut in orbem totum poſteà redundarit.

Feneſtella.

Plin. Natural. hiſt. l. 15. c. 1.

Poſſem addere ſuprà laudatorum doctorum *Judaïcorum* opinioni roborandæ, *BYZANTINOS* ſeu *CONSTANTINOPOLITANOS* & *Oleis* & *SAPIENTIÆ* pariter affluxiſſe. Atquè ut ſileam omnes eccleſiæ *Græcæ* doctores, *Chryſoſtomumquè* ipſum *Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Mirantur omnes hodiernâ luce* juris civilis corpus, ſeu codicem, *prudentiæ ſeminarium, officinam conſilii, SAPIENTIÆ theſaurum, omnis dentquè politiæ velut Abyſſum, quô in edendô, omnium ingenia, labores, curas & induſtriam vicit* Juſtinianus *Imperator*; Quem ideò ſuô de nomine *Juſtinianeum* appellavit, adquè tantum opus *Decemvirorum* uſus eſt operâ, quorum nomina, dignitates, officia, apud *Baronium* cùm tibi placuerit, amice lector, reperire poſſis. *Juſtinianus* autem, tantâ prædituſ fuit *SAPIENTIA*, ut illum veluti *Salomonem* alterum exiſtimare poſſis; nam quô Deum *SAPIENTIÆ* totius principium, originem, fontemquè, à quô rivuli nonnulli dimanant in homines, agnoſceret, atquè veneraretur, *SANCTÆ SOPHIÆ, SEU ÆTERNÆ SAPIENTIÆ* templum extruxit *CONSTANTINOPOLI*, cui ab *Adamô* generis humani parente, nunquam ſimile viſum eſt opus, in quô poſtquàm abſolutum eſt, duas *Salomonis* ex puriſſimô candidiſſimôq; marmore ſtatuas collocavit: Alteram in templi mediô, expanſis brachiis, quaſi templum admirantis, & ad majorem quàm eſſet in ſuô pulchritudinem, ſymmetriam, artificium, nec non amplitudinem, obſtupeſcentis: Alteram dextrô innixam cubitô, pone majorem templi portam, quaſi vellet eâ ſignificare poſitione, *Salomonem* præ pudore totum cogitabundum occultare ſeſe, fateriquè ſuum hôc templô longè poſterius & inferius exiſtimandum eſſe. Ut autem operi tantô coronidem *Juſtinianus* imponeret, ad quingentos vigintiquinq; *Canonicos*, centum *Oſtiarios*, & ad fabricæ ſtructuræq; conſervationem, reditus illìc annuos in omnes annos conſequentes adjunxit.

Baron. ad Ann. Chriſt. 627.

Idem ad Ann. Chriſt. 526.

Codinus lib. de Orig. Conſtantinop.

Theod. Balſam. in tit. Phot. prim.

Quandoquidem autem fecimus *Juſtinianei* juris mentionem, da veniam lector ut in juris politici gratiam tuâ cauſâ liceat aliquantulùm excurrere. *Juris civilis corpus conſtat tribus partibus, nempe inſtitutionibus, pandectis, & codicis conſtitutionibus, qui nunc præciſè* Codex *appellatur, cui ad extremum quartus earumdem liber additus eſt, quæ deinceps per univerſum* Juſtiniani *imperium ſcriptæ ſunt, quæve tùm* Novellæ, *tùm* Authentica *dici ſolent.* Priora illa omnia *Juſtinianô Cæſare* mandante; præcipuè verò *Treboniani* ſuaſu & operâ, paulò plùs triennii ſpatiô collecta ſunt. Hic enim *Conſtitutiones* imperatorias ex tribus libris, *Gregorianô, Hermogenianô, & Theodoſianô*, adhibitô delectu unum in librum redegit, quem *Codicem conſtitutionum* Latinè ſcripſit. Vix abierat annus cùm *Trebonianus* idem, *Græcis* hominibus, qui tùm videbantur *Juriſprudentiæ* laude cæteros anteire, ad ſocietatem laboris *Juſtiniani* juſſu adſci-

Civil. eloq. Cauſ.

tis.

tis veterum *juriſconſultorum* ſcripta univerſa in principis palatium deportari, atque inde *Pandectas* confici curavit, exeunte trienniô cùm res tota penè perveniſſet ad calcem, *Juſtinianus* novô mandatô *Inſtitutiones* juris, ex elementis diſciplinæ juris, quæ antiqui tradiderant *juriſconſulti*, colligi ſcribiquè voluit. Deinde non ita multò poſt emiſſi ſunt in lucem quinquaginta *Digeſtorum*, ſeu *Pandectarum* libri. Annô verò vertente cùm jam extarent complures Imperatoris ejuſdem variis de rebus *Conſtitutiones*, & in his ea, quæ *quinquaginta Deciſiones* vulgò nominantur, poſt ſuperiorem illam *Codicis* editionem promulgatæ, *Tribonianus* idem ſociis quatuor labori adhibitis, noviſsimô Imperatoris juſſu, priorem illum quem diximus *Codicem* reconcinnandum ſuſcepit, cùm ut poſteriores *Conſtitutiones* eundem in librum referrentur, tùm ut quæ ex ſuperioribus mutatæ abrogatæquè fuiſſent, eôdem ex librô tollerentur. Atque hæc quidem de *Civilis juris antiqui* partitione, in tui gratiam lector humane dicta ſint, ad quod tamen poſtmodum pro variis ſeculis acceſſêre varia, quæ apud *Poſſevinum* numerata reperies, quæquè licet Nationes ad ſuam ipſorum obſervationem non ligent, illas tamen ad jus unicuique reddendum rectè dirigunt. Poſſevin. Bibliothec.

Ut igitur unde paulò longiùs aberravit, non abs re tamen, noſtra redeat oratio, animadverte ſeriò, ſinequè commotâ, quæ in *SAPIENTEM* cadere non debet, ægritudine animi, perpende diligenter, attentequè conſidera, in *Olearum* fertilibus locis multos reperiri *SAPIENTES*, quæſo iterum ne mihi ſuccenſeas, ſed rationem audias, tequè ipſum.

Undenam in *HISPANIA* quandiu fuit OLIVARUM, tandiu fuit & *SAPIENTUM* ſterilitas? Annô ab urbe *Româ* conditâ centeſimô octogeſimô tertiô, negat *Feneſtella* ullam in *HISPANIA* tunc *Oleam* fuiſſe. Tanta autem ibidem jam eſt *Olearum* ubertas, ut eapropter inter *Anglos* Nobilis *Howel*, tùm genere, tùm humanitate, tùm eruditione, Regem *HISPANIARUM*, Regem OLIVARUM, ſeu OLIVAM appellet, & ubinam amabò majorem repereris *SAPIENTIAM*? Ubinam *SAPIENS* adeò conſilium? Quod & ſuſpicere *Rhoanus* noſter cogitur. Undenam inquam *SAPIENTIAM* habent *HISPANI*? Certè non à ſuis *SAPIENTISSIMIS* licet, *Suarezio*, *Vaſquezio*, *Mendozâ*, cæteris benè multis. Non à *SAPIENTISSIMIS* illorum *Academiis* vel *Univerſitatibus*, extat enim etiamnum hoc vulgatum *HISPANOS* inter Proverbium, *PRUDENTIA NON DOCETUR SALMANTICÆ*, quæ tamen celeberrima eſt *HISPANIÆ* totius *Academia*. Howel Dendrolog. Rhoan lib. de intereſſe Principum.

Prætermitto *GALLOS*, *Laus enim in ore proprio ſordeſcit*, apud quos longè poſt *Romam* conditam ſeriùs *Oleas* apparuiſſe manifeſtum eſt. Plin. l. 15. c. 1.

Augere dubitationem poſitam, nec improbabiliter poteſt, quòd *India* careat OLIVIS, licet enim habeant aliquod genus arboris ſimilis *Oleæ*, tamen hæc ſterilis eſt, nullaſque profert OLIVAS, quænam autem in *Indiis SAPIENTIA*? Certè non reperio niſi vacuum & inane *Gymnoſophiſtarum* nomen, quorum tota conſiſtebat in eô *SAPIENTIA*, ne dicam ſtultitiam, ut ab ortu ad occaſum, nudi ſolem immobilibus intuerentur oculis, ferventibuſquè arenis totô die pedibus alternis inſiſterent. Idem l. 11. c. 6. Idem l. 7. c. 2.

Antequam diſputationem hanc, unde cœpit, ego finiam, dicam *RABBINORUM* hoſtibus, quod *Joab Miſit THECUAM, & tulit inde mulierem SAPIENTEM*, quæ ſuâ duntaxat induſtriâ poſſet à *Davide* tandem obtinere, ut filius ejus *Abſalon*, poſt tàm longum exilium, denuò rediret in patriam, atque adeò in gratiam cum Rege. Quid inquam ad hæc reſpondere poſſint *RABBINORUM* hoſtes? Quid enim fuiſſet *Joab* neceſſarium, qui erat in *Jeruſalem*, & *Abſalon* in *Geſſur*, mittere *THECUAM*, ſi locus iſte refertus OLIVIS Samuelis ſeu Regum. l. 2. c. 14.

peculiariter *SAPIENTES* non aleret, qui tamen *RABBINIS* in *Amos* poſitionis ſuæ præbuit occaſionem.

Cur autem Regiones quæ priùs abundarent Olivis, *SAPIENTIBUS* etiam abundarunt, hinc factum arbitror, quòd ad *SAPIENTIAM* comparandam multis ſit opus vigiliis, ſive nocturnis, quas ad *Lucernam*, nec ſine *oleô* fieri mos erat, lucubrationibus. Unde etiam ille, cui uni inter omnes in omni genere dicendi vis ſumma conceditur, *Athenienſis Demoſthenes*, *Dolere ſe aiebat ſi quando opificum antelucanâ victus eſſet induſtriâ.* De quô fertur quoque communiter, quòd plus Olei quam Vini ſuâ in vitâ conſumpſiſſet, unde nullâ in re *Demoſthene*, *Romanæ* parens eloquentiæ *Tullius*, interior, ait ipſemet de ſeipſô, *Ante lucem cùm ſcriberem contra* Epicureos, *de eodem* Oleô *& operâ*, *exaravi neſcio quid ad te.* Itemquè, *ne opera &* Oleum Philoſophiæ *noſtræ perierit.* Tandem fatetur Oleum & operam à ſe perditam, Unde & duos maximè *SAPIENTES*, quicunque illi ſint non hìc diſputo. *Duo filii Olei* dicuntur à *Zachariâ.* Unde & *Olere lucernam* communi fertur adagiô res aliqua diu meditata, præparataquè, multôquè elaborata ſtudiô, inde pariter dictum, quòd ſtudioſi, ſi quid accuratius excudere velint, ad lucernam vigilantes id elaborare ſoleant. Et quia *SAPIENTIÆ* tantũ, nocturnis cùm Oleo commentationibus acquiſiverat *Epictetus*, quæ vitam illius mirabilem omnibus exhibebat, propterea *Luciani* temporibus, *Cyrus* quidam, fictilem *Epicteti lucernam* tribus drachmarum millibus emiſſe perhibetur, καὶ ἔτι ἐςὶν ὃς τοῦ Επικτήτου λύχνον κεραμεοῦν ὄντα τριχιλίων δραχμῶν ἐπρίατο, ſperans quòd ad illius lucernam, noctu ſi legiſſet, ſimilem *Epicteto SAPIENTIAM*, exiguô labore conſequeretur.

Cic. Tuſcul. quæſt. lib. 4.

Eraſ. adag.

Tull. l. 13. Attic. Epiſt. 36.

Idem l. 2. Epiſt. 17.

Idem l. 7. Epiſt. 1.

Zach. c. 4.

Eraſ. in adag.

Lucian. πρὸς ἀπαίδευτον.

Mirum eſt ſanè, talibus relictis, quanta fuerit hominum opinio de *Oleâ*, quæ vel pro *SAPIENTIA*, vel ſaltem pro *SAPIENTIÆ* ſymbolô apud doctos ſemper fuerit uſurpata. Refert *Pauſanias* quòd in *Promethei*, hoc eſt *ſapientiſſimi* maximèquè providi primi fictoris hominis *Academiâ*, viſantur diverſæ *Muſarum*, *SAPIENTIÆ* parentum, Aræ; tùm *Mercurii*, prudentiæ rationiſquè Dei; tùm *Minervæ*, quæ & ipſa Divina, ſummaque ſit *SAPIENTIA.* Quòd inquam in *Academiâ Promethei*, inter ſuprà memoratas Aras, ſit ea quæ ſecunda *Græcis* apparuerit Oliva, καὶ φυτόν ἐςιν ἐλαίας δεύτερον τοῦτο λεγόμενον φανῆναι. Quod ſine ullâ dubitatione nunquam ſic ab antiquis Sapientibus ordinatum eſſet, ut inter Sapientiæ nimirum præſides locaretur *Olea*, ſi ad Sapientiam, *Oleam* nullo modo pertinere fuiſſent arbitrati. Enimvero ſiquidem ad Aram *Mercurii*, quem prudentiæ rationiſquè Deum volunt, qui produnt arcana Poëtarum, conſpeximus *Oleam*, non abs re fore arbitror, ab antiquis *Græcis* in ejuſdem *Mercurii* manu poſitum *Oleæ* ramuſculum intueri, eoquòd apud illos non *Minerva*, ſed primus Oleæ repertor *Mercurius* habitus eſt, Ερμῆν τῆς ἐλάιας τὸ φυτὸν ἑυρεῖν ἀλλ' οὐκ Αθηνᾶν ἕλληνες φασι.

Pauſan. veter. Græc. l. 1.

Natal. Com.

Pier. Hier. l. 53 c. 3.

Diod. l. 1.

Sed hâc omiſſâ *Græcos* inter cæteros, *Athenienſeſquè* controverſiâ, inceptum inſtitutumquè teneamus iter, Calenosque *Italicæ Campaniæ* populos adeamus, quorum Olivariis in *nummis*, ut breviter dicam, tanta lucet Sapientia quanta poteſt eſſe maxima. Neque enim gentium ullarum *nummos* cum Olivariis ipſorum, ſint illi forſan antiquitate, vel materiâ, vel formâ præſtabiliores, ullô modô comparandos eſſe, mecum judicabis amice lector, ſi tantiſper eorum præcipuos conſiderare non graveris.

Aldrovand. l. 1. de quadrup. c. 20.

Ac primùm accipe ſi placet hunc *Æginetarum nummum*, νόμισμα ἀιγινῆτιον. Cùm enim hi quondam *Græcos* inter omnes plurimâ valerent authoritate, primi *Græcorum Nomiſma* percuſſêre; licet aureum & argenteum mortalium

Ælianus Var. hiſt. l. 12. c. 10. Herodot. l. 1.

primi

primi *Lydi* cuſerint. Cur *Navem* hanc ſic intueris? Eſt enim eâ *Tyriorum moneta*, per quam indicant, *Navigationis* authores ſe primos extitiſſe. Nequè timeas hunc attrectare *Murem*, ſpondeo non mordebit, *Argivorum* præcipuus quippe *Nummus* eſt. Nec eſt quòd *Bovem* iſtum fugias, non habet fœnum in cornu. Agnoſco *Pecuniam Athenienſium*, quâ labori gratias ut haberent, *Ut interim* Noctuam *ex eorumdem alterô ſinamus avolare* Nummô, *Bovis* effigie ſuam ipſorum primariam pecuniam honeſtarunt. Sed ô portentum! Quid hìc cum *Nummis* video *Ferreos* eoſquè *Craſſos orbiculos*? Ne mireris, iſtud eſt inventum *Lycurgi*, qui ut avaritiam furtaquè procul à *Lacedæmoniis* amandaret, ſuſtulit *Argenteam*, *Aureamquè Pecuniam*, illiuſquè locô, *Ferreos nummes* eoſquè *Ingentes*, atq; *Ponderoſos* ſubſtituit, quamvis dicat *Seneca*, *Corium formâ* publicâ percuſſum apud *Lacedæmonios*. Atenim hocce quid eſt? In adulterinam ſine dubiô *Monetam* incidimus. Quid ſibi volunt iſti *Lignei*, *Scortei*, *teſtaceiquè orbes*? *Numos* ſeu *Nummos* à ſecundô rege *Romanorum Numâ* primùm cuſos probat *Salianus* ex *Euſebiô*, *Iſidorô*, *Epiphaniô*, *Cedrenô*, ſed ut placet *Euſebio* Numos *Ligneos*, *Scorteos*, atq; *Teſtaceos*. Quibus repudiatis, iſtos quos hìc conſpicis *Æreos*, *Ovinos* ſcilicet, inſignitos *Ovibus* ſive *Pecudibus*, unde *Pecuniæ*, ſextus *Romanorum* Rex *Servius Tullius* induxit, unde & fiſcus dictus eſt *Ærarium*, eſſeq; in grandi *Ære alienô*, eſt multa contraxiſſe debita. Quæ facilè quis exſolvet, ſi horum *Argenteorum*, *Aureorumquè* nummorum, qui demum *Romæ* ſucceſſerunt *Æreis*, maximam vim habere queat.

Valerian. l. 45. c. 10.
Idem l. 13. c. 36
Idem l. 3. c. 17.
Plutarchus in Lycurgo.
Senec. de beneficiis l. 5. c. 19.
Salian. Annal. tom. 4. anno mundi 3343. num. 1.
Cœlius l. 23. c. 17.

Interea ſiſte *Bigas* & *Quadrigas* iſtas, ne *Bigatos* & *Quadrigatos Romanorum* eorumdem nummos avehant. Præterea comprime *Cyzicenorum Leonem* hunc, ne *Cervum* vicinum devoret. Inhibequè fugam *Rheginorum Leporis*, quorum apud *Pollucem moneta* probatiſſima fuit. Ex quibus intelligas *Valerium Poplicolam*, qui primus *Conſulum* triumphans in urbem quadrigâ vectus eſt, eos qui dictô *Conſulum* audientes non eſſent *quinque Bobus* mulctantem, & *duabus Ovibus*, *Ovis autem valebat duobus obolis*, *Bos vero centum*. ἦν δὲ τιμὴ προβατίοις ὀβολοὶ δύο, βοὸς δὲ ἑκατόν, propterea quòd infrequens id temporis apud *Romanos* eſſet uſus *Nummi*, qui cùm *à pecudibus armentiſquè cenſerentur*, facultates ſuas *Peculium* appellabant, antiquiſſimi porrò *Numos* habuerunt *Bovem*, *Ovem*, *Suem*, ἀπ' νομισμάτων τοῖς παλαιοτάτοις ἦσαν ἐπεχάρατον, ἢ πρόβατον, ἢ σῦν.

Roſin. antiquit. Roma. l. 8. c. 20.
Fulvius Urſin. in iconibus.
Pier. l. 13. c. 10.
Plutar. in Popl.

Hæc eſt amice lector, quam obiter aſpexiſti, præcipua ſeculorum ſuperiorum *Moneta*, quæ ad CALENORUM OLIVARIOS propter mirandum ipſorum in cudendis iiſdem *SAPIENTIAM*, comparari nullô modô poſſunt. In eorum enim *Numis* ſola fuit *SAPIENTIA*, per OLIVAM, expreſſa videlicet, quâ re quid fingi aut excogitari poſſit prudentius, ſapientius, admirabilius, neſcire me palàm & apertè fateri non erubeſco. Per *oleam* enim ſive ſolam *SAPIENTIAM* in ipſorum cælatam *Nummis*, nihil nobis, niſi *SAPIENS* divinumq; *Nummorum*, ad humanos uſus, communemq; hominum ſocietatem inventum exprimere voluerunt. Quod ut æquâ animi lance prudens, utile, neceſſariumquè prorſùs inſtitutum ponderare non modò valeas, ſed etiam quantum habeat id momenti judicare poſſis, Finge animô & cogitatione, humane lector, nullos in totô terrarum ambitu *Nummos* eſſe, nulla *nomiſmata*, *Monetam* nullam, nullas *Pecunias*, quanta futura ſit inde confuſio, quanta penuria, quanta perturbatio, quanta calamitas, quanta pernicies inde proficiſcatur, exeat, emanet, exiſtat, animadvertes. Propone quæſo tibi *Cerdonem* exempli gratiâ, *Coriarium*, *Sutorem*, *Calceolarium*, indiget ille pane, cibô, potu, pannô, linteaminibus, multiſquè id genus aliis, hominem ſequere, ſibi neceſſaria paraturus abit. En rogat *Piſtorem* num panes pro calceis mutare velit, ſibi jam calceorum affatim piſtor ait; Petit à *Coquô* num velit cibos permutare

Aldroandus de quadrupedibus l. 1.

mutare calceis, illis ſe minimè nunc indigere reſpondet, Sciſcitatur ex *Oenopolâ* pro calceis vinum, hic ad multos annos hodie ſuppetere ſibi calceos affirmat. Ulteriùs comitare hominem. Nam is percunctatur ex *Pannificô*, num velit ad veſtem qui ſatis ſit calceis immutare pannum. Subjicit iſte, ſe commutare nolle veſtem, in omnes calceos qui ſibi ſint reliquô vitæ tempore neceſſarii. Nequè melius à *Lintearîô* fert reſponſum. Quid faciat miſer ſutor? Num illum tandem inediâ, fame, ſiti, frigore, calore, poſtquam multos, eoſquè innumeros exantlaverit vanoſquè labores, cùm ſuâ familiâ perire neceſſe eſt? Alios omnes artifices percurre ſimiliter, in omnibus, certus ſum, miſeriam eandem, fortunamquè demum eandem reperies. Quòd ſi ſutor idem indiguiſſet acu, vel aliâ re minimâ, putaſnè illum adeò fore dementem, ut cum re valoris exigui, calceos permutare voluiſſet? In hâc rerum conditione, in hâc pecuniarum indigentiâ, quânam ratione publica, ſine quibus *Reſpublicæ* ſtare nullô modô poſſunt, penderentur *vectigalia*. Omnes *ſartores* Monarchis ſuis veſtes aptarent, *Sutores* calceos, *Lanii* carnes offerrent; aliud alii juxta ſuam quilibet artem, ad omnia publica munia perſolverent. Quod quàm ſit abſonum, primâ fronte dijudicare quivis poteſt. Inſuper quænam eſſe poſſet cùm nationibus aliis amicitia, ad quas peregrinantes quaſi mendicando debeant accedere? Quæ cum iiſdem belli gerendi ratio? Pluribus abſtineo ut *CALENORUM* in OLIVARIO ſuô nummô *SAPIENTIAM* omnes admirentur, per quem hæc omnia ſuperiora, pluraquè alia, quæ cogitationi tuæ permitto, lector benevole, nobis aperuerunt, cùm cœleſti, Divinæquè *SAPIENTIÆ*, in *Oleâ, nummorum* inventionem Divinam, uſuiquè vitæ humanæ maximè neceſſariam conſecrarunt.

Ad finem *Oleis* attributæ *SAPIENTIÆ* propero, cui non parùm adſtipulatur in eccleſiaſticô ſuô *Jeſu* filius *Sirach*, dùm illic *SAPIENTIAM* proſopopœïacô ſermone commendantem ſeipſam introducit, ſequè OLIVÆ comparantem, quin & ipſe mortalium omnium ſine ullâ controverſiâ Sapientiſſimus *Salomon*, duos in lignis OLIVARUM ſculpſit *Cherubinos*, in teſtimonium ſcilicet multitudinis cognitionis, ſcientiæ, *SAPIENTIÆQUE*, quæ per *Cherubin*, nec obſcurè quidem ſignificantur. Finio igitur totam hanc controverſiam per *Zachariæ, Joanniſquè Theologi* duas OLIVAS, per quas duos *SAPIENTIA* clariſſimos, non *Angelus* modò, ſed omnes ſacrarum paginarum interpretes, orbi demonſtrare conati ſunt.

Eccleſ. c. 24.

Penul. Reg. c. 6. Zachar. c. 14.

Apoc. 11.

Ad quod alludens *Sixtus quintus Romanorum Pontifex*, in *Bullâ*, quâ *Bonaventuram*, ſanctos inter eccleſiæ *Doctores*, perinde ac *Doctorem Angelicum Thomam Aquinatem*, priùs retulerat *Pius quintus Romanus item Pontifex*, de utrôquè ſic loquens ait, *Hi ſunt duæ* OLIVÆ, *& duo candelabra in domô Dei lucentia, qui ſcientiæ, ſeu SAPIENTIÆ luce totam eccleſiam colluſtrarunt.* Ex quibus omnibus infero, *SAPIENTIÆ* arborem OLIVAM, & eſſe re ipſâ, & jure meritô nuncupari: Inſuperquè deduco per arborem *SCIENTIÆ*, ubi primùm ex aquis emerſit, periiſſe *Mundum*, at per arborem *SAPIENTIÆ* mundum eundem, ubi ſecundò ex aquis emerſit, fuiſſe reſtauratum.

Bulla Sixti an. Chriſt. 1588.

Gen. 2. & 3.

Gen. 8.

OLIVARI-

OLIVARIVS

NOnnunquam paulò vehementiùs ſtomachari ſoleo, humaniſſime lector, in neſcio quod genus hominum, qui cùm ſemper & ubique præpoſteris utantur conſiliis, æquâ nec animi lance res ullas ponderare poſſe videantur: volunt nihilominus iniqui rerum æſtimatores, de re quâlibet ex arbitratu ſuô ferre ſententiam, ſibiquè tanquam è Cœlô demiſſis *Catonibus* adhiberi fidem, nec ſuis ipſorum velut ex *Apolinis Tripode* profectis ſermonibus, à quôvis ullâ ratione reclamari. Hos inter principem mihi tenere locum videntur ii, qui cùm in patinis ſæpiùs, quàm in paginis & oculos habeant & animum, eô tamen audaciæ deveniunt, ne dicam impudentiæ, vel dementiæ potiùs, ut ore prorſùs indoctô, belluinôquè proferre non vereantur, SAPIENTEM *virum*, FORTEM *eſſe non poſſe, propterea quod omnes caſus, omnia pericula proſpiciat.* Unde velint homines inſulſi, inſani, nec non *Arcade* ſtolidiores, ſupremos principes omnes, qui ex officiô præfici debeant exercitibus, bellaquè regere INSIPIENTES eſſe omnes oportere. Quæ ſtolidiſſimorum hominum opinatio, licet adulterina, falſa, mendax ſatis aſpectu primô videatur ab omnibus, attamen ad illorum amentem vim, cœcumquè furorem reprimendum, primùm ſtatuam, neminem, FORTEM eſſe niſi SAPIENTEM, neminem SAPIENTEM niſi fortem. Deinde SAPIENTISSIMUM oſtendam OLIVARIUM, ejuſdem FORTITUDINEM ſuô poſteà locô probaturus. Apud Guiccardin. in Politic.

Ut autem à primô ducam initium, à nonnullis ſecundum Euripidem hæc quæſtio ponitur. Utrùm ſit utilius, χρησιμώτερον eſſe PRUDENTEM ſine Audaciâ συνεθὲς ἄθολμον, an Audacem & Furentem ἢ θερσοῦν τε κ' ἔμμανῆ: Hoc quidem inhumanum eſt σκαιὸν, ſed mala repellit, illud verò tranquillum, ſedatum, quietum eſt, ἡσύχιον. Reſponſio brevis eſt, quòd in utrôque ſit vitium ἐν δ' ἀμφοῖς νόσος. Eam ob rem infertur, *Prudentiam* & *Fortitudinem* ſimul junctas eſſe oportere. Nam AUDAX ſine SAPIENTIA præceps eſt, temerarius, furibundus cœcô delatus impetu, ſibi ſuiſquè plerumque pernicioſus: SAPIENS verò ſine AUDACIA, ſi tamen in rerum naturâ poſſit talis eſſe, ſibi ſuiſquè injuriam inferri ſentiens, ab hoſtibus abſtrahi ſua cognoſcens, videns propter hoſtiles incurſiones, quibus præeſt in regionibus ſolitudinem, vaſtitatem, deſerta, inculta, derelictaquè jacere omnia, hoc ſibi ſatis eſſe putat, quòd illa omnia Euripides in Hercule.

cognoſcit, nequaquam audens hoſtibus occurrere. Ex quô fit ut in ſummô principe, bellatorequè, Audaciæ juncta, tùm ad opportunitatem locorum eligendam, tùm ad militem continendum in officiô, tùm ad temporis aptitudinem idoneam, tùm ad ſtratagemata, tùm ad alias belli circunſtantias obſervandas, ſummoperè neceſſaria ſit SAPIENTIA.

Judic. 7. Scimus enim per *Stratagemata* bellica, ſæpiùs à perpaucis numeroſos, eoſquè valentes, per Imperatoris adverſi prudentiam, fractos, fuſos profligatos exercitus. Atque ut de *Gedeone* nihil dicam, qui per Divinum *ſtratagema* trecentis armatorum, numeroſiſſimas, penequè infinitas hoſtium delevit copias. Num patet iſtud evidenter in *Albanorum* Rege prudentiſſimô æquèac fortiſſimô *Scanderbeg*, qui per ſummam SAPIENTIAM Audaciæ ſummæ junctam, decem millibus armatorum pugnare ſoleret, cum ducentis *Turcarum* millibus, ſemelquè militum exiguâ manu, *Gedeonis* alterius ad inſtar, multiplicatis tubis & tympanis in omnibus circumquaq; viciniæ montibus, ita ut ad illorum ſonum, per rupes, & cavitates repercuſſum, omnes *Europæ* totius *Tubas*, & omnia *Tympana*, & conſequenter omnes exercitus illìc adfuiſſe credidiſſes. Hôc inquam *ſtratagemate*, militum exiguâ manu, *Iſaacum Baſſa* cum equitum quinquaginta millibus jacentem in ingenti planitie, de noctè opprimit, cæſis illius equitum triginta millibus, plurimis captivis abductis, paucis, qui tantæ cladis ſuis nuntium deferrent, elapſis.

Laurd. Hiſtor Scanderb.

Quis non admiretur *Crotoniatarum* in *Sybaritas* prudentiſſimum *ſtratagema*? Cùm *Sybaritarum* principes, nobiles, generoſi, ſuos equos recreationis ergo, pacis tempore, ad lyræ, tibiæ, fiſtulæ, cæterorumquè muſicorum inſtrumentorum ſonitum ſaltare, tripudiare, nec non choreas agere docuiſſent; factum eſt cùm in vicinos hoſtes *Crotoniatas* trecentorum bellatorum millium exércitum comparaſſent, ut pugnæ die *Crotoniatæ*, ſuæ regionis vicinarumquè *Tibicines* omnes, *fidicines*, *auletas*, *lyriſtas* indutos habitu militari duxerint in primam aciem, atque locô tubarum iiſdem inſtrumentis præcinere juſſerint, quibus auditis *Sybaritarum* equi ad numerum ſymphoniæquè cantum ſaltare docti, per ſuas ſaltationes, choreas, tripudia, ſic exercitus ſui turbarunt ordines, ut à *Crotoniatis* nullô negotiô profligati, victi, deletiquè tandem hôc *ſtratagemate* fuerint omnes, qui tamen eſſent in *magnâ Græciâ* ad *Italiæ* fines potentiſsimi, cùm ſummum in multas gentes Imperium exercerent.

Strabo Coſmograph. l. 6.

Plin. l. 8. c. 42.

Num ante viginti annos *Mareſcaldus de la force*, *Gallorum* octo millibus, *Galatium* exercitus Imperatorii centum viginti millium armatorum *Archiſtrategum*, ad *Lotharingiam* occupatô ſibi commodô locô, hoſtibus incommodô, ſic eum fregit, ut paucos ſecum in *Germaniam* reduxerit? Numſæpè valentiſſimi ſine ſanguinis effuſione deleti ſunt exercitus, propter *Furnorum*, *Molendinorumquè* in ipſorum itinere dejectionem? Unde veriſimè SAPIENTISSIMEQUE dixit *Tullius*, *SOLIUS DUCIS INGENIO VICTORIAS ACCEPTAS FERRI OPORTERE, NON VIRTUTI MILITUM*; Licet enim ad victorias conferant milites, ſi tamen illorum Imperator SAPIENTIÆ nihil habeat, actum eſſe de illis pro compertô eſt.

Annales Franciæ.

Tul. in Verrem

Ecquis enim unquam in animum induxiſſet ſuum, à *Græcis* pauciſsimis *Xerxem* armatorum quinque millionibus inſtructum, poſſe debellari. Id *Themiſtoclis Athenienſis* SAPIENTIÆ junctæ FORTITUDINI totum acceptum retulêre *Græci Laconeſquè*. Ait enim *Plutarchus*, quòd pugnâ cum *Barbaris* finitâ, omnes in *Iſthmum Græci* conceſſerint, & ſuffragia duces ab Arâ tulerint, ubi primum virtute ſemetipſum quiſque, ſecundum à ſe *Themiſtoclem* renuntiavit, πρῶτον μὲν ἑκάστης ἑαυτὸν ἀπέφαινεν ἀρετῇ δεύτερον δὲ μετ' ἐαυτὸν Θεμιστοκλέα quem *Lacedæmonii* deduxêre *Spartam*. Huicquè *SAPIENTIÆ* præmium *OLEAGI-*

Herodot. l. 7.

Plutarch in Themiſtocle.

LEAGINEAM duntaxat *CORONAM* ἐλάινυς στέφανον tribuêre: Currum præterea qui tùm erat in civitate primarium donavêre; Trecentos insuper ex Juventute suâ misêre, qui tàm *SAPIENTEM*, tamquè *FORTEM* ducem ad *Thegeaticos* usque fines, honoris meriti gratiâ comitarentur. Atque *Græcorum* omnium longè *SAPIENTISSIMUS* habitus est ubiqè *Themistocles* ἑλλήνων σοφώτατος. Herodot. l. 7.

Ut autem prudentiæ *Themistoclis* leve signum aliquod, quô, tanquam ex ungue leonem, immensam illius prudentiam, quæ *Græcis* in historiis passim habeatur, conjicere possis, amice lector, obiter insinuabo. *Post devictos* Persas, Athenienses *legem posuerunt*, *ut* Galli Gallinacei *quotannis unô die certamen in Theatrô inirent, unde verò sumpserit occasionem hac lex, planum faciam, cùm* Themistocles *civium exercitum adversus* Barbaros *educeret*, Gallos Gallinaceos *vidit pugnantes, nequè ille spectatorem sese oscitantem ejus pugnæ præbuit, sed totum exercitum cohibens, inquit ad ipsos. At hi neque pro patriâ, neque pro Diis familiaribus, nequè verò pro avitis* Heroibus *periculum subeunt, neq; pro gloriâ, neq; pro libertate, neq; pro liberis, sed tantùm ne alter ab alterô superetur, aut alter alteri cedat. Quibus verbis* Athenienſium *animos confirmavit, quòd ergo tunc eis ad virtutem incitamentum extitit, voluit ad similium rerum, & factorum memoriam sempiternam consecrare.* Ælian. var. histor. l. 2. c. 28

Atque ut ad institutum nostrum redeamus, meritò nostri majores *PALLADEM SAPIENTIÆ* Deam, *DEAM* quoq; *BELLORUM* agnoverunt, cùm in bellis in unâ atque eâdem personâ summa *SAPIENTIA*, summaquè *FORTITUDO* requiratur. Unde *Medusa SAPIENS*, animosaquè mulier, quòd Regnum à patre relictum, virtute, prudentiâquè, summam in opulentiam auxerit, à Poetis *Serpentinum* caput habuisse fingitur. Cùm autem *SAPIENTIÆ* symbolum *Serpentes* existant, propterea ex antiquis plurimi, *Medusæ* caput pro *Minervæ* pectore statuerunt, *SAPIENTIÆ* signum duntaxat, quæ locum habeat in pectore, quâ qui præditi sunt, alios facilè confundere, saxeosquè cùm libuerit, quodammodo reddere possint. Theognetus in histor. Antiq. Pier l. 16.

Ad hæc, vult *Aristoteles*, ex virtutibus omnibus, contra stolidorum nostrorum opinionem, *Solam prudentiam Imperium obtinentis esse propriam*, cùm cæteræ virtutes necessariò communes esse videantur imperantibus cum iis quibus imperatur. *Nam tanti est prudentia in rebus militaribus, ut unius Imperatoris ingenium & calliditas, sit pro multis armatorum millibus aliquando,* Quod annô superiori patuit in *COND.ÆO PRINCIPE*, cujus unius generosæ prudentiæ, ad *Atrebatum* exercitus sui salutem acceptam, *Belgiquè* conservationem ipsimet confitentur *Hispani*. Aristot. l. 3. Politic. c. 3. Natal. com. Hist. l. 4.

Non mirum est igitur, si *Gallorum* victores Franci, bufonibus *abjectis, quos pro* insignibus *gestabant olim in aureô vellere, depinxêre* Leonem *in vexillô cæruleô, cujus pars posterior corporis, in* serpentis *caudam desinebat. Per* Leonem Franci *suam* fortitudinem, *per* serpentem, prudentiam *animiquè dexteritatem exprimebant*; at Francorum *regnô bifariam divisô, ut pote in orientale, & occidentale, tempore* Clodovei, lilia è Cœlô demissa *Gallis pro* insignibus *fuêre, sed* Leo Francis *orientalibus, sive* Germanis, *pro signô permansit.* Franciscus de Rosiers in libro, stemmatum lotharingiæ, Tom. 2. Hist. capitali 31.

Simile quid habemus etiam in *Henricô septimô Romanorum* Imperatore, qui lanceam erectam, quam circum serpens sinuosè volvebatur, habuit in *insigne* cum epigraphê, *ET LOCO, ET TEMPORE*, quô voluit indicare bellum prudenter, cautequè gerendum. At *Fridericus* tertius *Romanorum* item Imperator, habuit in symbolum mensam, in quâ visebatur gladius apertusquè liber, cum hôc epigrammate, *HIC REGIT, ILLE TUETUR*, nam, *Rerum scientia, his qui armis præsunt, optima magistra est, quæ facienda sint ad imitationem eorum* Symbola Heroica Salom. Neuge. Polyenus l. 5. Stratagem.

qui

qui priſcis temporibus vixerunt, edocens. Siquidem præterea, *totius prudentiæ compendium in literis continetur*; *ſi* Reſpublica *regenda eſt, ſi prælia committenda ſunt, caſtra mutanda, ſi machinæ erigendæ, ſi renovandi aggeres, ſi propugnacula facienda, ſi militiæ cultus, ſi reverentia legum, ſi finitimarum gentium amicitiæ ſunt ſervandæ, libri hæc omnia erudiunt perfectè. Princeps quidem ſine literis, eſt* Navis *ſine* Remige, *&* volucris *ſine* pennis, *in literis* prudens *invenit unde SAPIENTIOR fiat, ibi* bellator *reperit unde animi virtute roboretur, inde* princeps *accipit quomodo populos ſub æqualitate componat, nec aliqua in mundô poteſt eſſe fortuna, quam literarum non augeat glorioſa notitia.*

Rabanus in Epiſtol.

Vide nunc ex ſuperioribus quantum aberres, qui velis SAPIENTEM FORTEM eſſe non poſſe, ſiquidem etiam ex virô prudentiſſimô *NEMO SAPIENS NISI FORTIS*, atque ex *Bernardô*, *Fortitudinis mater eſt prudentia, non enim fortitudo ſed temeritas eſt quilibet auſus, quem non parturivit prudentia.*

Cicer. Tuſcul. quæſt l. 3.

D. Bernard. de conſideratione

Quod ſi tibi SAPIENTES innumeros, qui fortiſſimè rexerunt exercitus opponam, quid dicturus es? Nonne te brutum fatearis oportet, Quid? FORTISnè *Cyrus* fuit? Si negare audeas, arguent te falſitatis innumeræ Nationes ab eôdem ſubjugatæ, *Aſia* victa, totuſquè *oriens* in ſuam poteſtatem redactus: Deſideras in eô prudentiam? Hæc ubique lucet in octo libris de ipſius inſtitutione ſcriptis ab Imperatore non minùs SAPIENTI quàm FORTI, *Xenophonte* duntaxat. Vis *Alexandrum Macedonem* opponam? Num tantâ fuit animi magnitudine tantaquè FORTITUDINE præditus, ut plures ille Provincias ſtupendô prodigiô devicerit, quàm aliquis totô vitæ tempore vix ac ne vix quidem peragrare poſſit: Verum fuitne SAPIENS *Alexander*? Conſule moderatorem ipſius *Ariſtotelem*, ad quem ſcripſit *Alexander*, conquerens quòd *Acroamaticas* vulgaſſet ille diſciplinas in quibus inſtitutus ab eô fuiſſet, per quas, cæteris ampliùs præſtare non poſſet, cùm jam proſtarent omnibus eædem diſciplinæ, epiſtolamquè, ſic finit. Ego verò optimarum rerum ſcientiâ mallem me, quàm potentiâ præcellere, ἐγὼ δὲ βουλοίμην ἂν τῆς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίας ἢ τῆς δυνάμεσι διαφέρειν. Quod ſic verum fuit ut pulvinari ſubjectis noctu libris indormiſceret; ſicquè ſtudioſus SAPIENTIÆ fuit, ut cùm ſomnum videre vellet, pilam argenteam manu tenens, extentô in ſubjectam pelvim extra cubile brachió, adeò ut cùm nervorum rigorem ſopor laxaſſet, cadentis pilæ tinnitus, ad SAPIENTIÆ ſtudia, ſomnum, hâc in re *Grues* imitatus, abrumperet. Quin & *Alexander Magnus, inter ſpolia* Darii Perſarum *Regis unguentorum ſcriniô captô, quod erat auro, gemmiſquè, ac Margaritis pretioſum, varios ejus uſus amicis demonſtrantibus, immò* Hercule *inquit*, librorum *HOMERI cuſtodiæ detur, ut pretioſiſſimum humani animi opus, quàm maximè diviti operi ſervaretur.* Et hoc totum quia prudentiæ SAPIENTIÆQUE patres apud antiquos habiti fuerint Poëtæ, πατέρες τῆς σοφίας, atque duces ad *SAPIENTIAM* τῆς σοφίας ἡγεμόνες, *SAPIENTIÆ* virtutumquè procreatores, γεννήτορες φρονήσεως καὶ τῶν ἀρετῶν. Quos tamen omnes ortos ab *HOMERO* conſtat, cùm neminem ſit imitatus, illum autem omnes, unde *Galaton pictor HOMERUM pinxit evomentem, reliquos verò* Poëtas *ea quæ ipſe evomuiſſet, deglutientes.* Eamque ob rem, *HOMERI poemata tanti fecerunt* Athenienſes, *ut lege ſanxerint quintô quoque annô in* Panathenæis *ejus unius carmina publicè decantari.* Quin & *HOMERO* templum *Ptolomæus Philopator* extruxit. Quidam verò, *Circidas* nomine, cùm animam ageret, neceſſariis ſuis non ægrè ſe mortem obire dixit, quòd ſperaret aditurum ſe *HOMERUM*, quô dictô, egit animam. Denique *Lucianus* ait, quòd in *inſulis Beatorum*, dum illic *Ambroſiâ, Nectareque* reficiuntur immortales, canuntur *Homeri* verſus ἄδεται Ὁμήρου ἔπη. Neque verò quiſquam

Xenoph. in Cyropædia

Quintus Curtius de rebus geſtis Alexandri.

Plutarch. in Alexand.

Sab. l. 2. c. 4.

Ammian. Marcel. l. 16.

Plin. l. 7. c. 29.

Plato in Lifide & in Sympoſio.

Ælian l. 13. c. 22.

Muretus in Varronem.

Ælian. ibid. & cap 20.

Lucian. l. 2. veræ hiſtor.

hìc

hìc mirari debet, ſi tantum *Alexander* antiquitaſquè tota tribuerit *HOMERO*, nam ex *Niceratô*, ſuis in poematis *SAPIENTISSIMUS HOMERUS* res omnes humanas ferè complexus eſt, ὁ Ὁμηρος σοφώτατος πεποίηκε σκεδὸν περὶ πάντων τῶν ἀνθρωπίνων, unde ſe ſolùm ob id jactat *Niceratus* idem, quòd totam *Iliadem* & *Odyſſeam* memoriter recitare valeat. Ιλιάδα ὅλην καὶ Ὀδυσσείαν ἀπὸ στόματος εἰπεῖν. Atque ut omitam quòd propter tantum *HOMERI* nomen certarent invicem de ipſius ortu ſeptem celeberrimæ *Græciæ* civitates. Xenophon in Sympoſio. Cicer. pro Archia Poeta. Gellius l. 3. c. 11

Σμύρνα, Ρόδος, Κολοφών, Σαλαμὶν, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι.
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chius, Argos, Athenæ.

Julium Cæſarem, hôc *Alexandri* comite prudenti, cœcô licèt, prætermiſſô, conveniamus.

Quid tibi videtur? Iſtenè *FORTIS* eſt? Qui munitiſſimas octingentas ceperit urbes, trecentas domuerit gentes, decies centena hoſtium millia ceciderit in acie, vicies centena millia captivorum acceperit. An defuit iſti *Prudentia*? Quem Imperatores optimiquique in *Commentariis* ſuis, quæ de rebus ab ipſomet geſtis compoſuit ipſemet, actionum ſuarum ducem primarium imitentur, quorum commentariorum ita ſtudioſus ille fuit, ut cùm Navali pugnâ in *Ægyptios* dimicaret, atque caſu fortuitô cum multis è ſuis præceps actus eſſet è Navi, non ſine ſummô vitæ ſuæ diſcrimine, quippe qui tùm veſte gravaretur, tùm ab *Ægyptiis* Imperatorem ex purpurâ colligentibus, jaculis appeteretur undiquè, projectâ veſte ad ſcapham enatavit, atque ita periculum effugit, nè madefactis quidem inter natandum erectis ſiniſtrâ libellis. *Cæſaris* etiamnum Divina propemodum ex illius *Calendariô*, quod ejuſdem de nomine *Julianum* appellamus, quôquè totus utitur ad hanc uſque diem orbis, apparet *SAPIENTIA*, ut præteream ex *Plinio*, Caium Cæſarem Dictatorem *ſcribere & legere ſimul, dictare & audire ſolitum accipimus, epiſtolas verò tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare, aut ſi nihil aliud ageret, ſeptenas.* Plutarch. in Cæſar. Comment. Cæſar. Rohanus in comment. Cæſar. Sueton in Cæſar. Salian. ex Dion. & ex Plutarch. Scaliger de emendat. tempor. Clavius de Reform. Calendar. Plin. l. 7. c. 25.

Vidiſti Monarchiarum trium fundatores, *Perſicæ*, *Macedonicæ*, *Romanæ*. Quid dicam de primô Chriſtianô Monarchâ *CONSTANTINO MAGNO*, *Helenæ Britannicæ filiô*, cujus pater *Conſtantius* Imperator deceſſit *Eboraci*? Num illius *FORTITUDINIS* teſtis eſt Chriſtiana Religio, quam fortitudine ſuâ per totum terrarum orbem propagavit? Nam infenſiſſimum ille teterrimumquè *Chriſtiani* nominis hoſtem *Maxentium Cæſarem*, prælio victum, fugientemquè dejecit in *Tyberim*? Num Imperii ſocium *Licinium* Orientis Imperatorem, capitalem *Chriſtianorum* hoſtem, ter prælio ſuperatum tandem interfici juſſit? Soluſquè demum rerum tùm in Oriente, tùm in Occidente potitus, ſacrorum librorum volumina jubet innumera deſcribi, & quocunque deportari; Edictô publicô gentilium templa ſubvertit, ubique *Chriſtianis* extruit *Eccleſias*, redituquè ſingulas dotat annuô, nec non ampla ſtipendia decernit Eccleſiaſticis annuatim. Putaſnè tanta hæc ab eô qui *SAPIENTIA* deſtitutus eſſet, perfici potuiſſe? *Qui bella contra* barbaros *multa fœliciſſimè confecit, unde primus* Romanorum *principum MAGNI cognomentum habuit, leges ſanctiſſimas tulit; Literis & ipſe impenſè ſemper ſtuduit, & eas fovit.* His adde, quòd *abnegato Idolorum cultu, Chriſtianam puritatem ita amplexus eſt, ut CHRISTUM AB OMNIBUS COLENDUM PRÆCEPERIT.* Euſeb. hiſtor. Eccleſiaſtic. l. 9. c. 5. Chronic. Car. Anno Chriſti 110. Conſtant. Mag. Egnat. Roman. Princ. lib. 1.

Præterea, num ſacerdotes omnes, qui ad Concilium *Nicænum* veniſſent, jurgiorum ſuorum judicem, oblatis libellis, eundem prudentiſſimum videlicet ſæpiùs interpellarunt? Ex Concilior. Volumin.

Ultimum occidentalis Imperii *Germanici* fundatorem Monarcham *CAROLUM MAGNUM*, Regem primum *Chriſtianiſſimum*, fortiſſimum, prudentiſſimum tibi ponam ob oculos, qui ſuo Regno vicinas regiones omnes incredibili

credibili *FORTITUDINE* junxit, *Hiſpanias* nimirum, *Longobardiam*, *Aquitaniam*, *Saxones*, *Bavaros*, *Danos*, innumeraſquè, ut cum ad marginem laudatô loquar hiſtoricô, *AD LEGEM CHRISTIQUE FIDEM AMPLECTENDAM, VELUT CONSTANTINUS ALTER COEGIT NATIONES*, quiquè leges ſanxit prudentiſſimas, cumquè SAPIENTISSIMUS is eſſet, SAPIENTIÆ parentes tres fundavit Academias *Pariſienſem*, *Bononienſem*, *Patavinam*, in quibus omnes nobiles, nobilioribus præſertim diſciplinis erudirentur.

Du Haillan lib. 1. ſtatus Franciæ.

En tibi fortiſſimos, orbiſquè totius calculô SAPIENTISSIMOS Imperatores, Monarchiarumquè fundatores oppoſui, ut hæc opinio bruta, quâ rudes & inſulſi neſcio qui temerarii, literatos SAPIENTESQUE, FORTES & animoſos eſſe non poſſe contendunt, omniquè literaturæ SAPIENTIÆQUE præſertim ſtudiô ſupremos deſtituunt Principes, quæ tamen in illis æquè ac *FORTITUDO* requiratur, cùm omnes Reges apud Nationes omnes ſint *Judices, & occulatæ vivæquè* leges, ſiquidem leges ubiq; ferè gentium jam receptæ, fuerint ab illis inſtitutæ, *judiceſquè* omnes ſint ipſorum *Vicarii*, ut eos ab onere tantô ſublevare poſſint, ex ſummorum tamen principum arbitratu, qui ſcriptô datus eſt illis, quemquè ſequi teneantur. Quis autem tàm bardus, ſtupidus, hebes eſt, qui neget *cùm præſertim nullæ leges extent*, in judicibus, hoc eſt, in Regibus ſummiſquè principibus requiri prudentiam? Audi quid *Samueli* dicant *Iſraelitæ. Conſtitue nobis REGEM ut JUDICET nos, ſicut & univerſæ habent Nationes*, & paulo poſt, *REX erit ſuper nos, & erimus nos quoquè ſicut omnes gentes, & JUDICABIT nos REX noſter, & egredietur ante nos, & bellabit bella noſtra pro nobis.* Ex quibus manifeſtè vides, quòd in ſummis principibus omnibus, prima omnium debet ineſſe *Prudentia*, tùm *Fortitudo.*

Herodot. lib 7.

Libro primo Samuel. ſive Reg. c. 8.

Poſſem hìc Imperatores innumeros *SAPIENTISSIMOS*, maximequè literatos *FORTISSIMOSQUE* producere, qui noſtros adverſarios, falſitatis & calumniæ, æternæquè condemnent infamiæ. Proferrem *Periclem*, *Thucididem*, *Alcibiadem*, *Xenophontem*, Imperatores *Athenienſium* exercituum *SAPIENTISSIMOS*, Audaciſſimoſquè, *Periclem* ob eloquentiam prudentem, dictum *Olympicum*; *Thucididem* belli, *Peloponeſiaci* ſcriptorem idoneum, cujus extant etiamnum opera, quæ *Demoſthenes* ſcripſerit octies, didiceritquè; *Alcibiadem Socratis* auditorem, quem noverant *Athenienſes* in hoſtem poſſe quidquid vellet, propter ejus prudentiam, & Audaciam, *Xenophontem Græcorum* Imperatorem FORTISSIMUM, admirandæquè SAPIENTIÆ virum, ejus ut in operibus omnibus animadvertere quivis facillimè poteſt. Nonne *Dionyſius ſenior* Rex *Siciliæ* rerum bellicarum magnitudine clarus, ex *Diodoro* magis ob SAPIENTIAM, & poëſim præcipuè, quàm ob egregia belli facinora, ſe jactare ſolebat? Num *Epaminondas Græcorum* omnium FORTISSIMUS Imperator, liberalibus diſciplinis inſtitutus, *Philoſophus* gravis, & prudens extitit, cum quô *Thebana* gloria nata, cum quô pariter extincta videatur.

Diodor. Sicul. l. 12. c. 12. Thucidid. de bello Peloponeſi. Dionyſius Halicarnaſſ. Plutarch in Alcibiad.

Xenophontis opera. Diodor. l. 15. Trogus l. 6.

Pluribus abſtineo, ut ad te SAPIENTISSIMUM, FORTISSIMUMQUE Principem OLIVARIUM tandem accedam, de tuâ FORTITUDINE ſuô locô poſtea, in SAPIENTIA igitur, prudentiâquè tuâ totus hìc acquieſcam.

Quæ tanta eſt quanta poſſit eſſe maxima, ſi verum enim eſt, ut eſt veriſimum, quòd Imperantium maximè propria ſit SAPIENTIA, quodquè, *in rebus bellicis Imperatoris* Prudentia *multis armatorum millibus longè potior exiſtat, quæ ſola paret victorias, ſervet exercitus, debellet hoſtes, ſuos locupletet*, quantâ SAPIENTIA te præditum OLIVARI fatebimur, qui res tantas, tàm inauditas, tàm prodigioſas, tàm parvis copiis, tàm modicô tempore confeciſti, quod ante te nemo per omnia retrò ſecula, quemadmodum ſuô locô demonſtrabimus,

præ-

præſtare potuerit? Hìc nihil augeo, nihil amplifico, nihil exaggero, immò vereor nè maxima tua miracula, quæ toti ſunt orbi cognita, quæquè *Demoſthenis Tulliquè* deſiderent *eloquentiam*, ſermonis mei tenuitate, jejunâquè inopiâ, potiùs extenuem, imminuam, infirmem, contrarius *Oratoribus* penè omnibus, ex *muſcis* qui facere ſoleant *Elephantos*, quippe qui mei ſermonis imbecillitate *Elephantos* in *Muſcas* attenuare ſolummodò valeam, undè ſi potiori jure ſub pœnâ caviſſes Olivari, quemadmodum *edixit* Alexander, *ne quis ipſum alius quàm* Apelles *pingeret*, *quàm* Pyrgoteles *ſculperet*, *quàm* Lyſippus *ex ære duceret*, Mihi profectò verendum eſſet, qui *ſciam ſimulare cupreſſum*, temerarias ducere lineas, ſolida monogramma reddere, obſcurare perſpicua, adumbrare lucida, ad veritatem nihil traducere, polire nihil, ſed horrida, inculta, abdita, & opaca, quæcunquè mihi venuſta propoſita ſint, efficere, quòd ſi inquam edixiſſes Olivari, ne niſi peritus in quôcunque genere de te quiſquam auſu temerariò ſtatuiſſet agere, nunquam eò progreſſus eſſem audaciæ, ſed cùm tantum tibi debeam, quantum ſermo meus aſſequì nequeat, propter Sereniſſimum *DUCEM GUELDRIÆ, COMITEM HÆCMUNDÆ*, cujus me publicum Miniſtrum eumq; *PLENIPOTENTIARIUM* agnoveris cumquè minus ſit peccatum, egregia facinora tua non meritis adornare laudibus, quibus aliunde celebrandis nulla ſit par oratio, quàm per ingrati animi crimen abominandum, eadem ſilentii tenebris involvere, propterea conatus qualeſcunquè meos, debiles licet, æqui boniquè conſulturum te confido. Plin. l. 7. c. 37.

Igitur Olivarii tanta patet eſſe prudentia, quanta poteſt eſſe maxima, quod non probare, ſed iis demonſtrare velim argumentis, quibus inficias ire, niſi prudentiâ penitùs omni deſtitutus, nemo poſſit.

Certum enim eſt, quòd *Angliæ Celeberrima illa Comitia*, quæ per multos annos continuos ſine ullâ intermiſſione ſunt hìc habita, compoſita fuerint ex *SAPIENTISSIMIS*, prudentiſſimiſquè totius *Angliæ* viris, ſiquidem *Angliæ* toti ab ultimò Rege Sereniſsimò libera Provinciis urbibuſquè omnibus eligendi quoſcumquè vellent, ad hoc ordinum omnium commune concilium, permiſſa fuerit authoritas: Unde populi ſine dubiò *SAPIENTISSIMUM* quemque, prudentiſsimum, maximequè politicum elegerunt. Qui ſupremus *Angliæ* conventus ex prudentiſsimis duntaxat *Angliæ* viris compoſitus, Olivario, propter ejus prudentiam militarem experimentis plurimis illius egregiè factorum diu probatam, nec non propter ejuſdem fortitudinem bellicam minimè vulgarem, liberè, ſponte ſuâ, ſine ullâ coactione, maturâ, diuq; prævia deliberatione tantum tribuit, quantum à Parlamento ſimili nemini mortalium unquam anteà conceſſum accipimus. *Nam omnis* Angliæ *Prudentia*, *SAPIENTIA*, Politia, Legiſlativa poteſtas ſimul unita, virorum omnium *SAPIENTISSIMUM* Olivarium *eſt arbitrata*, *dum* Angliæ, Scotiæ, Hyberniæquè *virium ſummum IMPERATOREM delegit*, *nec mercenariorum tantum militum exercitus unius*, *ut ſit in aliis orbis partibus*, *ſed & omnium triplicis dictæ Nationis exercituum quorumlibet*, *immò & dictorum locorum*, *quos ad arma ſuſcipienda cùm velit*, *jubeat* Olivarius, *ad deponenda cùmlibuerit*, *imperet*, *neque hunc modò triplicis illius Regni terreſtrium copiarum* Archiſtrategum, *verum etiam maritimarum virtum*, *claſſiumquè* Anglicarum *omnium in quâvis mundi regione ſupremum* Archithalaſſum; *Nec ſatis*, *nam & Olivario JUS VITÆ ET NECIS in quoſlibet delegavit*, *quando contra Nationis ejuſdem leges omnes*, *per ſuum conſilium bellicum*, *quibus placeret litem intendere*, *damnare*, *abſolvere poſſet*. *Cùm igitur*, *ut paucis expediam*, *ſummus* Angliæ *Conventus* Legiſlativam juridicamquè *habens authoritatem*, *ſupremùm* Angliæ, Scotiæ, Hyberniæquè *DICTATOREM creavit* Olivarium, Nonnè

majorem

majorem dedit illi potestatem, quàm omnes Angliæ Reges *simul unquam habuerint, & hoc totum propter Divinam ejus* SAPIENTIAM, FORTITUDINEMQUE *bellicam.*

Adde, quòd Olivarii *Prudentia* talis eluxit in vincendâ, subigendâ, inquè ditionem *Anglicam* redigendâ paucis mensibus totâ *Scotiâ*, qualis in nullô priùs unquam apparuit, quamvis longè majoribus tùm Imperatores *Romani*, tùm *Angliæ* Reges, viribus ad hoc abusi fuerint, qui victorias nihilominus suas ultra *Sterlinum* pontem nunquam per multa secula promovere potuerint, quibus ad dictum pontem, geminum hinc inde fretum pro *COLUMNIS HERCULIS* fuerit, ultra quas progredi non ante licuerit, sed utriusquè littus citrà vallô fortalitiisquè, *Scotorum* ulteriorum excursiones inhibentibus, munire natura loci tantùm iisdem permiserit; Ex quô, tùm *Romanis*, licet *PRUDENTISSIMIS*: tùm *Angliæ* Regibus, *PRUDENTIOREM*, pauciorique milite *FORTIOREM* Olivarium contendo: cùm suâ ille prudentiâ animiquè magnitudine singulari, in interiorem *Scotiam*, ultra *Sterlinum* pontem celerrimè, nullô negotiô penetrarit, hæcquè parvô tempore confecerit illic, ad quæ numerosissimis, valentissimisquè exercitibus, ductores alii nunquam aspirare, vel præsumpserint.

Nec minor rectè judicanti fuit Olivarii *PRUDENTIA*, nec Audacia minor in dissolvendô suprà laudatô Nationis hujus conventu, quem contra leges *Angliæ* semper in omnes annos consequentes habitum iri verebatur. Quô factô sibi tantum *PRUDENTIÆ*, *FORTITUDINISQUE* nomen apud omnes *Anglos* comparavit, quasi per id, multos hostium confecisset exercitus, *Anglos* ab oppressione servitutequè liberatos in libertatem asseruisset, nec non per idipsum fortunarum amplissimarum maxima facta fuisset ipsis accessio.

Et certè, si quis æquus rerum æstimator consideret, quì tunc temporis, cùm à vicinis bellum immineret undique, hâc in status innovatione continuerit hìc Olivarius omnes in officiô, nimirum Exercitus, Parlamentarios, *Angliæ* Proceres, Generosos, Cives, Populos, generis omnis Artifices, Ecclesiasticos, nec non in Religione sectarum, opinionumquè multâ varietate discrepantes innumeros, sine seditione, commotione, tumultu, hunc *SAPIENTISSIMUM* orbis universi Politicum fateatur necesse est, atque ut correctionem *legum Anglicæ Cancellariæ*, factam ab Olivario, ad eum locum remittam, ubi de ejusdem Justitiâ,

Si dicam tunc temporis in *Angliâ* tanta fuisse negotia, tantiquè momenti, quanta nunquam anteà, quibus in tractandis, absolvendisquè non minor quàm *COELESTIS PRUDENTIA* necessaria videretur, non tantùm cum *Scotis*, *Anglis*, *Hybernis*, sed cum *Hollandis*, *Danis*, *Suecis*, *Gallis*, *Lusitanis*, *Turcis*, præter renovationem vel confirmationem Magistratuum, omnisquè generis officiorum, in parandis classibus, in administratione trium maximarum Nationum, in accipiendis Principum extraneorum *Legatis*, quibus inquam, in omnibus minorem sine dubiô quàm *COELESTEM PRUDENTIAM*, *DIVINAM SAPIENTIAM*, *INGENIUM PRORSUS ANGELICUM*, nemo sanæ mentis desiderare possit.

Cùm igitur in Principum omnium Legatis, ut par est tractandis, magnificentissimum, humanissimumquè agnoverit orbis universus Olivarium, in capiendis dandisve tàm multis consiliis callidissimum, in deliberationibus tàm innumeris, & consultationibus de mediis ad fines sibi propositos convenienter eligendis maximè providum, atque in probandâ magnitudine animi eorumdem in executione necessariâ *FORTISSIMUM*, quibus in omnibus ratione pru-

prudentiæ omnem contineri certum eſt, nonne propterea ſummè callidum, providum, fortem, hoc eſt ſummè prudentem OLIVARIUM inferre neceſſarium penitùs eſt. Unde præterea vides in *PRUDENTIA FORTITUDINEM* ipſam ſic includi, ut *NEMO SAPIENS NISI FORTIS, NEMO FORTIS NISI SAPIENS ESSE POSSIT.*

Hæc ſimiliaquè plurima Cœleſtis OLIVARII SAPIENTIÆ teſtimonia dum recolo, vix ut ingenuè fatear ſum compos mei, nam ad tantæ *Prudentiæ* conſiderationem, cujus tàm mirandos, tamquè ſæpè viderimus effectus, intellectus obſtupeſcit, hebeſcit animus, deficit ingenium, fugit ratio, mens evaneſcit, hæret manus, atrâmentum penna renuit, γράμματα papyrus. Quæ mihi dicunt omnia, talem OLIVARII SAPIENTIAM exiſtere, omni cogitatione, laude, prædicationeque majorem, nullumquè vel rapidiſſimum *Eloquentiæ* flumen reperiri poſſe, quod non illicò vel ad ſolum illius nomen ex occurſu primò ſuum cohibeat impetum, cùm illius notitia vix ac ne vix quidem in intellectum humanum cadere poſſit.

Ex quibus ulteriùs infero veriſſimè, tantum, tàm extraordinarium, tàm ſtupendum SAPIENTIÆ Decus, abjectâ prorſùs omni dubitatione in animum OLIVARII *Cœlitùs infuſum eſſe*, quod mihi probare difficilè non fuerit ex iis, quæ ſunt à me demonſtrata priùs, nempe huic Nationi *DATUM* OLIVARIUM *A DEO*, & quidem *PRUDENTISSIMUM.*

Quamvis enim in *Cantabrigienſi* fuerit OLIVARIUS inſtitutus *Academiâ*, SAPIENTIÆque cum cæteris *Angliæ* generoſis navarit illìc operam: Hæc tamen quæ lucet in OLIVARIO *SAPIENTIA* longè diverſi generis eſt ab illâ. Quid enim docemur in *Academiis* præter *Entia rationis*, *Chimeras*, *Metaphyſica*, *Accidentia nonnulla*, quandoquidem vel unius *Formicæ*, vel *Culicis* ſubſtantiam ab eô tempore, quô tantô tàm multæ per totum terrarum orbem viguerunt *Academiæ*, *SAPIENTUM* illorum *Pythagoricorum*, *Academicorum*, *Peripateticorum*, *Stoicorum*, *Epicureorum*, *Thomiſtarum*, *Scotiſtarum*, *Suaresiorum*, *Vaſqueziorum* nuſquam adhuc aperire potuerit ullus. Unde *SAPIENTES* illos omnes meô quidem judiciô rectè libris exteriùs deauratis, βιβλίοις χρυσοῖς *Lucianus* comparat, qui nihil interiùs niſi *fabulas* contineant, *Comœdias*, *Trægedias*, *futiliaquè* ſimilia plurima. Aureum enim illi *SAPIENTIÆ* nomen præ ſe ferunt, cùm illorum *SAPIENTIA* meris in *Nugis* ſita ſit. Anne *SAPIENTEM Didymum* grammaticum arbitraris? Qui *teſte Senecâ*, *quatuor librorum millia ſcripſit de* Grammaticâ, *miſer ſi tàm multa ſupervacua legiſſet*, *in his libris de Patriâ* Homeri *quæritur*, *in his de* Æneæ *Matre verâ*, *in his Libidinoſior* Anacreon, *in his an* Sappho *publica fuerit*, *& alia quæ erant dediſcenda ſi ſcires.* Anne *SAPIENTES* illos arbitraris? Qui ducenta millia voluminum callerent εἴκοσι μυριάδας βιβλίων, quæ Bibliotheca *Pergami* contineret. Anne *SAPIENTES* illos exiſtimas? Qui cognitionem omnem haberent quingentorum millium in *Alexandriâ* Bibliothecâ voluminum, authore *Ariſteâ*; Septingentorum millium ex *Gelliô*, quadringenta quorum millia ſemel *Alexandriæ* conflagraſſe, prodit *Seneca.* Anne *SAPIENTEM* quis *Plinium* arbitretur? Qui compendium duorum millium voluminum nobis reliquerit. Si quis inquam quæ dictis in libris *SAPIENTIAM* omnem contineat. Hiſtorias *Athenarum* ante *Solonis* ætatem novem annorum millibus conditarum. *Ægyptiorum annales* ab *Oſyride* ad *Alexandrum Macedonem*, per viginti tria annorum millia. *Chaldæorum Ephemerides* & *Hiſtorias* ad expeditionem *Alexandri Macedonis* in *Aſiam*, per quadringenta & ſeptuaginta duo annorum millia. *Indiæ* Monumenta per multas annorum myriadas ante mundum conditum, in quibus, ſi ſuperis placet, tùm patrem *Adami* reperias,

Lucian. de iis qui mercede conducti vivunt in divitum familiis.

Senec. in Epiſt. ad Lucil Epiſt. 88.
Plut. in Demetrio.
Ariſtæas de 72 interpret.
Gellius lib. 6. c. ult.
Senec. libro de tranquillitat. animi.
Plin. hiſt. nat.
Plat. in Timæo
Diodor. l. 1.
Idem l. 2.
Hiſtor. Indic. Mapheus.
Perer. in Gen.
Scaliger. de emendat. temp. & canonum Iſagogic. lib. 2.

tùm *Pædagogum*. Si teneas inquam hæc omnia, non eris eò *SAPIENTIOR*, *Ovidii* quàm ſi *Metamorphoſes* apprimè calleas. Nec enim eſt in libris propriè *SAPIENTIA*; Nec vera prudentia reperitur nec habetur in *Academiis*, *PRUDENTIA NON DOCETUR SALMANTICÆ*, aiunt *Hiſpani*, quæ tamen *Academia* ex orbis celeberrimis una eſt. unde *Ptolomæus Philadelphus* in conviviô, ſeptuaginta duo ſcripturæ percunctatus interpretes, quinam poſſet haberi *Prudentia*, ex illis ſubjecit unus. *Prudentia quoddam animi decus eſt, à Divinâ potentiâ fluens.* Et certè docet *Angelicus doctor*, atq; cum eô Theologorum omnium Scholæ, quòd *SAPIENTIA*, quâ formaliter *SAPIENTES* ſumus, eſt quædam participatio divinæ *SAPIENTIÆ*, quæ Deus eſt. Quod & *Paganis* ipſis non fuit incognitum, *Xyſtus* enim *Pythagoricus Ethnicus*, hanc ex cœleſti quôdam effatô, ex tuſô quôpiam divinitùs oraculô, ex aliquô divinô prorſùs *Axiomate*, pluſquàm auream, Nectare, Ambroſiâquè dignô protulit ore ſententiam, *SAPIENS MENS SPECULUM EST DEI*, ut enim ſpeculum non niſi ſpecies acceptas exhibet, ſic humana mens nullam niſi immiſſam à Deô, infuſamq; refert SAPIENTIAM, quæ ſit & ipſamet ipſe Deus.

Ariſtæas in convivio.

D. Thom. 2. 2. q. 23.

Xyſtus Pythag. in ſentent.

Unde patet, quòd inter veram *Prudentiam SAPIENTIAMQUE*, quâ ſummos Principes ornatos ſtatim evincam, differentia plurima, diſcrimenquè maximum interſit. Quænam enim eſt humana *SAPIENTIA* vulgaris, ordinariaq; *Prudentia*? Hanc nobis *Horatius* aperiet.

Horat 1. Epiſt.

Virtus eſt vitium fugere, & SAPIENTIA *prima,*
Stultitiâ caruiſſe.

Ergo qui non eſt ſtultus, demens, inſanus, *SAPIENS* eſt, primâ & ordinariâ, communiquè *SAPIENTIA*. Quam eruditi viri ſententiam roborat *Tullius*, dum ſic *SAPIENTIAM* definit, *SAPIENTIA EST SANITAS ANIMI*: Cùm enim animus hominis extraordinariis affectibus nullis agitetur, in quibus ſunt animi morbi, hunc *SAPIENTEM*, *Prudentemquè* dicimus.

Tul. quæſt. Tuſcul. q. 3.

Eſt igitur alia longè nobilior, cœleſtis, extraordinaria, minimequè vulgaris *SAPIENTIA*, quam ſummis Principibus, iiſquè quos ad populos regendos Deus eligit, communicare ſoleat. Nolo mihi fidem habeas, amice lector, ſed eum aſculteris, qui *SAPIENTIAM* eandem impertiat. Cùm aliquando quæreretur, apud Deum *Moſes*, quòd tantum ſolus populum regere non poſſet, reſponſum accepit à Deô, ut ſeptuaginta ſeniores eligeret, *Auferam* inquit, *de ſpiritu tuô tradamquè eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.* Vide qùi ſufficiens ad populum *Iſraeliticum* regendum uni *Moſi* nimirum à Deò conceſſa, poſteà multos inter eorumdem regimini præfectos ab eôdem Deô una eademquè dividatur *prudentia*. Quam & tradidit *Joſue* his verbis. *Sicut fui cum* Moyſe, *ita ero tecum, noli timere, quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcunque perrexeris.* Nonne dicitur de *Othoniele, fuitq; in eô ſpiritus domini, & judicavit* Iſrael. Nonne cùm ſpurius, ejectus, vagabundus latro *Jephte*, ſtatim atque fuit electus Princeps, *factus eſt ſuper* Jephte *ſpiritus Domini*. Nonne ſtatim ubi præfectus eſt à Deô populo ſuo, ſtatim, inquam, *ſpiritus Domini induit* Gedeon. Lege poſtquam Aſinarius Bubulcuſquè *Saul*, Rex creatus eſſet, eſſetq; neceſſarium regis induere perſonam, quomodò *inſiluit ſpiritus Domini in* Saul. Atque ut quæ dico conſideres attentè, magniquè facias, Deiquè *Prudentiæ* largitorem in ſummis Principibus, nationumquè adminiſtratoribus venereris, nota quòd ubi primùm unctus *David* eſt in regem *Iſrael, directus eſt ſpiritus Domini à die illâ in* David *& deinceps, ſpiritus autem domini receſſit à* Saul.

Numeror. 11.

Joſue. 1.

Judic. 3.

Judic. 11.

Judic 6.

Sam. ſeu Reg. 1. c. 11.

Ibid. c. 16.

Quæ

Quæ ſine dubiô theſim meam ſole clariorem evidenter oſtendunt, quibus ſi propiùs abſentis à morte verbà *Davidis* ad *Salomonem* filium, dum adminiſtrationem regni ſuſcepturus eſſet, addamus. Quid dicturi ſunt, qui ſunt in hâc hæreſi, ut ſummi Principes, rerumquè publicarum adminiſtratores, vulgari communiquè *Prudentiâ* tantùm indigeant. Audiant igitur verba *Davidis*, *Det tibi dominus* prudentiam *& ſenſum, ut regere poſſis* Iſrael. Cùm autem punire vult nationem aliquam Deus, vel *prudentiam* illam non communicat, vel fatuum Principem, aut puerum dat illi, quod in *Rhoboam* acciditſſe tenent omnes, atque in noſtrâ *Galliâ* tempore *Caroli ſexti frenitici*, ſanguine tincti fluvii nimis apertè probarunt, nec non in noſtrorum Regum minoritate ſemper evenire ſolet in *Galliâ*, de quâ veriſſimè tunc dici poſſit. VÆ TIBI TERRA, Cujus REX PUER EST.

1 Paralip. 22.

2 Paralip. 10.

Annal. f anc.

Eccleſiaſt. 10.

Neque ſolùm hæc propoſitio mea, demonſtratur evidenter à Deô, ſed à variis authoribus, *Ethniciſquè* veriſſima creditur, nam rerum publicarum gubernandarum peritos, θείους appellat *Plato*, propter Divinam hanc *prudentiam* videlicet. Quin & eruditè *Turnebus* annotat, ſummos Principes ab *Homerô* vocari διοτρεφεῖς alumnos Dei, quod ex *Dionis Chryſoſtomi* ſenſu ſic debet intelligi, ut cœleſti, divinâquè *SAPIENTIA* doceantur à Deô Principes, quam ad regendos homines tanquam cibum illorum animis continuum adminiſtret, unde præterea colligit ſolos ſupremos Principes, rerumquè publicarum ſummos adminiſtratores eſſe *SAPIENTES*. Propterea cùm aliquando *Diogenem* interrogaret *Alexander*, quiſnam ipſum regiam edocere poſſet artem, reſpondiſſe perhibetur *Jovem*, hoc eſt Deum, qui ſolus hanc ſciat artem, & quibus placeat communicet, duplicem enim eruditionem eſſe, Divinam unâm, Humanam alteram, Divinam quidem magnâ validam, facilem, infuſam à Deô ſummis Principibus: Humanam, parvam, imbecillem, deceptionis plenam, quæ demorſos nihilominus ſapiat ungues, & tamen maximâ cum fallaciâ, nec non injuriâ veræ *SAPIENTIÆ*, quæ ſummorum Principum propria ſit, putant homines hunc qui multas calleat diſciplinas, libroſq; plurimos evolverit, *SAPIENTISSIMUM*, & eruditiſſimum, Νομίζουσι τ πλεῖστα γράμματα εἰδότα, καὶ πλείστοις ἐντυγχανόντα βιβλίοις, τοῦτον σοφώτατον, καὶ μάλιστα πεπαιδευμένον.

Plato de virtute.

Turnebus adverſ. l. 6. c. 13.

Dion. Chryſoſt. περὶ τ Καμηλείας oratione quartâ.

Quamobrem cùm in ſupremis Principibus, ſummiſquè *Rerumpublicarum* adminiſtratoribus inſit Divina *Prudentia*, *ſpiritus Dei*, *Deus ipſe*, *cujus ſint illi ſpeculum*: Quod ſatis eſt nobis evidens ab effectibus, per quos ad infallibilem cauſarum cognitionem devenire ſolemus. In te profectò Divinam OLIVARI *Prudentiam*, *Dei ſpiritum*, Deumquè ipſum, in cujus manu cor tuum ſit, cujuſquè modò ſuprà dictô *SAPIENTIÆ SPECULUM* exiſtas: Quemadmodum effectus innumeri *Prudentiæ* tuæ, qui vulgarem, ordinariam, communemquè multis ſuperent gradibus, nos licet abnuentes, fateri cogunt.

Quibus ita conſtitutis, te quibus poſſum hortor precibus, quicunque clàm, paucos inter ſecretò, remotiſquè pluribus ſimul arbitris, calamitatem machinaris OLIVARII, perniciem eidem moliris, atque per inſidias vitam quæris illius, quem tamen, niſi ſponte coecus eſſe velis, Divinâ *Prudentiâ* regi, regereq; cognoſcas; Tibi ſum inquam author, ut à clandeſtinis in illum conſiliis tuis, occultiſq; proditionibus omninò deſiſtas, quandoquidem *non eſt* SAPIENTIA, *non eſt* prudentia, *non eſt conſilium contra dominum*, qui non obſcuris tibi rationibus, tùm in *ANGLIÆ* Principem elegit, tùm regit, tùm protegit OLIVARIUM.

Proverb. 21.

RELIGIOSUS

NEſcio quô pactô fieri dicam, humane lector, à naturâ quaſi comparatum olim fuiſſe, ut profanis, nihilquè RELIGIONIS habentibus, vel à RELIGIONE remotis uſibus oleam violari, contaminarivè nuſquam unquam permitteretur: ita ut apud omnes benè moratas civitates, intelligenteſquè nationes, hæc arbor tanquam *ſancta*, *ſacra*, *Auguſta*, RELIGIONI peculiariter *conſecrata*, Divinoquè cultui ſemper habita fuerit. Teſtem appello veritatis iſtius rerum Naturæ memorabilium fide dignum ſcriptorem, IN PROFANIS USIBUS POLLUI OLEAM FAS NON EST, inquit. Unde nullô modô mirandum mihi venit, quod alioqui certè maximam habet admirationem, ſi ſuis in *Poëmatis*, *fictionibus Poëticis*, *Metamorphoſibus*, ſic OLIVAM reveriti fuerint, qui de ſuis tamen Diis tàm abſurda, tàm abſona, tàm à ratione prorſùs aliena, eorum authoritàte prorſùs abuſi ſcripſerint, ut eam ſuis violare *verſibus* auſi nunquam fuerint. *Poëtas* omnes evolve tùm *Græcos*, tùm *Latinos*, ex illis nemo tàm temerarius, tàm petulans, tàm protervus, tàm ad audendum projectus uſquam inventus eſt, qui quenquam, vel quidquam unquam ſuis carminibus in OLIVAM tranſmutare, vel OLIVAM in aliud fuerit aggreſſus. Apud illos quidem reperias *Daphnem* virginem in *Laurum*, *Atyn* in *Pinum*, *Cypareſſum* in *Cupreſſum*, *Clytiam* in *Heliotropium*, *Driopen* in *Loton* arborem, *Leucothoen* in virgam *Thuream*, *Myrrham* puellam in ſui nominis arborem, *Heliades Phaëtontis* ſorores in *Alnos Populoſvè* mutatas, è *Thraciâ* mulieres plurimas, ut de ſimilibus innumeris taceam, varias in *arbores* tranſmutatas eſſe, neminem autem unquam in OLIVAM, licet in *Oleaſtrum*, unum *Appulum* mutatum reperias, qui

Plin. l. 15. c. 30

Ovid. Metam. l. 15.

Nec priùs obticuit, quàm guttura condidit arbor,
Quippe notam linguæ baccis Oleaſter *amaris*
Exhibet.

Et licet *Orpheus* Poëta, muſicuſquè celeberrimus, dicatur ad ſaltum & ad choreas attraxiſſe *Lyræ* ſuæ dulcedine, *quæ jam inter Aſtra numeratur*, ſaxa, feras, arboreſquè, nunquam inter eas tamen in re tàm ludicrâ mentionem OLIVÆ factam invenies, lege *Pelignum* hìc eâ de re vatem, atq; varias inter arbores attractas ab *Orpheô*, quære diligenter oculis *Oleam*.

-Non

-- *Non* Chaonis *abfuit arbor*,
Non nemus Heliadum, *non frondibus* Æſculus *altis*;
Nec Tiliæ *molles*, *nec* Fagus, *& innuba* Laurus,
Et Coryli *fragiles*, *&* Fraxinus *utilis haſtis*,
Enodiſque Abies, *curvataquè glandibus* Ilex.
Et Platanus *genitalis*, Acerquè *coloribus impar.*
Amnicolæquè ſimul Salices, *& aquatica* Lothos,
Perpetuoquè virens Buxus, *tenueſquè* Myricæ,
Et bicolor Myrtus, *& baccis cærula* Ficus,
Vosquoque flexibiles Hederæ *veniſtis*, *& unà*
Pampineæ Vites, *& amictæ vitibus* Ulmi,
Orniquè, *&* Piceæ, *pomoquè onerata rubenti*
Arbuſtus, *& lentæ victoris præmia* Palmæ,
Et ſuccincta comas, *hirſutaquè vertice* Pinus
Grata Deum matri, *ſiquidem* Cybeleïus Atys
Exuit hâc hominem, *truncôquè induruit illô*,
Affuit hnic turbæ metas imitata Cupreſſus,
Nunc arbor, *puer ante* Deô *dilectus ab illô*
Qui citharam nervis & nervis temperat arcum.
Tale nemus vates *attraxerat.*

Ovid. Metam. l. 10.

Vide quæſo, lector benevole, quòd hìc *Oleam* alias inter arbores in re jocoſâ, ludicrâ, ridiculâ, vel nominare ſolummodô non ſit auſus *Ovidius*, quia nimirum, *IN PROFANIS USIBUS POLLUI OLEAM FAS NON EST.* Quam quia profanaverat inverecundus, & impudens *Actæon*, conſcenſâ videlicet *Oleâ*, impudicos ut impuris nudatæ *Dianæ* conſpectibus ſatiaret oculos, à *Dianâ*, tùm à *Minervâ* ſic punitus eſt, diſcerptus quippe propriis à canibus, ut etiamnum ſit ille fabula pueris, & irriſio, inquè ore vulgi, communibuſquè eam ob rem verſetur Proverbiis.

Plin. l. 15. c. 30.

Nonnus Dionyſius. βιβλίῳ. E.

Atenim inquies, nunquid in Ludis, in quibus tantus erat uſus *Oleæ*, atque etiam in Triumphis maxima fuit ejuſdem *Oleæ* profanatio. Reſpondeo breviter, Ludos, in quibus *Oleâ* coronarentur victores, *RELIGIOSOS* fuiſſe, cum *Diis* & *Heroibus*, quorum in honorem inſtituerentur, eſſent conſecrati, quod idem de *Ovationibus Triumphiſquè* dicendum eſt, qui decernebantur ab antiquis præcipuè tanquam gratulatio *Diis Immortalibus*, iiſdemquè honor habitus pro victoriâ, unde *Pompam* comitabantur *Sacerdotes*, unde fiebant *Sacrificia*, unde *Coronæ*, *Deorum* in templis reponebantur. Unde manet iſtud pronunciatum, atque ab omnibus receptum *Axioma* quòd *OLEA PROFANIS IN REBUS ABUTI NON LICEAT.* Licet autem ſnô in templô, de quibus inferiùs, multa confecerit ex lignis *Oleagineis Salomon*, nunquam tamen legimus eundem ſuis in palatiis, domibuſq; regiis, ullâ uſum *Oleâ* fuiſſe.

Alexander ab Alexand. l. 5. c. 8. Auguſtin. de Civit. Dei l. 12 Interpret. Plin. l. 15. c. 4. Alexand. genial. dier. l. 5. c. 14. & l. 6. c. 6.

Jam verò quòd apud eos, & qui naturæ lumine ſolô, & qui divinâ veri Dei luce colluſtrarentur, *RELIGIONI* conſecrata eſſet *Olea*, breviter, ſtrictim, ſummatimquè, quantum fieri poterit, & quidem paucis aperiam. Atq; ut ab *Ethnicis* ducamus initium, non eſt animus hìc repetere quod ex *Mantuanô* priùs.

Vimina PACIFICÆ *per* TEMPLA *ligantur* OLIVÆ.

Neque etiam viſere denuò, quam in *Academiâ Promethei* medias inter Aras ſuperiùs contemplati ſumus OLIVAM. Neque pariter eam, quam in *Athenienſis Acropolis* templô jam ſuprà conſpeximus. Cùm igitur in templis RELIGIONIS ergo ſerventur Olivæ, à templis ne quæſo tàm citò diſcedamus. Videbimus enim apud *Eleos*, *Aras* eorumdem ritu patriô ramis *Olearum* onuſtas, in quibus τιθέασι κλῶνας ἐλαίας. Quòd ſi paulò longiùs peregri-

Pauſan. l. 1. Herodot. l. 8.

Philoſtrat. l. 5 de vita Apollonii Tyanei c. 1.

nari liceat, ad uſque *Columnas Herculis*, vel *fretum Gaditanum*, viſuri ſumus illic in templò *Herculis Gaditanò* mirandæ pulchritudinis OLIVAM ſitam eſſe.

Pier. lib. 53. Sed quid neceſſe eſt peculiaris cujuſlibet templi facere mentionem, ſiquidem paſſim in templis videre eſt SIMULACHRA DEORUM ex *Oleâ* fabricata,

Herodot. Terpſicore. *Jovemquè* ipſum *Deorum optimum maximumq;* *Oleâ* coronari. Ut ſileam apud *Epidaurios* ortâ ſterilitate dixiſſe *Oraculum*, *Damiæ* atque *Auxeſiæ* ſimulachra ex *Oleâ* facienda, quod non tantùm apud *Græcos*, in uſu fuiſſe legimus, ſed etiam apud exoticos. Nam cùm aliquando *Metymnæi* piſcatores retibus

Pauſan. l. 10. è mari fabricatum ex *Oleæ* lignò *caput* extraxiſſent, πρόσωπον ἐλαίας ξύλου πεποιημένον, Divinâ illud quidem facie, θεῖον, ſed peregrinâ atque omninò diverſâ quàm eſſe *Græcorum* Dii conſueviſſent, ideo conſuluerunt *Oraculum* à quò tulerunt id reſponſi, ut *Bacchum Cephalenium* adorarent.

Creſol. in Anthol. ſacr. part. 2. Atque ut non dicam apud gentiles eoſdem, quod ſcriptorum plurimorum teſtimoniò conſtare poteſt, OLIVARUM *Oleò* ſimulachra Deorum uncta fuiſſe. Refert *Ariſtoteles* quòd in *Panatheò* eſſet *Olea*, ἐλαία καλλιεέφανος muró circumjectò munita, tàm *ſancta*, *ſacratavè*, tantâquè in *veneratione*, ut

Ariſtot. lib. περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων Autor λόγων περὶ γυναικῶν. l. 9 ne quis eam tangeret ſub gravi pœnâ cautum eſſet, καὶ ζημία μεγάλη τῷ θιγόντι αὐτῆς ἦν, *Ne cujuſquam tactu pollueretur duntaxat.* Quod non tantùm hâc in *Oleâ* factum reperio, ſed in omnibus aliis. Contendunt enim, nec ii quidem vulgares authores, *Oleam ſanctam puramquè arborem*, non niſi à *ſanctis puriſq;* OLIVANTIBUS præcerpi ſolitam, iiſquè jurejurandò adactis, ſi matrimoniò juncti ſint, ſibi niſi cùm ſolâ conjuge rem nunquam fuiſſe; Si *Agami*, ſe nullius concubitu pollutos, atque eâ ratione lætiorem uberioremq;

Florent. de re ruſticâ. Rhodig. l. 12. c. 16. OLIVARUM annò ſequenti fore proventum. Quin etiam *Græci*, ut *Rutilio Tauro* placet, aliiſquè plurimis, à puris ſolummodò pueris, virginibuſq; *Oleam*

Valerian. l. 53. coli jubent, eamquè ob cauſam in urbe *Ciliciæ Anazarbò* ſic cultas *Oleas*, feraciſſimas eſſe memorant.

Ad hæc, quòd *Olearum* in *ſacris* uſus eſſet, multis edocemur. Ac primùm in more poſitum fuit apud antiquos, ut *ſacra facientes* uterentur *Oleâ*, quemadmodum *Æneas*.

Vi. Æneid l. 5 *Ipſe caput tonſæ foliis evinctus* OLIVÆ.

De more *ſacrificantium* videlicet, ut conſtat ex interpretibus. Sic quoquè *Mopſus ſacrificans*

Flac. 3. Arg. *Tempora tùm vittis, tùm ſupplice caſtus* OLIVA
Implicat.

Philoſt. de vita Apoll. l. 7. c. 14 Sic *ſacra facturus Domitianus inducitur* θάλλου στέφανον ἔχων, OLIVÆ *geſtans coronam.*

Lavor. de Priſ. & recenti funerandi more tit. 2. c. 15. Inſuper poſtquàm funus antiqui proſequuti fuerant, *expiationis* ergo mundabantur aquâ, piator enim *Sacerdos* ramò *fœlicis* OLIVÆ *luſtrabat eoſdem aquâ purâ*, *rorequè levi aſpergebat*, quod erat *purgationis genus à funebri pollutione mortui duntaxat.* Unde *Chorineus* officiò *piatoris Sacerdotis fungens*, *pollutos Teucros propter funus & exequias* MISENI,

Virg. Æn. l. 6. *Idem ter ſocios purâ circumtulit undâ*
Spargens rore levi, & ramò fœlicis OLIVÆ,
Luſtravitque viros, dixitquè noviſſima verba.

Creſol. in Antolog. ſacr. Quin & doctiſſimus *Neotericus* probans OLIVAM *ſacerdotalem* eſſe plantam, his demum verbis utitur, OLIVA *eſt* ſacerdotalis *planta*, *quod vel ab* Ethnicis *fuit cognitum*, SAPIENTIA *illuſtribus*, *qui inter notas venerandi* Sacerdotii *ponebant* OLIVAM, *quò ex ſenſu de* Numâ, *qui* Pontificum *jura & cerimonias illuſtravit*, Romanorum *ſummò judiciò* Coryphæus *Poetarum ità canit.*

Quis

Quis procul, ille autem ramis insignis OLIVÆ
Sacra ferens. Virg. Æn. l. 6.

Ubi Servius *eruditè, ramis inquit insignis* OLIVÆ *propter* Sacerdotium.

Ad extremum in sacris *Panathenaïcis Athenis* institutis à *Theseô* in honorem *Minervæ*, quæ à *Latinis Quinquatria* nominantur quintô quôque annô celebrari solita, præter ea quæ quotannis peragebantur, in sacris inquam istis ludis, ministri quidam erant dicti θαλλοφόροι gestantes OLIVÆ ramos, cùm thallus sit OLIVÆ termes sive ramus, quorum *Apis Attica* meminit, nec non *Tetrametri* repertor, cujus *Scholiastes* ait in *Panathenaïcis* à senibus duci *Pompam*, qui ramos haberent *Oleæ* θάλλους ἔχοντες. Denique in *Olympicis* reliquos inter *Græciæ* ludos longè celeberrimis, qui intra *Pisam* & *Elidem*, in campô cui *Olympia* nomen est, magnô conventu *Græciæ* totius, Equestri *sacrô* certamine quintô quôque annô in honorem *Jovis Olympici*, cujus delubrum in *Achaiâ* celebratissimum propiùs aberat, celebrari consueverant, unde sumpserunt originem *Olympiades*, quibus in ludis qui victores extarent sive *Olympionicæ, Oleâ* coronati, atque vecti suam in patriam *triumphali curru*, non per *portas* sed per *ruinas murorum*, urbes suas ingrederentur, quibus de ludis ait *Poëta*. Xenephon. in Sympot. Aristoph. in vespis.

Sunt quos curriculô pulverem Olympicum
Collegisse juvat, metaquè fervidis
Evitata rotis, palmaquè nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos. Horat. l. 1. car. od. 1.

Atque ut videat lector, quàm glorioſi essent *Olympionicæ*, referam secundâ post nonagesimam *Olympiadæ*, *Exænetum Agrigenti* civem in *Olympicis* victorem, magnificô invectum in urbem curru, comitantibus ejus *Pompam trecentis bigis, equis candidis*, iisque omnibus *Agrigentinis*. Porrò victores *sacris* hîce in ludis *Oleâ* coronatos, multis probat Philosophorum sine contraversiâ princeps *Aristoteles*. Atque, ut fileam ludos institutos ab *Æneâ* in honorem *Herois* parentis *Anchisæ*, in quibus ait ipsemet. Diodor hist. bibl. l. 13. Arist. περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων.

--Tres præmia primi Virg. Æn. l. 5.
Accipient, flavâquè caput nectentur OLIVA.

Postremò ramum *Oleagineum* ad arcendam famem *Athenienses* offerebant *Apollini*, tanquam rem quæ posset huic offerri *sanctissimam, sacratissimam*, RELIGIOSISSIMAM, *Prætiosissimam*, quæ ita in *sacris* mortuorum à *Græcis* adhibebatur plurima, qui τοῖς μὲν γὰρ ἀποθανοῦσιν ἐλαίας συνεκφέρουσιν, cum mortuis efferant *Oleas*. Ut autem fileam aniculas OLIVÆ ramos in re funereâ quatientes, inde finio, unde ducta priùs est hæc apud *Gentiles Ethnicosquè* solennis *Oleæ consecratio*, finio inquam ex *Demosthene* cum jurisperitô clarissimô, NEFAS ATHENIS FUISSE OLEAS AD PROPHANOS, AT FAS AD USUS SOLUM MODO SACROS CONVERTERE. Clem. Alexan. stromatum l. 4. Artemodor. l. 4 c. 59. Apuleius l. 3. Anton clarus lib. in leges.

Satis mihi multa verba feciſſe videor de *Olearum* apud antiquos *Ethnicos consecratione*. Restat ut videamus, quantus fuerit earumdem usus in *VERI DEI* cultu *RELIGIOSO*. Et quandoquidem duximus apud *Ethnicos* à templis initium, hîc & idem similiter præstare lubet. Ac primùm magnificentissimum omnium quæ unquam in honorem *VERI DEI* quis unquam ædificarit, exceptò *Justinianeô*, de quô suprà, templum *Salomonis* introspiciamus, illîc quantô in *honore*, quantâ in *veneratione*, in *RELIGIONE* quantâ fuerit OLIVA, conspiciemus, totum id rerum memorabilium à Regibus Populi Dei gestarum sacer nobis scriptor aperiet. Salomon, inquit, *fecit in* Oraculô, *hoc est interiori templô, sive* sanctô sanctorum; *Duos* Cherubim *de lignis* OLIVARUM, *decem cubitorum altitudinis*, *posuitquè* Cherubim *in mediô templi interioris*, Penult. Reg. 6.

interioris, extendebant autem alas ſuas Cherubim, *& tangebat ala una parietem, & ala* Cherub *ſecundi tangebat parietem alterum, alæ autem alterâin mediâ parte templi ſe invicem contingebant, & in ingreſſu* Oraculi *fecit duo oſtiola de lignis* Olivarum, *poſteſquè angulorum quinque, & duo oſtia de lignis* Olivarum, *& ſculpſit in eis picturam* Cherubim, *fecitquè in introitu templi poſtes de lignis* Olivarum *quadrangulatos.* Vide quàm multa hìc de *Oleâ*, & quidem ad inſtitutum noſtrum pertinentia. Cùm autem tàm Olivæ *duæ in conſpectu Domini terræ ſtantes*, tàm Olivæ duæ, quæ *aſſiſtunt dominatori univerſæ terræ*, ex interpretibus alludant ad ſupradictos *Salomonis Cherubinos*, ad eoſquè referantur, propterea & de *Ezechielis* viſione hanc ad rem etiam ex Annalium veteris teſtamenti ſcriptore proferenda nonnulla cenſeo, quæ tamen ſapientis lectoris ſtaterâ trutinâquè probanda relinquo. Moſes *curavit effici duos* Cherubinos *cum quatuor alis, duabus velabant pedes, & partes inferiores, manibus ſuſtinebant* Propitiatorium, *hoc eſt* tabellam auream, quæ tegebat Arcam, *eratquè velut Dei* Scabellum, ad reddenda reſponſa, *unde dicitur de Deô*, qui ſedes ſuper Cherubim. *A* Salomone *autem non duo ad* Arcam, *ſed quatuor appoſiti ſunt* Cherubini. *Erant autem cuilibet facies quatuor, ſive formæ, non autem capita, ut pleriquè putaverunt, hoc enim eſſet monſtrum ſanctô locô indignum, ſed unuſquiſque unô tantum capite & vultu erat, ſed erat tamen quaternis formis ſeu figuris animalium inſignitus*, facies hominis *videbatur in* vultu, brachiis, manibus, cruribus, *&* corporis erecti habitu, facies Leonis *apparet in* cervicibus, armis *&* pectore jubatô, facies Aquilæ *in* alis, facies Vituli *in* bifidis pedum ungulis. *Apparebat ergo* Cherubinus *Juvenis alatus, Leoninô exuviô, quaſi thorace veſtitus, & ungulis* vituli *calceatus.* Hæc inquam *Salianus*, *Ezechielis* viſionem ad templi *Salomonis Cherubinos* referens.

Apoc. 11. & Zach. 4.

Ezechiel c. 1.

Salianus ann. mundi 3074 Num. 52. & 53

Quandoquidem autem templum ſumus ingreſſi, videamus quis fuerit illìc inſuper uſus Olivæ. Sed antequam ulteriùs progrediamur, ſuppono tanquam minimè dubium, nec quæſtionis quidquam habens, in nullô *Tabernaculi* Templive negotiô fuiſſe alium Olei uſum præterquàm Olivarum. Hunc, in teſtimonium fidemquè ſententiæ meæ proferam, qui ſupremâ æternâq; valet tùm authoritate tùm Imperiô, dixit ergo *Deus Moyſi. Præcipe filiis* Iſrael *ut afferant tibi* Oleum *de arboribus* Olivarum *puriſſimum, pilôquè contuſum, ut ardeat lucerna ſemper in* Tabernaculô *teſtimonii.* Atque ut nullam deinceps *Iſraelitæ* prætexerent anſam aut excuſationem ignorantiæ, idem eâdem authoritate, Imperiôquè eôdem repetit, inculcat, & injungit, *Locutus eſt dominus ad* Moyſen *dicens, præcipe filiis* Iſrael, *ut afferant tibi* Oleum *de* Olivis *puriſſimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas, jugiter.* Præterea jubet ex Olivis fieri unctionis Oleum, quô ſanctificentur omnia quæcunque fuiſſent eôdem uncta, *ſume tibi* Oleum *de* Olivetis *menſuram hin*, hoc eſt ad tria pondera, *facieſquè unctionis* Oleum *ſanctum, & unges ex eô* Tabernaculum *teſtimonii, & Arcam Teſtamenti, menſamquè cum vaſis ſuis, candelabrum & utenſilia ejus, Altaria* Thymiamatis *&* Holocauſti, *& univerſam ſuppellectilem, quæ ad cultum eorum pertinent, ſanctificabiſquè omnia, & erunt* ſancta ſanctorum, *qui tetigerit ea ſanctificabitur*, Aaron *& filios ejus unges*, ſanctificabiſquè *eos, ut* Sacerdotiô *fungantur mihi, filiiſq;* Iſrael *dices, hoc* Oleum *unctionis* ſanctum *erit mihi in generationibus veſtris.* Non ampliùs in totâ ſcripturâ vocatur Oleum Olivarum, vel de Olivis vel de Olivetis, ſed ſimpliciter Oleum per excellentiam, unde ait *Moſes ad omnem catervam filiorum* Iſrael, *iſte eſt ſermo quem præcepit dominus dicens omnis voluntarius, & promptô animô offerat Domino* Oleum *ad lumina-*

Exod. c. 27.

Levit. c. 24

Exod. c. 30. & 40.

Exod. 35.

ria concinnanda, & ut conficiatur unguentum. Et paulò post idem ait. *Quisquis vestrum sapiens est, veniat & faciat quod Dominus imperavit, candelabrum ad luminaria sustentanda, vasa illius & lucernas, &* OLEUM *ad nutrimenta ignium.* Unde propterea populus *Israeliticus*, obtulit *Candelabrum lucernas; & utensilia earum cum* OLEO. Atque in dedicatione *Tabernaculi* testimonii, Exod. 39. Principes duodecim tribuum *Israel*, pro duodecim eorumdem tribubus, obtulerunt per duodecim dies consequentes singuli singulis diebus successivè; *Acetabulum argenteum, appendens centum triginta siclos, phialam argenteam,* Num. 7. *habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarii, utrumq; plenum similâ conspersâ OLEO in* Sacrificium. Quæ verba hôc in capite duodecies repetuntur. Porrò ex interpretibus Sexcentorum id genus locorum, similia dicitur consperſa *OLEO*, id est subacta OLIVARUM *OLEO*, locô aquæ, vel simul cum aquâ, quâ subigi farina solet, unde tunc saporis gratissimi suavissimiquè panes vel placentas fieri mos erat, quod satis notum est omnibus, atque etiam colligitur ex bonâ illâ viduâ, à quâ cùm buccellam panis peteret *Elias, respondit, vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydriâ, & paululum OLEI in lecythô, en colligo duo ligna ut ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur.* penul. Reg. 17.

Cùm autem mentionem *Sacrificiorum* ex inopinatô fecerimus, nunc de iisdem ex institutô, deq; industriâ, juxta propositum tamen nostrum agere par & decorum est. Quorum ex *sacra* facientium intentione, seu fine triplici, tria genera constituta sunt. Tripliciter enim à nobis Deus, quem unum *Sacrificia* spectant omnia, considerari potest. D. Thom. 1. 2. q. 103. a. 3. ad. 8.

Primùm enim intellectui nostro Deus objicitur ut ENS A SE, INDEPENDENS, SIBI SUFFICIENS, aternus, immortalis, immensus, principiò finequè carens, undequaque infinitus, pulcherimus, optimus, potentissimus, purissimus, sanctissimus, integerrimus, simplicissimus, sapientissimus, beatissimus, glorioſissimus, omnimodâ majestate dignitatequè præstantissimus, Dominus, Rex, Imperator orbis unicus, absolutissimusquè Monarcha. Cùm igitur ad entis illius perfectiones tantas, tamquè innumeras animum advertunt homines, quæ ne quidem in eorum cogitationes cadere possunt, tantâ capiuntur ejus admiratione, ut huic eô solô nomine *Sacrificium* instituant, quod *Holocaustum* ideo dicitur, quia Victima tota in honorem & *reverentiam* tantæ *MAJESTATIS* tota flammis absumatur.

Deinde Deus idem ab hominibus consideratur, velut ipsis beneficus, largus, benignus, munificus, liberalis, magnificus, salutaris, amicus, quippe qui foveat eosdem amore tantô tamquè continuô, benevolentiâ, liberalitate, clementiâ; Ut eapropter eidem, ob ejus in ipsos continua munera, merita, gratias, benefacta, multis obstricti, obligati, divinctiquè sint nominibus, quòd eos non tantùm eduxerit ex nihilô, sed per seipsum etiam immediatè conservans, sustinensquè per continuatum eorum existentiæ influxum, atque concursum, singulis eosdem momentis producat; Sine quô immediatô Dei concursu, in nihilum eosdem redactum iri subitò foret omninò necessarium, sed etiam quòd eosdem mediantibus creaturis omnibus etiam conservet, mediante Cœlo, Astris, *Elementis, cibis, potu, vestibus, variis anni tempestatibus.* Propter quæ omnia tanta benefactori suo debent homines, à quô tanta singulis momentis sustineant beneficia, ut eam ob rem, ne sint eorum immemores, & ingrati, secundum *Sacrificii* genus obtulerint, in gratiarum actionem videlicet, vel nomine beneficii accepti, vel accipiendi, quod *Sacrificium Hostiave Pacifica* dicebatur, cujus pars una *sacerdoti* cedebat, altera tradebatur igni, tertia relinquebatur offerentibus, in locô sacrô comedenda, Levit. 3. & 7.

ſi hoſtia fuiſſet quadrupedum, non autem volatilium, quæ tàm multas in partes dividi commodè nequirent.

Ad extremum, hominum mentibus obverſatur ipſemet Deus, non tanquam præſtans, æternaquè natura, neque tanquam mundi procreator, qui cœlum terraſquè tueatur, ac regat; Sed velut ſeveriſſimus flagitiorum *Judex*, auſterus ſcelerum arbiter, acerbus criminum vindex, inexpugnabilis delictorum ultor, in quem tàm multis pravè factis, maleficiis, flagitiis, per tàm multarum, continuarumquè culparum, vitiorum, peccatorumquè conceptionem, contractionem, commiſſionem ſemetipſos aſtrinxerint, obſtrinxerint, devinxerint homines, ut nulla ſalutis ſpes illis reliqua ſit, niſi ut eundem placare, lenire, mitigare, reconciliare, expiare pro virili ſuâ parte conentur. Quòd ut aſſequantur tertium *Sacrificii* genus, nempè *Sacrificium vel Hoſtiam pro Peccatô*, eidem irato, infenſoquè *Judici*, quô ſibi redderent eundem propitium, ſecundum, atq; præſentem, offerendum ultrò decreverunt. Cujus
Levit. 10. *Sacrificii* pars una Sacerdoti, altera flammis tradebatur, niſi pro totius populi peccatis, vel *ſacerdotis* offerretur, tunc enim tota comburebatur non autem ſuper altari Victima, ut nihil de *Hircô* dicam, populi peccata longiùs in ſolitudinem deferente.

Atque hæc quidem de triplici *Sacrificiorum* genere dicta genericè ſufficiant, jam ad propoſitum dicamus aliquid. Pono igitur primum tanquam certum, compertum, manifeſtum, exploratum; Nullum *Holocauſtum*, nullumq; *Sacrificium Pacificum*, ſine Olivarum *OLEO*, quod ſuprà per excellentiam *OLEUM* ſimpliciter appellavi, faciendum aut in templô ritè factum unquam eſſe. Ut autem modum aliquem, rationem, methodum, legem, normam, regulam hâc in demonſtratione ſervemus, de *Sacrificiis* ſuprà dictis, ordine, prout à Deô ſunt inſtituta, diſſeramus.

Ac primùm à *Sacrificiô* jugi, *QUOTIDIANO*, ſempiternô quodquè nullâ unquam occaſione, vel alterô ſuperveniente feſtô debebat omitti, ducamus initium, de hôc enim ait Deus ipſe. *Hæc ſunt* Sacrificia *quæ offerre debetis*,
Num. 28. Agnos *anniculos immaculatos duos quotidie in* Holocauſtum *ſempiternum, unum offeretis mane, & alterum ad veſperam, decimam partem ephi ſimilæ*, Hoc eſt Gomor ſive quatuor farinæ pondera, *quæ conſperſa ſit OLEO puriſſimô, & habeat quartam partem hin*, hoc eſt ad tria *OLEI* pondera, *alterumquè* Agnum *ſimiliter offeretis ad veſperam, juxta omnem ritum* Sacrificii *matutini*. Quô de *Holocauſtô* quotidianô Deus iterum. *Hoc eſt quod facies in altari*, Agnos
Exod. 30. *anniculos duos per ſingulos dies jugiter, unum* Agnum *mane, & alterum veſpere, decimam partem ſimilæ conſperſæ OLEO tuſo, quod habeat menſuram quartam partem* hin, *alterum verò* Agnum *offeres ad veſperam juxta ritum matutinæ oblationis*. Vide quam ſit *RELIGIOSUS* uſus *Oleæ*, cujus tuſum, puriſſimumquè ſuccum ſibi Deus bis offerri velit in jugis Sacrificii cultu, quod mane duntaxat, veſperequè ſingulis diebus oblatum, repreſentaret beatitudinis Divinæ perpetuitatem, cujus cognitione ad Deum ardentiùs amandum, colendumquè provocarentur homines.

Succedit *SABBATHI Sacrificium* de ſupremi Legiſlatoris ejuſdem mandatô. Num. 28. *Die autem SABBATHI offeretis duos* Agnos *anniculos immaculatos, & duas decimas ſimilæ OLEO conſperſæ in* Sacrificiô *& libâ, quæ ritè funduntur per ſingula SABBATHA, in* Holocauſtum *ſempiternum*. Hic & *OLEUM* animadverte in feſtô, *creationis* memoriam revocante, quâ ſex diebus abſolutâ, ceſſaverat operari Deus ſeptimô Die, quem ideo conſecravit. Sed quæret hîc aliLevit. 23. quis, quænam ſit *Epocha SABBATHI*, ſive quandonam incipiat, & deſinat *SABBATHI* ſolennitas? Tantæ quæſtioni reſpondeat Deus ipſe. *A veſperâ uſq; ad veſperam celebrabitis SABBATHA veſtra.*

Die-

Dierum Hebdomadarumquè *Sacrificiis* peractis, & menſium propriis adeſſe nos convenit, à Deô ſimiliter inſtitutis. *In* CALENDIS *autem,* id eſt in menſium exordiis, *offeretis* Holocauſtum *Domino*, Vitulos *de armentô duos*, Arietem *unum*, Agnos *anniculos ſeptem immaculatos*, *et tres decimas ſimilæ* OLEO *conſperſæ in* Sacrificiô *per ſingulos* Vitulos, *et duas decimas ſimilæ* OLEO *conſperſæ per ſingulos* Arietes, *et decimam decimæ ſimilæ ex* OLEO *in* Sacrificiô *per* Agnos *ſingulos*, Holocauſtum *ſuaviſſimi odoris*, *atq; incenſi eſt Domino.* Hic quoque te monitum velim lector; ut in *Næomeniis* ſeu *Noviluniis*, ſeu primâ die menſis cujuſlibet, *Lunaris* ſcilicet, quâ ſublunarium omnium tùm Dominus, tùm rector habgretur, & OLIVARUM pinguedinem offerri ſibi Deum imperaſſe. Num. 28.

Reſtant quæ quotannis ſemel ex ordine divinô *Sacrificia* definita ſunt. *Menſe autem primô quartadecimâ die menſis PHASE domini erit, & quintâ decimâ die ſolennitas, ſeptem diebus veſcentur* azymis *quarum dies prima venerabilis & ſancta erit, omne opus ſervile non facietis in eâ, offeretiſquè incenſum* Holocauſtum *Domino*, Vitulos *de armentô duos*, Arietem *unum*, Agnos *anniculos immaculatos ſeptem, & Sacrificia ſingulorum ex ſimilâ quæ conſperſa ſit* OLEO, *&c. Ita facietis per ſingulos dies ſeptem dierum in fonitem ignis, & in odorem ſuaviſſimum Domino, qui ſurget de* Holocauſtô, *& de libationibus ſingulorum. Dies quoque ſeptimus celeberrimus, & ſanctus erit vobis, omne opus ſervile non facietis in eô.* Ubi adverte. *PASCHA* liberationem exitumquè populi *Ægyptiacâ* de ſervitute ſignificans, die decimaquartâ menſis primi, ſive *Niſan*, ad veſperam incipere, quando videlicet juxta ritus à Deô præſcriptos immolatus comedebatur *Agnus.* Quia autem *PASCHATI*, feſtivitas juncta fuit *AZYMORUM*, quæ ſeptem conſequentibus diebus celebrari conſueverat, propterea duo hæc feſta pro unô ferè ſemper habita ſunt, ubi notare debes obiter, quòd in peculiaribus horum ſeptem dierum *Sacrificiis*, ne unô quidem die, ſacratus OLIVÆ liquor defuerit. Num. 28. Exod. 12.

Proximè accedit feſti *PRIMITIARUM* ſeu *COLLECTÆ Sacrificium*, *PENTICOSTESq;* de quibus & hìc agendum. *Dies etiam PRIMITIVORUM, quando offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadis, venerabilis & ſancta erit, omne opus ſervile non facietis in eâ, offeretiſquè* Holocauſtum *in odorem ſuaviſſimum Domino*, Vitulos *de armentô duos*, Arietem *unum*, Agnos *anniculos immaculatos ſeptem*, *atque in Sacrificiis eorum ſimilæ* OLEO *conſperſæ tres decimas per ſingulos* Vitulos, *per* Arietes *duas, per* Agnos *decimam decimæ.* Cùm autem clariùs idem explicetur alibi, propterea ſubjungam. *Locutuſquè eſt Dominus ad* Moyſen *dicens, loquere filiis* Iſrael, *& dices ad eos, cùm ingreſſi fueritis terram quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum PRIMITIAS meſſis veſtræ ad ſacerdotem, qui elevabit faſciculum coram Domino, ut acceptabilis ſit pro vobis, alterô Die* Sabbathi *& ſanctificabit illum, atque in eôdem die quô manipulus conſecratur, cædetur* Agnus *immaculatus anniculus in* Holocauſtum *Domini, & libamenta offerentur cum eô duæ decimæ ſimilæ conſperſæ* OLEO *in incenſum Domini, odoremquè ſuaviſſimum, &c. Numerabitis ergô ab alterô Die* Sabbathi, *in quô obtuliſtis manipulum PRIMITIARUM ſeptem HEBDOMADAS plenas, uſquè ad alteram diem expletionis Hebdomadis ſeptimæ, id eſt, QUINQUAGINTA DIES, & ſic offeretis* Sacrificium *novum Domino ex omnibus habitaculis veſtris, &c. & vocabitis hunc diem celeberrimum atque ſanctiſſimum, omne opus ſervile non facietis in eô, legitimum ſempiternum erit in cunctis habitaculis, & generationibus veſtris.* In his animadverte peculiaria Sacrificia duo. Primum quod fiebat ipſô *PRIMITIARUM* die decimôſextô menſis, *Niſan* duntaxat, niſi *Sabbathum* incideret eô die, Num. 28. Levit. 23.

tunc

tunc enim quotannis offerebant manipulum ſpicarum ſeu *PRIMITIARUM* meſſis, quam tùm inchoabant, incipiebantquè numerare ſeptem Hebdomadas plenas, quadraginta novem dies ſcilicet meſſi faciendæ, & diei *PENTECOSTES*, qui proximè ſequebatur inveniendo deſtinatos. Quô die quinquageſimô videlicet, fiebat & alterum *Sacrificium*. Dixi autem principium numerandorum horum quinquaginta dierum incidiſſe in decimum ſextum diem menſis *Niſan*, niſi *Sabbathum* in eundem incideret, in quô ſpicas colligere non liceret. Cùm itaque *Paſcha* incideret decimâ quartâ die menſis *Niſan*, & decima quinta dies ſolennis eſſet, nec liceret efficere ullum opus in eâ ſervile, ſi *Sabbathum* incideret decimâ ſextâ menſis ejuſdem, principium dictas *HEBDOMADAS* numerandi caderet in diem decimum ſeptimum menſis *Niſan*. Unde patet quòd feſtum *PENTECOSTES Moſaicam* legem Cœlitùs datam innuens, ſive feſtum *HEBDOMADARUM* propter dictam rationem non accidebat die *quinquageſimô* immediatè poſt *Paſcha*, ut vulgus opinatur, & ut in *PENTECOSTES* dictione, nec non explicatione perperam interpretantur *Grammatici*, ſed *quinquageſimô* primô vel ſecundô à *Paſchate* die celebraretur, ubi nequaquam obliviſci debes, *OLEAGINEUM* humorem in utrôque *HEBDOMADARUM* memoratô *Sacrificiô* in odorem ſuaviſsimum Deo fuiſſe.

Sequitur ordine, feſti *TUBARUM Sacrificium*, de quô. *Menſis etiam ſeptimi prima dies venerabilis & ſancta erit vobis, omne opus ſervile non facietis in eâ, quia dies* Clangoris *eſt, & TUBARUM, offeretiſquè* Holocauſtum *in odorem ſuaviſsimum Domino*, Vitulum *de armentô unum*, Arietem *unum, &* Agnos *anniculos immaculatos ſeptem, & in Sacrificiis eorum ſimilæ OLEO conſperſæ tres decimas per ſingulos* Vitulos, *duas decimas per* Arietem, *& unam decimam per* Agnum. Ubi debes expendere, quòd præter *Sacrificium* quotidianum, *Sacrificium Neomeniæ*, fieret & Sacrificium feſti *TUBARUM*, & ſi eôdem primô die menſis *Tiſri Sabbathum* incideret, quòd etiam *Sabbathi Sacrificium* eôdem fieret Die; Unde maximam Olivarum Olei vim tali die, aliiſquè, in quos incidebant multæ ſolennitates, conſumptam in obſequium Divinum fuiſſe manifeſtum eſt.

Num. 29.

Adverte autem hìc, quòd ab hòc menſe *Tiſri* vulgarem ſuum, ſeu communẽ annum, auſpicarentur *Hebræi*, quòd eô menſe creatum orbem fuiſſe crederent. Præterea, *Proditum eſt ab* Hebræis *primô die menſis ſeptimi contigiſſe, ut* Iſaac *ductus ſit ad* Sacrificium, *quô die inſtitutus eſt à* Moſe *feſtus dies TUBARUM, in quô earum* Clangore *convocabatur populus ad audiendam legem.* Dicunt autem *Hebræi* hujuſmodi *TUBAS* fuiſſe *Corneas* in memoriam liberati *Iſaac* à *Sacrificiô*, & immolati pro eô *Arietis*, qui cornibus hæſerat vepretô implicatus, quô & illud *Davidis* referunt excitantis ad laudandum Deum in *TUBIS* ductilibus, & voce Tubæ *Corneæ*. Quô reſpexiſſe videtur *Hieronymus* dum ait, *Apud* Hebræos *exivit in Proverbium, ut ſi quando in anguſtiâ conſtituti ſint, & Domini optent auxiliô ſublevari, dicant in monte Dominus videbit, hoc eſt ſicut* Abrahæ *miſertus eſt, miſerebitur et noſtri, unde et in ſignum dati* Arietis *ſolent etiam* Cornu *clangere.* Hæc *Hieronymus.*

Tornjellus Annal. Veter. Teſtament. an. mundi 2545. n. 26. Saljan annal. Veter. Teſtam. anno mundi 2163. n 4. Eſdras l. 2. c. 8. Pſal. 97. Hieron. in trad.

Porrò decimô die menſis ejuſdem ſeptimi, *Tiſri* duntaxat, venit feſti *EXPIATIONIS* ſeu *PROPITIATIONIS Sacrificium. Decima quoque dies menſis hujus ſeptimi, erit vobis ſancta, atque venerabilis, et affligetis animas veſtras, omne opus ſervile non facietis in eâ, offeretiſquè* Holocauſtum *Domino in odorem ſuaviſsimum*, Vitulum *de armentô unum*, Arietem *unum*, Agnos *anniculos immaculatos ſeptem, & in* Sacrificiis *eorum ſimilæ OLEO conſperſæ tres decimas per ſingulos* Vitulos, *duas decimas per* Arietem, *decimam decimæ per* Agnos *ſingulos.*

Num. 29

ſingulos. Ritus autem ejuſdem feſti ſequentibus habentur verbis. *Menſe autem ſeptimô, decimâ die affligetis animas veſtras, nullumquè opus facietis, ſive in-* Levit. 16.
digena, ſive advena, qui peregrinatur inter vos, in hâc die EXPIATIO *erit veſtri atque* MUNDATIO *ab omnibus peccatis veſtris, coram Dominô mundabimini,* Sabbathum *enim requietionis eſt, et affligetis animas veſtras,* RELIGIONE *perpetuâ, expiabit autem* Sacerdos, *qui unctus fuerit, ſanctuarium et tabernaculum teſtimonii, atque altare,* Sacerdotes *quoque, et univerſum populum, eritquè hoc vobis legitimum ſempiternum, ut oretis pro filiis* Iſrael, *et pro cunctis peccatis eorum ſemel in annô.* Item *decimô die menſis hujus ſeptimi, dies* EXPIATIO- Levit. 23.
NUM *erit celeberrimus et vocabitur ſanctus, affligetiſquè animas veſtras in eô, & offeretis* Holocauſtum *domino, omne opus ſervile non facietis in tempore diei hujus, quia dies* PROPITIATIONIS *eſt, ut propitietur vobis Dominus Deus veſter, omnis anima quæ non afflicta fuerit die hâc, peribit de populis ſuis, & quæ operis quidpiam fecerit, delebo eam de populô ſuô, nihil ergo operis facietis in eô legitimum ſempiternum erit vobis in cunctis generationibus & habitationibus veſtris,* Sabbathum *requietionis eſt, & affligetis animas veſtras die nonô menſis ſeptimi,* A VESPERA AD VESPERAM CELEBRABITIS SABBATHA VESTRA. Ad hæc, nota quòd hôc eôdem decimô die ſingulis ſeptenniis indicebatur, incipiebatquè *Sabbathiſmus* anni ſeptimi, item *Jubileus* anni quinquageſimi, ita ut quilibet annus ſeptimus, & quinquageſimus quilibet quodammodò feſtivi eſſent. Recordare porrò in dictis Sacrificiis non parùm Olivarum Olei conſumi ſolitum.

Reliquum eſt feſtum Sacrificiumquè TABERNACULORUM, SCENOPEGIÆ, COETUS & COLLECTÆ, à Deô ſimiliter decretum, conſtitutum, Levit. 23.
ordinatum. *Locutus eſt Dominus ad* Moyſen *dicens, loquere filiis* Iſrael *à quintô decimô die menſis hujus ſeptimi erunt feriæ* Tabernaculorum *ſeptem diebus Domino, dies primus vocabitur celeberrimus, atque ſanctiſsimus, omne opus ſervile non facietis in eô, & ſeptem diebus offeretis* Holocauſta *domino, dies quoque octavus erit celeberrimus atque ſanctiſsimus, & offeretis* Holocauſta *Domino, eſt enim* COETUS *et* COLLECTÆ, *omne opus ſervile non facietis in eô.* A *quintô decimô ergo die menſis ſeptimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ veſtræ, celebrabitis ferias Domini ſeptem diebus, die primô, et die octavô erit* Sabbathum, *id eſt requies, ſumetiſquè vobis die primô fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſquè* Palmarum, *et ramos ligni denſarum frondium et* Salices *de torrente et lætabimini coram Dominô Deô veſtrô, celebrabitiſquè ſolennitatem ejus ſeptem diebus per annum, legitimum ſempiternum erit in generationibus veſtris, menſe ſeptimô feſta celebrabitis, et habitabitis in* UMBRACULIS ſeptem diebus, *omnis qui eſt de genere* Iſrael *manebit in* TABERNACULIS, *ut diſcant poſteri veſtri quòd in* TABERNACULIS *habitare fecerim filios* Iſrael *cùm educerem eos de terrâ* Ægypti, *ego Dominus Deus veſter.* Hujus autem feſti, quæ præſertim ſpectamus *Sacrificia* ſequentibus traduntur verbis. *Quintadecimâ verò die menſis ſeptimi, quæ vobis ſancta erit, atque venerabilis, omne opus ſervile non facietis in eâ, ſed celebrabitis ſolennitatem Domino ſeptem diebus, offeretiſquè* Holocauſtum *in odorem ſuaviſſimum Domino,* Vitulos *de armentô tredecim,* Arietes *duos,* Agnos *anniculos immaculatos quatuordecim, & in libamentis eorum ſimilæ* OLEO *conſperſæ tres decimas per* Vitulos *ſingulos, & duas decimas* Arieti *uni, & Decimam decimæ* Agnis *ſingulis.* Aliis diebus fit idem omninò *Sacrificium,* ſed numerus *Vitulorum* unô ſingulis diebus minuitur, cum menſurâ ſimilæ & *OLEI* proportionatâ, ita ut ſecundô die offerrentur duodecim Vituli, tertiô undecim, quartô decem, quintô novem, ſextô octo, ſeptimô ſeptem. *Die octavô, qui eſt celeberrimus, omne opus ſervile non facietis, offerentes* Holocauſtum *in*

odorem ſuaviſſimum Domino Vitulum *unum*, Arietem *unum*, Agnos *anniculos immaculatos ſeptem*, Sacrificiaquè *& libamina ſingulorum per* Vitulos *&* Arietes *&* Agnos *ritè celebrabitis*. Hìc annota denique *TABERNACULORUM* vel *SCENOPEGIÆ* feſtum, Divinam protectionem, quam priùs experti fuerant *Iſraelitæ* quadraginta annis in deſertô ſub *TENTORIIS* habitantes, in memoriam revocare. Quòd autem in octavâ ejuſdem *SCENOPEGIÆ* feſtum erat *COETUS* ſeu *COLLECTÆ*, id fieri poterat in memoriam ejuſdem populi, promiſſionis in terram adunati, illucquè mirandâ, Divinâquè ratione prorſùs introducti, præterquàm quòd hoc feſtum celebraretur etiam in agnitionem fructuum de areâ & de torculari collectorum, quod humane lector ex *Deuteronomiô* colligere potes, atque denique conſiderare, quòd COETUS ſeu COLLECTÆ feſtum in octavâ SCENOPEGIÆ, ad ejuſdem complementum quodammodò pertineret. Cave autem tàm multas inter obſervationes, ne RELIGIOSUM OLIVARUM OLEI uſum, quâcunquè ratione prætermittas, propter hunc enim ſolum tibi *Sacrificiorum* omnium legem atque feſtorum, quæ quotannis ex inſtitutione Divinâ peragi ſolerent, demonſtravi, atque ex conſequenti, comperiſti ſtetiſſe me promiſſis, à me niſi præterea velis, & exigas unum, nempe.

Deut cap. 16.

Hæc ſunt FERIÆ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque ſanctiſſimas, offeretiſquè in eis oblationes Domino Holocauſta *et libamenta juxta ritum uniuſcujuſque diei, exceptis* Sabbathis Domini, *doniſquè veſtris, et quæ offeretis ex votô, vel quæ ſponte tribuitis Domino.* Quod idem non iiſdem verbis licet, infrà repetitur. *Hæc offeretis Domino in ſolennitatibus veſtris, præter vota et oblationes ſpontaneas in* Holocauſtô, *in* Sacrificiô, *in libamine, et in* Hoſtiis Pacificis.

Lev. 23.

Peractis igitur *Sacrificiis*, certis quibuſdam aſſignatis à Deô diebus, de ſpontaneis nunc videamus aliquid, & præſertim de *Pacificis*, in quibus omnibus *OLIVÆ* pinguedinem abundare pariter animadvertemus.

Hæc eſt lex Hoſtiæ Pacificorum, *quæ offertur Domino, ſi pro* gratiarum actione *oblatio fuerit, offerent panes abſque fermentô conſperſos OLEO, et lagana azyma uncta OLEO, coctamquè ſimilam, et Collyridas OLEI admiſtione conſperſas.* Vide quàm multiplex *OLEI* repetitio, nec non uſus tàm paucis expreſſus lineis. Ad ſequentes animum attende. *Cùm ingreſſi fueritis terram habitationis veſtræ, quam ego dabo vobis, et feceritis oblationem Domino in* Holocauſtum, *aut Victimam* Pacificam *vota ſolventes, vel ſponte offerentes munera, aut in ſolennitatibus veſtris adolentes odorem ſuavitatis Domino, de* Bobus *ſive de* Ovibus; *offeret quicunque immoleverit Victimam*, Sacrificium *ſimilæ decimam partem ephi conſperſam OLEO, quod menſuram habebit quartam partem hin. Per* Agnos *ſingulos, &* Arietes *erit* Sacrificium *ſimilæ duarum decimarum, quæ conſperſa ſit OLEO tertiæ partis hin. Quando verò de* Bobus *feceris* Holocauſtum, *aut* Hoſtiam, *ut impleas votum, vel* Pacificas *Victimas, dabis per ſingulos* Boves *ſimilæ tres decimas conſperſas OLEO, quod habeat medium menſuræ hin, ſic facies per ſingulos* Boves, *&* Arietes, *&* Agnos, *&* Hoedos. Denique ut id genus *Sacrificiis* tandem finis imponatur, hoc quaſi compendium eorundem, ratione animôquè luſtra diligenter. *Anima cùm obtulerit oblationem* Sacrificii *Dominô, ſimila erit ejus oblatio, fundetquè ſuper eam OLEUM. Cùm autem obtuleris* Sacrificium *coctum in Clibanô, de ſimilâ panes ſcilicet abſque fermentô, conſperſô OLEO, & lagana azyma OLEO lita. Si oblatio tua fuerit de Sartagine ſimilæ conſperſæ OLEO, & abſque fermento dividēs eam minutatim, & fundes ſuper eam OLEUM. Sin autem de craticulâ fuerit*

Numer. 15.

Levit. 7.

Levit. 2.

Sacri-

Sacrificium ; æquè ſimila OLEO conſpergetur. Si autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de ſpicis adhuc virentibus torrebis igni, & confringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Domino, fundens ſuper ea OLEUM.

Age nunc quiſquis es amice lector, fieri ne poſſit, ut hæc noſtra ſententia, quâ RELIGIOSUM uſum OLEÆ propoſuimus, validiùs probari poſſit? prætermitto ne nimius hìc ego ſim, *Sacerdotes*, *Reges*, *Prophetas*, per *Oleum* idem *Sacratos* eſſe.

Antequam tamen finiam, dicam & aliquid circa illud quod initiò poſueram: OLEAM ſcilicet, *Violari*, *Pollui*, *profanari fas non eſſe*, propterea dicit Deus, *Anima quæ juraverit, & protulerit labiis ſuis, ut vel malè faceret, vel benè, & non fecerit, & idipſum juramentò, & ſermone firmaverit, oblitaquè poſteà intellexerit delictum ſuum, agat pœnitentiam pro peccatò, & offerat de gregibus* Agnam, *ſive* Capram, *orabitquè pro eò* Sacerdos, *& pro peccatis ejus; ſin autem non potuerit offerre* Pecus, *offerat duos* Turtures, *vel duos* Pullos columbarum, *Domino unum pro peccatò, & alterum in* Holocauſtum. *Quòd ſi non quiverit manus ejus duos offerre* Turtures, *vel duos* Pullos columbarum, *offeret pro peccatò ſuò ſimilæ partem Ephi decimam*; NON MITTET IN EAM OLEUM QUIA PRO PECCATO EST. In quod interpetes, vetatur hic OLEUM in *Sacrificiò pro Peccatò*, cujus ſanctionis, ſicut & ceremonialium aliorum cauſa prima fuit Divina voluntas, ſecunda ut ſignificaretur peccatorem expertem eſſe lætitiæ, & lucis, OLEUM enim, & lætitiæ & lucis ſymbolum eſt, tertiam in miſericordiæ ramò ex me ipſò proferam. Hicquè ſolùm addam, *quòd per Peccatum, puritatem, ſanctitatemquè* OLEÆ *Pollui Deus noluerit*, quod *Ethnicis* etiam ipſis notum fuit, nam apud illos, IN PROFANIS USIBUS OLEAS POLUI FAS NON EST, *ut ne propitiandis quidem* Numinibus *accendi ex his Altaria Aræ debeant.*

Levit. 5.

Cornel. in Pentateuch.

S. Cyrillus l. 15 De adoratione in ſpiritu.

Plin. l. 15. c. 14.

Mirare quomodò præterea Deus OLIVÆ caſtitati conſuluerit, ait enim, Si *ſpiritus* Zelotypiæ *concitaverit virum contra uxorem ſuam, quæ vel polluta eſt, vel falſâ ſuſpicione appetitur, adducet eam ad* Sacerdotem, *& offeret oblationem pro illâ decimam partem ſati farinæ hordeaceæ*, NON FUNDET SUPER EAM OLEUM, QUIA SACRIFICIUM ZELOTYPIÆ EST, ET OBLATIO INVESTIGANS ADULTERIUM. Non fundet OLEUM inquit, quiâ *Miſericordiæ*, non crudelis *Zelotypiæ* ſymbolum eſt OLEUM. Ad extremum notat Deus, arguit, magniquè ſceleris *Judæos* inſimulat, quòd OLEUM offerentes *Idolis* profanarint. OLEUM *meum* inquit, *Poſuiſti coram eis, & panem meum quem dedi tibi ſimilam &* OLEUM *Poſuiſti in conſpectu eorum.*

Exekiel c. 16.

Vide igitur humane lector, quàm magni fiat *OLEA*, ſacris, ſanctis, *RELIGIOSIS* uſibus ab omnibus deſtinata.

Quòd ſi non vererer, ne ſe *RELIGIONIS* iſte radius longiùs extenderet, poſſem & hìc oſtendere in Eccleſiâ *Romanâ* annuas OLIVARUM *OLEI* conſecrationes, in uſus ejuſdem Eccleſiæ, ubicunque valet authoritate, magnâ cum *RELIGIONE* fieri, uſurpariquè ſolitas. Sed finiendi tempus eſt, exclamandiquè poſitis ſuprà dictis. O puram, mundam, caſtam, inviolatam arborem *OLIVÆ*! O ſanctam, ſacram, Auguſtam, *OLIVÆ* plantam! O *RELIGIOSAM*, ſacroſanctam, ſicquè Deo conſecratam ubique gentium *OLIVAM*, ut eam nullatenùs ullibi *PROFANARI* licitum unquam fuerit.

OLIVARIVS

NUlla gens poſt homines natos unquam uſquam extitit, tàm agreſtis, tàm inculta, tàm barbara, tàm fera, tàm immanis, cujus animis Divinitatis ſeuſus aliquis non ſit inſitus à Naturâ, nec ab orbe conſtitutô poſt hominum memoriam fuit uſpiam ulla natio tàm ſæva, tàm crudelis, tàm atrox, quæ Divinitatem, cujus expreſſam cognitionem hauſerit à Naturâ, ratione peculiari, cerimoniis, pietate, ſacris, ſanctitate, cultu, honore, reverentiâ, in quibus ſimilibuſvè *RELIGIO* ſita ſit, colere, precari, venerariquè non cenſuerit. Hinc factum, ut cùm omne genus hominum aliquam Divinitatis à Naturâ *RELIGIONIS QUE* cognitionem accepiſſet, nec qualis iſta *RELIGIO*, ſeu cultus huic eſſet exhibendus, diſcernere perfectè poſſet, hinc factum inquam, ut variis quilibet, pro ſuô captu, Divinitatem eandem exprimentes rationibus, huic diverſum pariter cultum, unde *RELIGIONUM* in orbe diverſitas, mortales omnes inſtituerint. Unde porrò patet, quòd omnes antiquitatis *DII*, nihil aliud præterquàm Deus hic noſter extiterit. Auguſtinum auſculta. *Deus unus de quô multi à Poetâ nobiliſsimô dictum putant.*

-- Deum namquè ire per omnes,

Virgil. Georg. lib 4. *Terraſquè, tractuſquè maris, Coelumquè profundum. Ipſe in* Æthere Jupiter, *ipſe in* Aëre Juno, *ipſe in* mari Neptunus, *in* terrâ Pluto, *in* Focis domeſticis Veſta, *in* Fabrorum fornace Vulcanus, *in* Syderibus Sol Luna Stellæ, *in* Divinantibus Apollo, *in* Merce Mercurius, Saturnus *in* tempore, Mars *et* Bellona *in* Bellis, Liber *in* Vineis, Ceres *in* Frumentis, Diana *in* Sylvis, Minerva *in* Ingeniis; *Ipſe poſtremò ſit etiam illa* turba *quaſi* plebeïorum Deorum. Quorum multitudinem refert hìc *Auguſtinus*, quos cùm tibi per otium licuerit, videre poteris, amice lector. Dei cognitionem igitur tùm ſuis in animis inſitam habuêre Nationes omnes, tùm eandem obſervantiâ quâpiam Religiosa coluêre, à quâ vel tantillùm diſcedere deteſtabile nefas opinarentur. Cumquè ſit ubique præſens Deus: Atque in creaturis omnibus, Univerſiquè ſingulis partibus nominum multitudo, nec non diverſitas inſit: In effectibus iiſdem Deum ipſum unum, in Deorum multitudinem pro creaturarum diverſitate diviſêrunt. Atque cùm ex *Tulliô*, *In* Religionibus *ſuſcipiendis caput ſit interpretari, quæ voluntas Deorum*

D. Auguſt. l. 4. de Civit Dei, c. 11.

im-

immortalium esse videatur. Propterea fallaces fraudulentiquè præstigiatores plurimi, simulatô cum Diis colloquiô, populis, quos ipsi finxissent, Deorum tamen nomine, cultus, cerimonias, *RELIGIONES QUE*, quibus pleni sunt *Ethnicorum* codices, præscripsêre. Cùm autem viderent etiam *Politici*, hoc habere plebes à naturâ, ut *RELIGIONE* præsertim ducerentur, & in legibus illi suis, ut plus æstimationis, & honoris apud omnes obtinerent, firmiusquè illis adhærerent, atque constringerentur, *RELIGIONEM* immiscuêre, simulantes se frequenti Deorum uti consuetudine, à quibus populo promulgandas leges accepissent, quas cùm gentes, tanquam à *DIIS IMMORTALIBUS* sancitas acceptarent, *RELIGIOSIUS* observabant. Placet in re tanti momenti testes nonnullos in medium afferre.

Primus erit ille, qui in historiæ suæ compositionem triginta contulit annos, τριάκοντα ἔτι, quiquè *apud* Græcos *nugari desiit* Diodorus. Hic igitur ait, quòd primus *Ægyptiorum* extitit *Mnevius*, qui leges sibi traditas à *Mercuriô* simulavit; Quod apud *Græcos* in *Cretâ* etiam *Minos*; Apud *Lacedæmonios Lycurgus* factitavit, quorum iste *Jovi*, hic *Apollini* suas vendicavit. Id commenti genus apud alias gentes quoque adhibitum, nam apud *Arimaspos Zatraustes* bonum *Genium*, apud *Getas Zamolxis* communem *Vestam*. Apud *Judæos Moses* Deum, qui *IAO* dicitur, legum authorem suarum finxisse perhibetur, παρὰ τοὺς Ιουδαίους Μωσῆν τὸν Ιαὼ ἐπικαλουμένον Θεόν: Atquè à Legislatoribus quidem ideò fictum istud est, sive quòd admirandum prorsùs, & Divinum judicarent commentum illud, quod in commodum societatis humanæ conduceret, sive quòd vulgus ad majestatem & potentiam illorum, qui leges invenisse dicerentur, respectans, dictô magìs audiens fore putarent.

Diodor. lib. 1: Plin. l. 7. Henr. Stephan. in Diod.

Diodorus Siculus bibliothi Histor. l. 1.

Alterum & antiquitatis idoneum maximè testem attentè considera. *Numa Pompilius* legibus condendis, & pietati semper studuit, fabulantur autem identidem ad eum ventitasse *Egeriam Nympham*, eumquè regiam edocuisse prudentiam, alii non *Nympham*, sed *Musarum* unam, ἕτεροι δὲ οὐ νύμφην ἀλλὰ τῶν μουσῶν μίαν. *Numan* hæc de *Egeriâ* finxisse dicunt, ut hâc *RELIGIONE* devincti, leges ab ipsô velut ex authoritate *Deorum* latas libentiùs admitterent, idquè exemplô *Græcorum* factum, *Minois Cretensis*, & *Lycurgi Lacedæmonii* sapientissimorum hominum, *Minos* enim cum *Jove* colloqui se dictabat, ascensô identidem monte *Dictæo*, sacrum *Jovi* antrum ingressus, leges ibi condebat, atq; inde prolatas, à *Jove* se prædicabat accepisse, τοὺς νόμους παρὰ τοῦ ΔΙΟΣ λαμβάνειν.

Dionys. Halic. Antiq. Rom. l. 2

His nec minoris eruditionis, nec authoritatis minoris historicum admove. Cùm *Cerva* recèns peperisset *inquit*, rusticus quidam *Hinnulum* illius captum, totumquè candidum *Sertorio* tradit, quem sic ille domuit ut vocantem audiret, & pergentem quocunquè sequeretur, turbamquè, & strepitum castrensem omnem ferret: Traxit rem paulatim in *RELIGIONEM*, donum *Dianæ Cervam* ferens, multaquè arcana jactabat ab eâ se doceri, quippe *Barbaros* sciebat naturâ in *RELIGIONEM* esse proclives. Attexebat insuper ille talia. Cùm occultè resciviſſet hostes suam in provinciam incurrisse, aut oppidum ad defectionem invitasse, fingebat à *Cervâ* se monitum in somnis, ut paratas haberet copias. Aliàs autem, cognitâ *Legatorum* suorum victoriâ, nuncium abscondebat, *Cervamquè* producebat, ob faustum nuncium coronatam, jubens ut sui gratularentur, & diis haberent honorem, quòd brevì prosperum aliquid essent aduturi, ita milites arbitrabantur *se regi à Deô* non ab homine, οὐκ ὑπ' ἀνθρὸς, ἀλλ' ὑπὸ Θεοῦ στρατηγεῖσθαι, quod fœliciter adeò cecidit illi commentum, ut vix militum octo millibus, gesserit bellum in quatuor potentissimos *Romanos* Imperatores, qui sub signis centum viginti millia *Peditum* haberent, *Equitum* sex millia, illosq; multis diversis cladibus, insig-

Plutarch. in Sertorio.

 nibus

nibus ab iiſdem reportatis victoriis, effecerit, & niſi doloſè ab unô ex ſuis interfectus eſſet, in ſummas ſine dubiô, tùm *Romanos*, tùm *Pompeium* ipſum, redegiſſet *Anguſtias*.

Mahometis veteratoris fraudulenti præſtigiæ non ſunt hìc omittendæ. Qui cùm ſæpè defectionem, animiquè deliquium pateretur, morbô duntaxat laborans *Herculeô*, poſtquàm ad ſe rediret, hunc in ſe defectum animi, caſumq; fieri dictitabat, quòd ille *Angeli Gabrielis*, à quô legem voluntatemq; Divinam hominibus promulgandam acciperet, uti diutinâ conſuetudine teneretur, propter cujus ſplendorem, cœleſtemq; gloriam, quam humana ferre non poſſet natura, cogeretur à ſeipſô quodammodò deficere. Prætera dum *Alcorani* ſui fabulis populos detineret, ad ejus humeros advolabat aliquando *Columba*, edocta grana tritici in auribus ipſius offendere, ad quas dum conſuetô cibô captandô caput admovet, perſuadet *Arabibus* ab illâ Divinam ſe voluntatem edoceri. Quin & *Bovem* ita cicurem manſuetumquè reddiderat, manibus admovendo pabulum, ut illum etiam ſequeretur, ſpectantequè ſemel populô, ad illum Bos accurrit offerendo legem *Alcorani*, cujus cornibus illam impoſtor idem adaptarat anteà. Sicquè rudes, hebetes *Arabas*, mortaliumquè ſtolidiſſimos, ad ſuam doctrinam primos, mendax præſtigiator allexit.

Hiſtor. Relig. Turcar.

Audi quì ad ſuperiores, *Chriſtum* ipſum adjungere voluerint *Ethnici*, de quibus meritò dicebat *Apoſtolus*, *Prædicamus* Chriſtum *crucifixum* Judæis *quidem ſcandalum*, Gentibus *autem ſtultitiam*. Audi inquam quid *Lactantius Chriſtianus Orator*, eloquentiâ *Tullius* alter, ad annum *Chriſti* ducenteſimum ſexageſimum hanc ad rem verbatim habeat. *Ego*, inquit, *cùm in* Bithyniâ *Oratorias literas accitus docerem, duo extiterunt ibidem, qui neſcio utrum ſuperbiùs, an importuniùs inſultarent, quorum alter antiſtitem ſe* Philoſophiæ *profitebatur, treſquè libros evomuit contra RELIGIONEM nomenquè* Chriſtianum. *profeſſus ante omnia* Philoſophi *officium eſſe erroribus hominum ſubvenire, atque illos ad veram viam revocare, Alius eandem materiam mordaciùs ſcripſit, qui erat tùm è numerô* Judicum, *& qui author imprimis faciendæ perſecutionis fuit, quô ſcelere non contentus, etiam ſcriptis, quos afflixerat, inſecutus eſt, compoſuit enim duos libellos, non contra* Chriſtianos, *ne inimicè inſectari videretur, ſed ad* Chriſtianos, *ut humanè & benignè conſulere putaretur, in quibus ita falſitatem Scripturæ ſacræ arguere conatus eſt, tanquàm ſi eſſet tota contraria, nam quædam capita, quæ repugnare ſibi videbantur, expoſuit, adeò multa intima enumerans, ut aliquando ex eâdem diſciplinâ fuiſſe videatur. Quòd ſi fuit, quis eum* Demoſthenes *poterit ab impietate defendere? Niſi forte caſu in manus ejus* Divinæ literæ *inciderint. Quæ igitur temeritas erat, id audere diſſolvere, quod illi nemo interpretatus eſt? Præcipuè tamen* Petrum Paulumquè *laceravit, cæteroſquè* Diſcipulos, *tanquam fallaciæ ſeminatores, quos eoſdem tamen, rudes & indoctos fuiſſe teſtatus eſt, nam quoſdam eorum* Piſcatoriô *artificiô feciſſe quæſtum, quaſi ægrè ferret, quòd illam rem non* Ariſtophanes *aliquis, non* Ariſtarchus, *commentatus ſit. Ipſum autem* Chriſtum *affirmavit à* Judæis *fugatum collectâ nongentorum hominum manu latrocinia feciſſe, cumquè facta ejus mirabilia deſtrueret, nec tamen negaret, voluit oſtendere* Apollonium *vel paria, vel etiam majora feciſſe. Cur igitur O delirum caput, nemo* Apollonium *pro Deô colit? Si* Magus Chriſtus, *quia mirabilia fecit, peritior utique* Apollonius, *qui ut deſcribis, cùm* Domitianus *eum punire vellet, repentè in judiciô non comparuit, quàm ille qui & comprehenſus eſt, & cruci affixus. Atenim ex hôc ipſô fortaſſe, inſolentiam* Chriſti *voluit arguere, quod DEUM ſe conſtituerit, ut ille verecundior fuiſſe videatur, qui cùm majora faceret, ut hic putat, tamen id ſibi non arrogaverit. Non*, inquit, *hoc dico idcirco* Apollonium *haberi* Deum, *quia noluerit,*

1. Cor. 1.

Lactant. l. 5. de juſtitiâ.

ſed

ſed ut appareat nos ſapientiores eſſe, qui mirabilibus factis non ſtatim fidem Divinitatis *adjunximus, quàm vos qui ob exigua portenta* Deum *credidiſtis.* Atque hæc quidem non minus eruditè quàm eloquenter de *Chriſtô Lactantius.* De quô nuper cum *Judæô* mihi ſatis vehemens incidit diſputatio. Quem *Deum* ab infinitis, Chriſtianorumquè pleriſquè, per hypocriſin haberi ſolummodò volebat, quòd in illum ne muſſare quidem ulli ſine gravi poenâ licitum eſſet. Quibus, propter ſcandalum ab ipſis præſtitum, juſtas irrogari poenas, & meritò contendebam, nullamquè fuiſſe nationem ab orbe conſtitutô, quæ non injuriam *Diis* ſuis illatam publice præſertim, quantum eſſet in ipſâ, vindicarit.

Notum eſt omnibus qui *Joannes* ſpurius *Aureleanenſis* videns *Franciam* ab *Anglis* poſſeſſam & oppreſſam, atque *Carolum* ſeptimum *Bithurigibus* in urbe ſolâ ſibi reſiduâ, & animô & ſpe cum cæteris regni ſui nobilibus penitùs excidiſſe, quì inquam magnanimus æquè ac prudens Eques, volens *Francorum* animos erigere, ſimulatâ *RELIGIONE*, quam *Franciæ* populi ſupra modum colunt, *Joannam Puellam Aureleanenſem* vulgô dictam, concubinam ſuam, ſic inſtruxerit, ut â Deô ſe miſſam ad *Franciæ* regnum eripiendum *Anglis* prædicaret. Quod ſive fuerit verum, ſive fictum, adeò fœliciter dictô ſpuriô cecidit, ut, præter *Caletum*, omnia *Gallorum* tunc ab *Anglis* poſſeſſa *Carolus* ſeptimus receperit. DuHaillan l. 1. ſtat. neg. Fran.

Verùm omiſſis *RELIGIONUM* legumquè primis inſtitutoribus, atque adeô ſtratagematis in *RELIGIONE* fundatis. Certum eſt quòd tantum poteſtatis in omnes populorum animos vel *RELIGIONIS* nudum nomen habuerit, atque etiamnum habeat, ut ad quævis ardua *RELIGIONIS* ergò valeas eoſdem impellere. Unde manifeſtè ſequitur, *quòd turbata RELIGIO* Politiam *maximè turbat, cùm à nullâ re majus periculum Imperiis, & Sceptris immineat, quàm ab innovatâ RELIGIONE.* Lipſius libro de una religione.

Propterea ut de *RELIGIONE* demum tuâ dicam aliquid, ſummè *RELIGIOSUS* es Olivari, qui ducentas diverſas jam in *Angliâ RELIGIONES* ita contineas, quaſi in omnibus foret una, quas ſi per vim jam ſupprimere velles, grande ſine dubiô periculum tuo creares principatui, cùm præſertim omnes illæ *RELIGIONES* finem unum & eundem propoſitum habeant, quamvis ad illum per diverſa media tendere videantur. Cùm *RELIGIO*, quâ de hìc agitur, nihil ſit aliud quàm externus Dei cultus. Cùm autem hi putent ſe teneri colere Deum unâ ratione, iſti alterâ, hâc illi, cur ſanguinem *Chriſtianum* effunderes ob diverſitatem opinionum, quæ præſertim fundentur in cujuſlibet *Conſcientiâ*, quæ ſit regula noſtrarum actionum, Lex æterna ſcripta digitô Dei in cordibus noſtris, voluntaſquè Divina, quam conſcientiam qui ducem innocenter ſequitur, ob id nullâ ratione ne à Deò quidem ipſô juſtè puniri debere manifeſtum eſt. Eam ob rem, quandoquidem *RELIGIONE* & *Juſtitiâ* ſervantur Principatus, hoc utrumq; debes attendere, ut *RELIGIO* tua non ſit injuſta, quod ſine dubiô fieret, ſi *RELIGIONIS* quam profiteris gratiâ, ſanguis funderetur innocuus, neve tua juſtitia ſit irreligioſa, quod & pariter accideret, ſi *RELIGIONIS* prætextu ſimulationequè, juſtitiam exerceres, ſupremamquè tibi poteſtatem eâ ſolâ de cauſâ vindicares. Athen. dipnoſophiſt. l. 12.

Nequè vero *RELIGIOSE* Princeps in gratiam ſeditioſorum, res novas molientium, Pacis publicæ prætextâ *RELIGIONIS* larvâ perturbatorum, loqui me putes, hos enim habitâ Religionis ratione nullâ puniendos eſſe, & quidem ſeverè mordicùs aſſevero. Quæ enim quæcunq; demum ſit illa Religio, ſupremam à Deô poteſtatem gerentibus, cujuſcunq; generis illi ſint, honorem, obedientiam politicam, tributum deferre, præbere, perſolvere negat,

negat, certô certiùs non eſt illa Dei ſed Dæmonis RELIGIO. Si autem diverſas profitentes diverſarum opinionum RELIGIONES, quietè, tranquillè, pacatè, honeſtè, ſincerè bonum publicum intendant, quod unum præſertim ſpectare debet omnis politia; Cur ſtatui politico non adverſantes indiſcretô fanaticorum, freneticorum zelô ſint immolandi? Divinam prudentiam tuam ſuprà ſum admiratus OLIVARI, ſed eandem in RELIGIONE miſum in modum ſuſpicio. Nulla enim eſt ſine *Prudentiâ* RELIGIO, nam defectu *Prudentiæ*, vel degenerat in carnificinam, lanienamq; miſerandum in modum ſimplices innocuoſq; lacerando, qui quòd *rationis Conſcientiæquè* ſuæ dictamen ſequantur in RELIGIONIS ſuæ profeſſione, dum illius ergo patiuntur, & ſe *Martyres* arbitrantur, & ſui, *Martyres* eoſdem ubiquè prædicant, inquè ſuos referunt annales *Martyrologiaquè*, nec enim eſt ulla tàm multas inter RELIGIO, quæ non ingentia *Martyrum* ſuorum volumina proferat, jactitet, & oſtentet. Unde qui RELIGIONEM quandam præciſè, quia talis eſt, inſequitur, magis illam erigit, tùm generoſô ſuorum exemplô, tùm, ut alias ejuſdem rei miſſas faciam rationes, quia nitimur in vetitum. Alterum RELIGIONIS extremum *Prudentiæ* defectu generat ſuperſtitionem, vanitatem, ſuperbiam, arrogantiam, contumaciam, calumnias, fraudulentas interpretationes, impoſturas, faſtidium, dementiam, veſaniam, inſaniam, dum RELIGIONIS alicujus profeſſores, quod in plurimis uſu venire ſolet, alios omnes qui non ſint ejuſdem cultores, tanquam vilia *Dæmonum* mancipia, faſtu pluſquàm *Phariſaïcô*, deſpiciunt, aſpernantur, abhorent, ſolos ſe *Sanctos* exiſtimant, ſolos *Electos Dei* ſe venditant, ſibi ſolis *Cœlum* eſſe creatum, nullius urbanitatis, eruditionis, *Prudentiæ*, ſed amentiæ multæ, ruſticitatis inauditæ, *Belluinæ* ſtoliditatis homines, adpromittunt.

Quô utrôque *Prudentiæ* in *RELIGIONE* defectu, vitiôquè prætermiſſô, cùm te prudentiſſimum ſuprà demonſtrarim OLIVARI, in *RELIGIONE* politicâ tenere te medium, ut facis, in quô *RELIGIONIS* perfectio ſtatuatur, maximè conveniens eſt. Si enim quemadmodum ſuprà leviter attigi, *RELIGIONES* varias bellorum tempore firmatas in *Angliâ*, quòd fortaſſe tuæ repugnent, deſtruere coneris; Recordare quòd quælibet in *RELIGIONE* mutatio, maximam inter nationes creet perniciem, atque ut nihil dicam de *Galliis*, quas propter *RELIGIONEM* diſſidio plùs afflixit & exauſit, quàm bella cum extraneis per multa ſecula ſuſcepta potuerint unquam. Ut prætermittam *Germaniam*, quæ propter RELIGIONIS diſſentionem plus ſanguinis amiſit, quàm in orbe totô debellandô fundi debuiſſet.

Annales Francia.

Chronic. Germ.

Tibi redeat in memoriam, quòd *Philippus* ſecundus *Hiſpaniarum* Rex, *Inquiſitionem* in *Belgarum* RELIGIONEM introducere volens, maximam *Belgarum* partem in ſe commoverit, rebellem ſenſerit, tandem amiſerit, excitatô belli civilis incendiô, quod *Belgium* per centum ferè annos integros continuò devoravit. Sed ne longiùs, nec aliunde petam exempla: Vidiſti quì *Carolus* Rex ultimus *Angliæ* ſereniſſimus, ſuas *Epiſcoporum* cerimonias in *Scoticam* RELIGIONEM per vim intrudere cupiens, ſuorum in ſe bellum excitarit, quod nunquam priùs ſedari potuerit, quàm Rex idem *Auguſtiſſimus*, vitam, regnaquè ſua ſibi, ſuiſquè pariter amiſerit. Vidiſti ſimiliter *Epiſcopos Angliæ*, cùm & hìc *inquiſitionem Hiſpanicâ* ſæviorem conarentur in *Religionem Anglicam* introducere, novoſquè in eandem ritus inferre, qui ſint tamen ſola RELIGIONIS accidentia, quòd inquam ſe, ſuos, ſua, ſuamquè RELIGIONEM omninò perdiderint.

Cicer. de natur. Deor.

Unde Politicis author eſt *Tullius*, etiam ſi populos in RELIGIONE ſuâ putent aberrare, ne tamen illos ad aliam urgeant, niſi velint ſe, politiam, Rempublicam,

publicam, imperium deſtruere. Atque hanc ad rem in *Galliâ* non procul à civitate *Rhemenſi* memini me videre ruſticos cujuſdam *Romanæ* RELIGIONIS oppidi, virum gravem, ſerium, eruditum, qui ſe conjecerat in fugam, lapidibus inſequentes, eundem ſi fuiſſent aſſecuti, ſine dubiô lapidibus obruturos. Et hoc quia *Rhemenſis* illum *Archiepiſcopus* illuc ideò delegarat, ut neſcio quas ruſticorum conſuetudines, quas obſervarant anteà RELIGIOSISSIME, velut ineptas & inſulſas auferret, quarum unam aut alteram ab ipſiſmet ruſticis cùm tranſirem illac ego didici, primam quòd morientium veſtes ſuppellectilemquè, quam eccleſiæ loci pauperibuſvè teſtamentô reliquiſſent, in templô, præſente totâ congregatione, poſt abſolutas veſpertinas preces, auctione factâ, publici voce præconis divenderent, quod in forô, locôve aliô publicô, convenientiùs factum iri volebat *Archiepiſcopus*. Alteram, quòd *Capſulas* aliaſquè ſacerdotales veſtes, nec non *Cereos*, cætera, quæ quotannis offerrent eccleſiæ ſuæ, die feſtô loci, per ſuas choreas circumferentes, efferrent, dum ad *tibicinum, fidicinumquè* modulationem numeroſam, cum viris fœminæ palàm in forô ſaltantes, ornamenta templi ſuis choreis exornata priùs honorarent. Quòd ſi ſolius oppidi pagani, RELIGIOSAS ſibi conſuetudines, ſtultas tamen, tantâ cum acrimoniâ defendunt, quid in pari vel longè majori caſu facerent provinciæ, Regna, Imperia?

Addam & alterum oppidanorum in *Galliâ Burgundionum* exemplum. Cùm *Urbanus quintus Pontifex Romanus*, nec ignobilis *Poëta*, videret in *Hymnis*, quæ per totam eccleſiam *Romanam* oratione ſtrictâ cani ſolerent in templis, menda nonnulla contra legitimum verſuum canonem, nec non quantitatem irrepſiſſe, indignum ratus hos in eccleſiæ *Latinæ* templis errores publicè decantari, hunc ipſemet correxit abuſum, atque dictis in *Hymnis* nonnulla, modica tamen, ex orthodoxæ poëſeos inſtitutis immutavit. *Burgundiones* autem ruſtici, homines prorſùs illiterati, atque illorum quæ Latinè canant penitùs ignari, nunquam ullâ ratione potuerunt adduci, ut ab *Urbanô* correctos *Hymnos* canerent, ſed ſuos cum priſtinis mendis, invitis omnibus retinuêre, cumquè ad dictos errores à *Papâ* correctos devenirent, eoſdem elatiori voce, pulmone diductô, quàm anteà longè ſonoriùs intonabant, publicè profitentes RELIGIONEM ſuam invitis tùm *Monachis* omnibus, tùm *Epiſcopis*, tùm ipſômet *Papâ* nunquam violatum iri, fuiſſe alios *Papas* æquè ſapientes atque eſſet *Urbanus*, qui tamen nullum Eccleſiaſticis in *Hymnis* deprehendiſſent peccatum, de reliquô ſe paratos omnes cum fortunarum ſuarum vitæquè periculô ſuos *Hymnos* quales accepiſſent à majoribus ſuis defendere, quos tandem, abeuntes *Romani Pontificis* emiſſarii, de priſtinorum *Hymnorum* cantu permutandô, nunquam ampliùs interpellare ſunt auſi.

Poſſem innumera talia proferre, ſed ea ſufficient, ut quod OLIVARI per Divinam *Prudentiam* tuam ſatis anteà noſti, magìs ac magìs in animô tuô roboretur, altioreſquè radices agat, nempe CUILIBET STATUI POLITICO SUMME PERICULOSUM ESSE POPULOS A SUA RELIGIONE DIMOVERE.

Quod præcaventes in orbe totô Politici, RELIGIONUM ſuis in Rebus publicis multiplicationem, quoad fieri poteſt, impediunt, naturale enim eſſe contendunt, ut ex factione ſuâ RELIGIO quælibet gubernatorem optet, quem, ſi ſe præbeat occaſio, pro viribus foveat, & ad Imperium per ſanguinis flumina, ſtratis Cadaverum montibus evehat. Verùm demus *Politicis*, cùm in aliquô *regnô, republicâ*, ſupremôquè Dominiô quôvis exercetur una RELIGIO quòd *Politicæ Prudentiæ* conveniat, exoticæ ne ſe ſuos inter RELIGIONES intrudant, diligenter animadvertere: At cùm in ipſorum Dominiis jam ſunt introductæ firmatæquè RELIGIONES variæ, propter rationem hanc

unam *Politicam*, ſine ſummô ſcelere, quod vindictam Divinam expoſtulet, nullâ datâ offenſâ, nequaquam poſſunt *Tyrannic è* cultores earumdem opprimere, cædere, penitùs extirpare.

Quid faciendum igitur? Tuam Divinam *RELIGIONEM* ſummequè *Politicam* æmulari debent Olivari, qui *RELIGIONES* hìc jam receptas dum *Reipublicæ* clavum primò tenere cœpiſti, ſummâ complecteris urbanitate, benevolentiâ foves, authoritate protegis. Quô tibi *RELIGIOSI* nomen ab omnibus, & meritò quidem tribuitur, cùm ſingulorum *RELIGIONI* faveas, atque tuis edictis quenquam in *RELIGIONE* ſuâ turbari prohibeas, hincquè apud omnes benè audis, quòd rem maximi momenti, atque adeò principatui tuo, dicam audacter eſſentialem, de *RELIGIONE* ſtatuendi tibi plenariam reſervaris authoritatem, quâ in re maximè pium *RELIGIOSUMQUE* te celebrant omnes, quippequi hâc authoritate tuâ ſolâ ſubditorum tuorum in venis ſanguinem retineas, qui ſecus redintegratô bellô copioſior quàm anteà ſine dubiô funderetur.

Sed hâc omiſſâ *Politicâ RELIGIONE*, quam in unoquôque ſupremô principe ſubditorum ſuorum communi parente, dum eos inter *RELIGIONUM* viget diverſitas, maximè neceſſariam nemo ſanæ mentis inficiabitur.

Miſſam igitur facio *RELIGIONEM Politicam*, ut de tuâ ſingulari dicam aliquid. Nationes omnes, ut jam obitèr attigi, *RELIGIONES* habuêre ſuas, & quidem in tantâ veneratione, ut publici *Magiſtratus*, exercituum Imperatores, viri ſingulares, ſine *RELIGIONE* magni momenti quidpiam nunquam *inauſpicatum* attentarent. Unde fuerunt apud illos *Auguria*, *Auſpicia*, *Haruſpicia*, *Omina*, quæ, priuſquàm aliquid aggrederentur, attentè, ſeriò, diligenterquè conſiderarent. Tu verò cùm perſpectum ſemper habueris Olivari quòd in rebus momenti, *Sine RELIGIONE nihil proſunt exercitus, equi, ſatellites, enſium vis, virorum innumerabiles copiæ, & quicunquè alius præterea eſt apparatus*: Propterea ſemper animadverti, cum Angliâ totâ, quòd ubi majus negotium aliquod immineret, vel in capiendô ſalutari conſiliô, vel ad bellum declarandum, vel ad confligendum cum hoſte, vel ad aliquid aliud arduum, ſemper ad prima *RELIGIONIS* arma recurreris, ad jejunia, preces, pœnitentiam, Humiliationis Dies indicendo tibi primùm, deinde tuis, exercituiquè toto; quod tibi fœliciter adeò cecidit, ut ſic *auſpicato* proſpera tibi ſemper omnia, & quidem ex animi tui ſententiâ poſtmodùm evenerint.

Pucer. de var. Divinat. gener. Tit. Liv. hiſtor. Rom. l. 1. Dionyſ. Halic. l. 2. Cicer. de Divinatione. Nicephorus l. 14. c. 2.

Pergo, *Quis non diligat eum*, inquit Hieronymus, *qui ſub paludamento & habitu militari agat opera* Prophetarum? Abeant *Thucidides*, *Xenophontes*, *Titi Livii*, cæteri, qui priſcorum Imperatorum nobis ad milites ſuos conciones retulêre, in illis pietatis nihil eſt, *RELIGIONIS* nihil; at Olivarii conciones ad milites ſuos, quas nemo ſapiens unquam arguerit, piæ ſunt, *RELIGIOSÆ* ſunt, Divinæ ſunt, ex Divinis quippe codicibus petitæ, probatæquè. Quænam eſt igitur iſta Dementia tua, in ſtultis, ridiculis, impiis, blaſphemis Ductorum antiquitatis exercituum ad milites ſuos orationibus legendis, explicandis, addiſcendis meliorem ætatis tuæ partem inſumis, atque ad *Cælum* uſque *Leonidæ* Regis *Spartanorum* ſermones extollis, qui cum hoſte pugnaturus, ſuos hortatur ut lautè prandeant, apud inferos eô ipſô Die cænaturi. Conciones autem Olivarii graves, ſerias, Religiosas, Imperatore *Chriſtianô* dignas, non tantùm non probas, immò deſpicis, quia *militem non ſapiant*, hoc eſt impium, blaſphemum, ſacrilegum. Ad quod poſſum tantùm exclamare, O tempora! O mores! Reviviſceretis utinam *Moſes*, *Joſue*, *Judæ*, *Othonieles*, *Baraci*, *Gedeones*, voſque cæteri populi Dei ductores, credieretis profectò vobis optimè conſultum eſſe, quòd illis temporibus,

D. Hieronym. ſcribens Exuperantio militi l. 1. Epiſt. Epiſtola 29.

poribus, quibus, in exercitibus tùm *RELIGIO* tùm pietas vigebat, extitiſtis, ſi enim adhæc uſque noſtra tempora vos reſervaſſet Deus, jam iſti vos, veſtroſquè *RELIGIOSOS* ſermones haberent ludibriô, qui nunc in exercitibus pietatem, ſanctitatem, *RELIGIONEM* velut antiquatam, exoletam, abolitamquè penitùs, prioribuſquè ſimplicium temporibus aptam ſolummodò, minimè probent, explodant, irrideant, aiunt enim quòd jam *in contrarium res verſa eſt, nam ex quô hodie militari cingulô decorantur, ſtatim inſurgunt & deſæviunt in pauperes, ſpoliant & deprædantur ſubjectos* Chriſti, *& miſerabiliter, atque immiſericorditer affligunt miſeros, ut in doloribus alienis illicitos appetitus, & extraordinarias expleant voluntates. Qui contra inimicos* Chriſti *vires ſuas exercere debuerant, in potibus & ebrietatibus pugnant, vacant otiô, marcent crapulâ, vitamquè degenerem in immunditiis tranſigendis nomen & officium* Militiæ *dehoneſtant, hi laudant in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias, cum ſint in prætoriis Leones, in præliis Lepores, quorum ordo nunc eſt ordinem non tenere, nam cujus os malorum verborum ſpurcitiâ polluitur, qui deteſtabiliùs jurat, qui minùs Deum timet, Miniſtros Dei vilificat, qui Eccleſiam non veretur, iſte hodie in coetu militum fortior, & nominatior reputatur.* Hæc eſt *Militia*, quæ jam in uſu conſuetudinequè recipitur, hâc enim ætate, niſi ſit *Atheus* Imperator, in Deum ore maledicô continuò blaſphemus, raptor, militibus quidquid ipſis libido ſuggerit indulgens, unde *Militum Pater* glorioſô nomine decoretur, ad *Militiam* non eſt aptus, ſed potiùs ut inter *Monachos* in Dei laudibus continuò decantandis totum vitæ ſuæ tempus inſumat. Atque hanc ad rem hìc in *Angliâ* me generoſum quendam audire memini, quòd Imperatoris OLIVARII ſermones, & epiſtolæ militem non ſaperent, cùm nimiùm RELIGIOSÆ forent. O dementiam inquam, ſanguineis *Chriſtianos* inter lachrymis deplorandam!

Petrus Bleſenſis Epiſt. 94.

Quidquid effutiant in te dementes OLIVARI, nauci non facio, *RELIGIOSISSIMUM* Imperatorem, *RELIGIONIS* mediis in exercitibus defenſorem, Protectorem, propagatorem, nemo niſi laudum tuarum ſupra modum invidus hìc reperitur, qui te non ſuſpexerit, admiratus fuerit, obſervantiâ ſummâ non coluerit. Enimvero ubinam terrarum tàm *RELIGIOSUS* viſus eſt Imperator, tamquè *RELIGIOSUS* exercitus? Miratus ego ſum, varias *Angliæ* Provincias tunc pro negotiorum meorum, vel principis mei *Sereniſſimi Ducis Gueldriæ Comitis Hæcmundæ* neceſſitate peragrans, eaſquè militibus tuis refertas, ita quietas, tranquillas, pacatas, quaſi ne unus quidem in illis miles eſſet, ſic addictas pietati, quaſi *Monachorum* non militum legiones in pagis ipſarum diſperſæ degerent: Ita certa ſingulis diebus tùm fundendis Deo precibus, tùm audiendis Dei præconiis, erant aſſignata tempora, milites ipſos adeò modeſtos, nihilquè niſi Deum, pietatem, *RELIGIONEM*, virtutem reſpirantes, ut ingenuè fatear cum ſtupore non mediocri ſæpè ſuſpexi. Atque ne putet hìc aliquis velle me blandiri, *OLEUM* OLIVARIO divendere, vel in illius aures inſtillare, Teſtem Deum adhibeo, quòd ſæpiſſimè præſidiarios OLIVARII, modô ſuprà dictô milites adiens, ne vel inverecundum verbulum unquam ab ullius ex illis ore perceperim, juſ-jurandumquè nullum, ſed meram humanitatem, urbanitatem, pietatem, verecundiam, modeſtiam animadverterim. Unde nequaquam in OLIVARII militibus locum habere poteſt quod de omnibus aliis jampridem decantatum eſt,

Nulla fides pietaſquè viris qui caſtra ſequuntur,

Lucanus l. 10. de bello civili.

Sed de illis dicendum potiùs eſt,

Multa fides pietaſquè viris qui caſtra ſequuntur.

Enimverò

Enimverò antequam hunc tuâ de *RELIGIONE* ſermonem finiam OLIVARI, dicam liberè quod ſentio, plurimùm in te laudare ſapientiſſimos, quòd *RELIGIOSISSIMUS* licet, auſteram tamen, feram, rigidam, ſeveram nimis *RELIGIONEM* non approbes, cùm enim conſtet apud nationes omnes, in genere *RELIGIONEM* nihil aliud eſſe, quàm externum Dei cultum, eumquè publicum, in plurimis ab regionis cujuſlibet ſapientiſſimis, in multis ſaltem circunſtantiis ordinatum, conſequenterquè *Politicum*, atquè adeò ad leges humanas pertinens, quæ cùm ſint rationabile vinculum, quippequæ rationales homines ligent, cum ratione & moderatione ferri debent, alioqui ut unô verbô complectar, neque leges eſſent, neque poſſent eſſe. Unde fit ulteriùs, ut ſi *RELIGIO* in aliquâ ſui parte ſeverior quàm par ſit ab homine ſtatuatur, quòd illa non poſſit eſſe *RELIGIO*, neque enim nimia ſeveritas in humanâ lege rationalis eſt, unde neque lex eſt, neque cultus Dei *Politicus*, neque per conſequentiam neceſſariam *RELIGIO*.

Unicum hìc eâ de re ſtatuam exemplum. Utrum ſcilicet dies dominicus κυριακὴ ἡμέρα, ſit obſervandus eô rigore, quô *Sabbathum Judæorum*. Quòd ita non obſervetur, patet: Nam opera ſervilia fiunt à ſervis eô die, contra præceptum Divinum, qui tamen quieſcere debebant die *SABBATHI*, *Requieſcat ſervus tuus, & ancilla tua, ſicut tu*, quod nullô modô fit, nam ignem excitant die dominicô, cibos parant, verrunt cubicula, ſerviliaquè alia plurima nota ſatìs omnibus, quôlibet die dominicô factitare ſolent. Ignis autem *Sabbathi* die, nullô modô debuit accendi. *Sabbathum eſt requies domini, qui fecerit opus in eô occidetur, non ſuccendetis ignem in cmnibus habitaculis veſtris per diem Sabbathi.* Unde *Pinſores, Piſtores, Artocrearios, Piſtillarios, Cupedinarios, Fartores, Cocos, Coculos, Popinarios, Thermopolas*, ſuas artes die *Sabbathi* ſub pœnâ capitis exercere cautum erat, quas tamen apud nos ſingulis diebus dominicis perinde atque aliis diebus, nimiò plùs etiam colere ſoleant. Adde, quòd in *Sabbathô* jumenta quieſcere debeant. Die verò dominicô jumenta plurimi nobilium plùs operantur apud nos, quàm aliis ſex hebdomadæ diebus. Quod cùm hìc exprobrarem aliquando cuidam *Heroinæ*, quæ diem dominicum non tantùm eô ipſô rigore ſervandum, quô *Sabbathum*, ſed in obſervatione utrumquè unum & eundem eſſe diem, *Chriſtianoſquè* eôdem penitùs præceptô nullô modô immutatô, pariter atque *Judæos* obligari. Cùm inquam exprobrarem illi, quòd juberet Deus Equos ipſius *Sabbathi* die quieſcere, quod tamen vidiſſem eoſdem, per multas ſeptimanas integras vacantes ab opere, ſolis diebus *Dominicis* exceptis, quibus aptatis currui veheretur ad templum, quod tamen ab ejus ædibus propiùs abeſſet. Cùm autem ad neceſſitatem illa recurreret, ſubjunxi, ad oſtendendam ſuam ſuperbiam ſolùm id eſſe neceſſarium, magis autem neceſſarium fuiſſe pauperculo nonnulla fruſtula ligni colligere, quibus calefieret, qui tamen de mandatô Dei eam ſolam ob cauſam lapidibus obrutus eſt. Huc accedit quòd die *Sabbathi* in unô *Judæa* locô, præter *Sacrificium* quotidianum juge, quod mane & veſperi in *Holocauſtum* ſempiternum juſſerat Deus, Imperabat & *Sabbathi* proprium *Sacrificium*. *Die* Sabbathi *offeretis duos* Agnos *anniculos immaculatos, & duas decimas ſimilæ OLEO conſperſæ in* Sacrificiô *& libâ, quæ ritè fundantur per ſingula* Sabbatha *in* Holocauſtum *ſempiternum*. Et ubi quæſo locorum in orbe *Chriſtianô* fiunt hæc *Sacrificia*, à Deô præcepta diebus *Sabbathi*.

Exod. 20. Deut. 5.

Exod 35.

Exod. 20.

Num 15.

Num. 28.

Ex quibus alterutrum infero: Aut *Chriſtianos* mortalium omnium ſceleratiſſimos eſſe, qui diem *Dominicam* putent in rigore cum *Sabbathô* ex eôdem Dei mandatô & beneplacitô ſervandam, cui tamen non obediant: Aut præceptum iſtud ad *Chriſtianos* extenſionis ſuæ rigore nequaquam pertinere.

Quod

Quod ultimum ſine dubiô veriſſimum eſt. Ubinam enim *Chriſtianis* mandatum Deus iſtud, juxta ſuam amplitudinem, unquam injunxit, aut partem illius, ſublatis cæteris? Nuſquam profectò. Quid igitur noſtris auribus obſtrepunt concionatores, dum nobis ſcripturæ loca citant, quæ *Synagogarum* propria ſint non *Eccleſiarum*. At *Magiſtratus* ſic imperant diem hunc obſervandum. Ergo lege *Politicâ*, ergo cultu *Politicô*, ergo *RELIGIONE Politicâ*. Ponatur ergo nobis ob oculos ab *Eccleſiaſticis Magiſtratus* authoritas, non autem in hôc Divina, quæ *Judæos*, non autem *Chriſtianos* ſpectare poteſt.

Ad hæc, dies dominica non eſt *Sabbathum* inſtitutum à Deô, neque ob rationem eandem. Nam *Sabbatum* eſt dies ſeptimus hebdomadæ, feſtus *Judæis*, in quô debebant ab omni opere vacare, quô Deum ipſum imitarentur, qui ſex diebus totam hanc rerum univerſitatem eſſet operatus, die autem ſeptimô requieviſſet ab omni opere, huncquè ſeptimum duntaxat diem propterea ſanctificaſſet, cultuiquè ſuô peculiariter ob id conſecraſſet; Dies autem *Dominicus* eſt primus dies hebdomadæ, ab eccleſiæ primitivæ *Chriſtianis* obſequiô divinô deputatus, quòd hebdomadæ die primô duntaxat *Chriſtus* ſurrexiſſet à mortuis. Vides & diem, & rationem celebrandi diei penitùs diverſam, nequè nobis feſtum agendi, primi diei rationem allatam à *Moſe* convenire poſſe, Hancquè totam inſtitutionem merè *Politicam* eſſe, nequè cum *Sabbathô Judaicô* quidquam habere commune, immò contrarium, cùm *Chriſtus* eô ipſo die quô ſurrexit, plurimos è ſuis *Diſcipulis* adierit. Exod. 20. Gen. 2.

Niſi vererer nè nimiùm hic locus excreſceret, meridianâ luce clariùs in *Entheatos* neſcio quos demonſtrarem, qui ſe numine Divinô ſolos afflatos exiſtiment, quòd ſeptimæ diei cultui Divino conſecrandæ præceptum, quemadmodum hi cum multâ inflammatione animi, ſed modicâ ſcientiâ contendunt *Enthouſiaſtæ*, *MORALE* ſeu *NATURALE* nullô modô ſit.

Propterea his, ſimilibuſquè prætermiſſis, in *RELIGIONE* tuâ finiam OLIVARI, quam tantam eſſe novimus, ut tibi nuper *LACHRYMARUM* vim maximam elicuerit, cùm à *Pedemontanis* vicinos ipſis *Proteſtantes*, de quô plu[ra] infrà, barbarè, nec non inhumaniter acceptos audiviſti.

Quantumvis licèt magnam ſui ipſorum partem excellant plerumquè ſcripta nonnulla, atq; cum ſacris codicibus in multis convenire videantur: Quia tamen abhorrent in aliquibus à veritate, ipſorumquè occulta eſt origo: Propterea cùm in *Apocryphis* numerentur, non poſſunt in animis hominum eandem authoritatem invenire, quâ valent *ſacræ Paginæ*, nequè in templis, vel publicè legi, vel pro concione palàm *Canonicorum* ad inſtar, commendari. Quamvis inquam *Apocrypha*, Divinâ non gaudeant authoritate, nequaquam tamen à cujuſlibet privati ſtudiò, propter eximiam, quæ ſæpè continetur in illis, utilitatem, eſſe removenda cenſeo. Quamobrem litigioſam in *Eſdrâ* jampridem inſtitutam à tribus aulicis diſputationem, huc adducere mihi eſt animus. Quid duntaxat ſit in orbe *Valentius*, res autem ſolummodò ſublunares à nobis in controverſiam, diſceptationemquè vocari ſtatuo.

Eſdræ l. 3. c. 3. & 4.

Primùm igitur ponet aliquis, accuratequè defendet, nihil hâc in rerum univerſitate *VINO FORTIUS* reperiri poſſe, validius nihil, nihil potentius. Audite quì mediò *Perſarum Medorumquè* procerum in concilio ſtet à *VINO* aulæ ſectator adoleſcens, ejus orationem verbatim referam.

Viri, quàm prævalet VINUM omnibus hominibus qui bibunt illud, ſeducit mentem, itemquè Regis *&* Orphani *facit mentem vanam, item ſervi ac liberi, pauperis ac divitis, & omnem mentem convertit in ſecuritatem, & non meminit omnem triſtitiam, & debitum, & omnia præcordia facit honeſta, & non meminit Regem, nec Magiſtratum, & omnia per talenta loqui facit, & non meminerunt cùm biberunt, amicitiam, nequè fraternitatem, ſed non multùm poſt ſumunt gladios, & cùm à VINO merſerint, & ſurrexerint, non meminerunt quæ geſſerunt. O Viri num præcellit VINUM?* Hæc eſt in comitiis à Rege *Dariò* convocatis ab unò ex illius aulicis, brevitèr habita de *VINI* præſtantiâ ſermocinatio. Cui nec inſulſè perelegans *Ambroſii* ſermo poſſit addi. *Sedentes in foribus tabernarum homines tunicam non habentes, nec ſumptum ſequentis diei, de Imperatoribus & poteſtatibus judicant, immò regnare ſibi videntur, & exercitibus imperare, fiunt ebrietate divites, qui ſunt in veritate inopes, aurum donant, diſpenſant pecunias populis, civitates ædificant, qui non habent unde cauponi potus ſui pretium ſolvant, in his enim VINUM fervet, & neſciunt quid loquantur, de ebrietate ad arma conſurgunt, calicibus tela ſuccedunt, pro VINO ſanguis effunditur, & ipſum ſanguinem VINA fuderunt, tàm FORTES ſibi videntur homines in VINO.* Num propter eam quæ eſt in *VINO FORTITUDINEM Alexander* ille *Macedo* potandi *VINI* certamen inſtituit, obtinentiquè primas in bibendò, talentum, proximo triginta minas, tertio, decem conſtituit? Num ipſe tandem *Alexander*, quem exercitus innumeri, valentiſſimiquè vincere non potuerant, à *VINO* victus interiit? Fuit enim bibaciſſimus Imperator, ut qui temulentus ſæpè duos totos dies, nocteſq; totidem cubans crapulam edormiret, Ἔπινε δὲ ὁ Ἀλέξανδρος πλεῖστον, ὡς καὶ ἀπὸ τῆς μεθῆς συνεχῶς κοιμᾶσθαι δύο ἡμέρας, καὶ δύο νύκτας. Cumquè aliquando in conviviò cum amicis, immoderatò eſſet uſus *VINO*, ad extremum *Herculis* quod vocant poculum extraordinariæ magnitudinis, totum ebibit, quod veluti ſubitum, ſubtilequè venenum huic illicò mortem attulit, Ἡρακλέος μέγα ποτήριον πληρώσας ἐξέπιεν. Prætereo in *Bacchi* feſtò, ei qui validiùs potentiuſquè bibiſſet, coronam auream tanquam victori ordinatam eſſe.

Amb. de Eliâ. c. 12.

Ælian. variæ hiſt. l. 2. c. 41.

Athen. Dipnoſoph. l. 10. c. 7.

Diodor. Sic. 2. part. l. 17.

Ælian. l. 2. c. 41

Ex quò ſuprà diſceſſimus conciliò *Perſarum*, in idem redeamus, atque dicentem à *REGIS FORTITUDINE* oratorem alterum Aulicum audiamus.

Inchoavit

Inchoavit ſequens dicere de FORTITUDINE REGIS. *O viri num præcellunt homines qui terram & mare obtinent, & omnia quæ in eis ſunt.* REX *autem ſuper omnia præcellit, & dominatur eorum, & omne quodcunquè dixerit illis, faciunt; Et ſi miſerit illos ad bellatores, vadunt, & demoliuntur montes, & muros, & turres; jugulantur, & jugulant; &* REGIS *verbum non prætereunt; nam ſi vicerint, afferunt* REGI *omnia quæcunque prædati fuerint. Similiter & alii omnes, & quotquot non militant, nec pugnant, ſed colunt terram; rurſum cùm fuerint metentes, afferunt tributa REGI, & ipſe unus ſolus ſi dixerit occidite, occidunt: Dixerit remittite, remittunt: Dixerit percutite, percutiunt: Dixerit exterminate, exterminant: Dixerit ædificate, ædificant: Dixerit excidite, excidunt: Dixerit plantate, plantant. Et omnis plebs & virtutes eum obaudiunt, & ſuper hôc ipſe recumbit, & bibit, & dormit, hi autem cuſtodiunt in circuitu eum, & non poſſunt ire ſinguli, & facere opera ſua, ſed in dictô obaudientes ſunt ei. Viri quomodò non præcellit REX?* Eſdr. 3. 4.

Antequam diſſolvantur ſupradicta *Perſarum Medorumquè* præſente *REGE* comitia, *tertio*, qui *MULIERES FORTISSIMAS* evincere contendit, benignas quoque præbeamus aures.

Tertius qui dixerat de MULIERIBUS, hic eſt Zorobabel, *coepit loqui. Viri, O magnus REX, & multi homines, nec VINUM præcellit, quis eſt ergo qui dominatur eorum? Nonne MULIERES genuerunt REGEM, & omnem populum, qui dominatur mari & terræ? & ex illis nati ſunt, & ipſæ educaverunt eos, qui plantaverunt vineas, ex quibus VINUM fit, & ipſæ faciunt ſtolas omnium hominum, & ipſæ faciunt gloriam hominibus, & non poſſunt homines ſeparari à MULIERIBUS, ſi congregaverint aurum & argentum, & omnem rem ſpecioſam, & viderint MULIEREM unam bonô habitu & bonâ ſpecie, omnia hæc relinquentes in eam intendunt, & apertô ore conſpiciunt, & eam alliciunt, magis quàm aurum & argentum, & omnem rem pretioſam; homo patrem ſuum relinquit, qui enutrivit illum, & ſuam regionem, & ad MULIEREM ſe conjungit, & cum MULIERE remittit animam, & neque patrem meminit, nequè Matrem, nequè Regionem, & hinc oportet vos ſcire quoniam MULIERES dominantur veſtri, nonne doletis? Et accipit homo gladium ſuum, & vadit in viam facere furta & homicidia, & mare navigare, & flumina, & Leonem videt, & in tenebris ingreditur, & cùm furtum fecerit, & fraudes, & rapinas, amabili ſuæ affert, & iterum diligit homo uxorem ſuam magis quàm Patrem, aut Matrem, & multi dementes facti ſunt propter uxores ſuas, & ſervi facti ſunt propter illas, & multi perierunt, & jugulati ſunt, & peccaverunt propter MULIERES, & nunc credite mihi, quia magnus eſt* REX *in poteſtate ſuâ, quoniam omnes Regiones verentur tangere eum, Videbam tamen* Apemen *filiam* Bezacis *mirifici concubinam* REGIS *ſedentem juxta Regem ad dexteram, & auferentem diadema de capite ejus, & imponentem ſibi, & palmis cædebat* REGEM *ſiniſtrâ manu, & ſuper hæc apertô ore intuebatur eam, & ſi arriſerit ei, ridet; nam ſi indignata ei fuerit, blanditur, donec reconcilietur in gratiam? O viri cur non ſunt* FORTIORES MULIERES? Idem. Ibid.

Hujus aulici roborare ſententiam poteſt quod de monſtrorum domitore perhibetur *Hercule*, cujus lateri colum adaptans *Omphale Lydia*, leoninô induta exuviô, armataquè clavâ, *Herculem* eundem, inſultans, calceô percutiebat in facie, huncquè penſa trahere muliercula jubebat. Huc accedit quòd apud *Ægyptios* plùs penes REGINAM, quàm REGEM poteſtatis & honoris eſſe ſtatutum ſit. μείζονα ἐξουσίας καὶ τιμῆς τὴν βασιλίσσαν τοῦ βασιλέως τυγχάνειν, *inquè dotalitiis tabulis omnibus Imperium fœminæ in virum aſſignetur, ubi quòd in omnibus parebunt uxoribus, mariti profitentur,* κυριεύειν τὴν γυναῖκα τ' ἀνδρὸς ἐν τῇ τῆς προικὸς συγγραφῇ προσομολογούντων τῶν γαμούντων ἅπαντα πειθαρχήσειν τῇ γαμουμένῃ. Lactan. l. 1. de falſâ religione. Lucianus, πῶς ἱστορίαν ἐπιγράφειν. Diodor. Bibliothi. hiſtor. l. 1.

Ad

Ad hæc *Baleares* ἀπὸ τοῦ βάλλειν dicti, quòd mortalium omnium ejaculentur optimè, ſic *MULIERES* æſtimant, ut ſi quæ à *Pyratis* illuc advehantur, tres aut quatuor viros pro quâlibet emendâ *MULIERE* largiri ſoleant, ἀντὶ μιᾶς γεναικὸς τρεῖς ἢ τέτταρας ἄνδρας διδόντες λυτροῦνται. Suprà dictis adjunge quod maximam creare poteſt admirationem, In primô enim *Darii* cum *Alexandri* copiis conflictu, ex *Perſis* cecidêre peditum centum viginti millia, equitum verò decem millia, ex *Macedonibus* verò multi bellicoſi. Porrò, ſpoliis innumeris, theſauris, aureâ, argenteâquè ſupellectile, gemmis infiniti valoris ditati *Macedones*, cùm vidiſſent Principiſſas *Perſarum MULIERES* ſuam in potentiam veniſſe. Quos tàm multi *Heroes* ex utrâque parte cæſi movere non potuerant, quos tot & tantæ divitiæ cohibere debuerant, maximam lachrymarum vim profudêre. Denique ut in præſtantiæ *MULIERUM QUE* potentiæ gratiam ſuſceptum concludam ſermonem, dicam quòd bellicoſiſſimi Nationumquè ferè omnium *FORTISSIMI Germaniæ* populi, non tantùm *conſiliis fœminarum* regantur, ſed earum pleraſquè veluti *Deas* potentiſſimas colant, adorent, venerentur.

Idem l. 5.

Idem l. 17.

Tacit. de moribus German.

Non deſunt qui hâc in controverſiâ *FORTITUDINIS*, virium, excellentiæquè palmam *ELOQUENTIÆ* tribuere poſſint, cùm uni *Demetrio Phalereo* trecentæ ſexaginta ſtatuæ *ELOQUENTIÆ* ſolô nomine poſitæ ſint. Cùm notum ſit omnibus quòd *Cyneas Theſſalus*, *Demoſthenis* olim auditor, plures ſuâ facundiâ *Epirotarum* Regi *Pyrrho* ſubegit urbes, quàm ille machinis bellicis, exercitibus, armorumvè quôvis apparatu domare potuerit. Nequè nos fugit *Marcum Antonium* tantâ vi dicendi globum circunſtantium undiquè militum, qui ad illum interficiendum venerant, ita ſtupefeciſſe, ut injuriæ nihil illi prorſùs intulerint. Conſtat pariter *Caium Gracchum* eloquendi facultate, ſuis etiam inimicis lachrymas extorſiſſe. Nonne produnt elocutione ſuâ *Antonino* Imperatori & ſuſpiria, & lachrymas *Ariſtidem* elicuiſſe? Et *Smirnam* civitatem terræ motu collapſam, ab eôdem reparandam obtinuiſſe. Vulgare eſt ex *Julii Cæſaris* obſirmati licèt in Iracundiâ, contra ſuum ipſius tamen decretum, dicente *Tulliô*, condemnationis inſtrumenta ex manibus cecidiſſe, τῆς χειρὸς ἐκβαλεῖν ἕνια τῶν γραμματίων. Num *Catilinam* dicendô fregit idem *Tullius*? Num orationum vehementiâ bella ſic induxit *Demoſthenes*, ut in quâdam parte fœlicitatis ſuæ *Philippus Macedo* numerarit, quòd imperii ſumma *Demoſtheni* commiſſa non eſſet, cùm omnia ſua conſilia perturbarentur illius orationibus, quas *Athenis* velut *Arietes*, & *Catapultas* in ipſum intorqueret, φίλιππον ἓν τὸν παρὰ τῆς τυχῆς χρηςῶν τιθέμενον τὸ μὴ ςρατηγεῖν τὸν Δημοσθένην ὄῦγε καὶ τοὺς λόγους ὥσπερ ὅπλους ἢ καταπέλτας Αθήνηθεν ὡρμωμένους διασείειν αὐτοῦ καὶ καταςάττειν τὰ βουλεύματα. Ut brevitèr complectar, nonnè tantùm eloquendo valuit *Piſiſtratus*, ut renitentibus licet ipſius hoſtibus, *Athenienſes* tantâ *ELOQUENTIÆ* viproſtrati, libertate quibus nihil erat antiquius, exuerint ſe per ſe ſponteque ſuâ, Regiumquè eidem Imperium ultrò permiſerint. Denique *Euſtatium* intuere, qui cùm apud *Perſarum* Monarcham imperioſum, aſperum, difficilem, ſuperbum, faſtidiô, contumaciâ ſuperciliôquè elatum *Saporem* legatione fungeretur, ſic hominem ſuavitate, gravitate, copiâ, dicendiquè prudentiâ delinivit, ut parùm abfuerit quin Rex *Tiaram* abjecerit, Regiaquè ornamenta, cum *Euſtatii* penulâ ſtatim commutarit, quòd ipſius affinitate conjuncti *Euſtatium* præſtigiatorem merum appellantes, prohibuêre. Non hìc tacendum eſt quod primò dictum oportuit, *ut ſileam Baſilios*, *Gregorios*, *Chryſoſtomos*, *Ambroſios*, *Hieronymos*, *Auguſtinos*, *ELOQUENTISSIMOS*, *Omnes*, non tacendum inquam eſt ab antiquis *Gallis*, ut *Eloquentiæ FORTITUDINEM* innuerent, *Herculem*

Idem in Gracchis.

Ariſtid. orat. ad Antonin.

Plutarch in Cicer.

Salus. con. Cat. Catilinariæ.

Plutarch in Demoſt.

Lucian. ἐν Δημοσθένους ἐγκωμίῳ.

Trog. l. 2.

Eunapius in vita Ædeſii.

Plutarch. in Pyrrho.

Idem.

ELOQVENTIÆ Deum & habitum, & cultum esse, ex cujus ore aureæ sed innumeræ catenulæ ad infinitorum auditorum auriculas pertinentes emitterentur, quibus sic captos, ligatosquè, quocunque vellet abduceret. Penè omiseram hâc in re præcipuum, quod interroganti respondit *Hermogeni Græcorum* sapientissimus tunc temporis *Socrates*, undenam fieret ut ex iis qui vitâ functi singulis diebus ad inferos, ex omnibus orbis partibus quaquaversum descenderent, nemo tamen huc ad nos denuò reverteretur. Respondet itaque *Socrates*, quod *Plutonis* inferorum Dei suavi sic demulceantur *ELOQUIO* mortui, quasiquè vinciantur, ut illinc huc ad nos reverti nemo nec cupiat, nec quidem cogitet, ὕυτω καλούς τινας ὡς ἔοικεν ἐπίσαται λέγειν λόγους ὁ Ἅδης. Non possum quin coronidis locô in excellentiam, nec non præstantiam *Eloquentiæ*, vel *Taciti*, vel *Quintiliani*, superioribus hæc alacriter addam. *ELOQUENTIA parat, simul & tuetur amicitias, asciscit Nationes, complectitur Provincias, quâ non aliud in civitate nostrâ ad Vtilitatem fructuosius, vel ad Dignitatem amplius, vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii, atquè omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. Nam si ad utilitatem vitæ omnia consilia factaquè nostra dirigenda sunt, quid erit tutius quàm eam eligere artem, quâ semper armatus præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis verò & inimicis metum & terrorem ultrò feras, ipse securus, & velut perpetuâ quâdam potentiâ ac potestate munitus; cujus vis & utilitas rebus probè fluentibus aliorum præsidiô intelligitur, sin proprium periculum increpuit, non* herculè *lorica aut gladius in acie firmius munimentum, quàm reo, & periclitanti præsidium, & telum, quô propugnare pariter, & lacessere, vel in judiciô, sive in Senatu, sive apud principem possis.* Et hæc pro *ELOQVENTIA* dicta sat superquè sint.

Vereder. in imagin. Deor. ex Suida, & Luciano. Plato in Cratylo.

Dialog. de Claris oratoribus.

En surgit *formosus* Orator, qui dicat in gratiam *PULCHRITUDINIS*, hancquè nulli creatæ rei de *FORTITUDINE* cedere contendat, nè quidem *Eloquentiæ*; Siquidem *Phryne PULCHRITUDINIS* admirandæ puella, apud *Areopagitas* severissimos, incorruptissimos, invictissimosquè *Athenarum* judices facta rea capitis, atque ab *Hypperide* oratore celeberrimô, potentiorequè in multis *Demosthene*, quamvis actione prorsùs incomparabili defensa, nihilominus capite damnata fuisset, nisi quasi per inadvertentiam deductâ tunicâ, miræ *PULCHRITUDINIS*, divinæquè speciei corpus totum denudasset, quô visô sic fregit *Areopagitas* ejus *PULCHRITUDO*, actieque muta *HYPPERIDIS* actione licèt eloquentissimâ longè potentior, ut eandem eôdem calculo *Areopagitæ* simul omnes absolverint. Unde postmodum, ne cujusquam formâ simili deinceps ratione vincerentur, statuerunt, ut noctu capitalibus de causis audirent, judicarent, pronunciarent. Sed *formosum* ipsum tandem audiamus.

Quintillian l. 2. c. 15. Dionysius Halicarnas. lib de antiquis Orator. Longinus περὶ ὕψους. Alex. ab Alex. l. 1. c. 5. Plutarch. in Solon. Cœlius l. 7. c. 19 Bud. in Pandectis.

Nemini vestrum mirum videri debet, *auditores*, si cùm apud exteras Nationes omnes, qui fortissimi, potentissimiquè sunt, in Reges, Imperatores, Monarchas eligantur: *Æthiopes* tamen formosissimis ὑπερετεφάτοις Regnum deferre consuescant. Nam cùm in rerum naturâ nihil formâ, venustate, *PVLCHRITVDINE*, speciequè liberali *FORTIVS*, firmius, potentiusquè reperiri possit, sapienter eam ob rem *Æthiopes* meô quidem judiciô, se suaquè *PVLCHRORVM* Imperio subjecêre. Propterea sapientiæ laude nequaquam inferior *Socrati*, culpandus non est *Xenophonteus* ille *Critobulus*, quòd per Deos omnes immortales jurejurandô confirmet, se vel maximo Regis cujuslibet Imperio, quamlibet formæ præstantiam longè præponere, ὄμνυμι πάντας θεοὺς μὴ ἑλέσθαι ἂν τὴν βασιλέως ἀρχὴν ἀντὶ τοῦ καλὸς εἶναι. Neque verò putandum est tantâ rerum cognitione præditum sapientem, hoc nobis præter

Diodor. l. 2.

Xenophon. ἐν τῷ συμποσίῳ

opinionem omnium veluti *Paradoxum*, ſine ratione validâ propoſuiſſe. Enimverò qui viribus pollet, inquit, innumeros exantlare labores, illiſquè ſe frangere, *FORTEM* verò continua ſubire pericula, ſapientem denique vehementiùs incumbere literis, aſsiduis infirmare ſe vigilis, nocturniſquè lucubrationibus ſe tandem miſerandum in modum conficere jampridem ſolitum eſt: At *PVLCHRVM* etiamſi quieſcat, omnia perficere poſſe ὁ δὲ καλὸς ἠσυχίαν ἔχων πάντ' ἂν διαπεραίξαιτο. Atque ut hæc ab illô nemo verbô tenus, vel primoribus quòd aiunt labris, non ex animi ſententiâ prolata judicet, ingenuè, ſincerè, verequè fatetur, quamvis divitiarum grata ſit poſſeſsio, quòd ea, quæ ſuaipſius ſunt libentiùs ſponteque *PVLCHRO* daret, quàm opes acciperet ab aliô, ἥδιον μὲν ἂν τὰ ὄντα καλῷ διδοίην ἢ ἕτερα παρ' ἄλλου λαμβάνοιμι. Neque hoc tantùm, ſed palam & in conſpectu hujus *Solis* liberè profitetur, æquiori animô, majori voluntate, ardentiori ſtudiô, alacritate vehementiori, grandiori lætitiâ velle ſe fieri ſervum, quàm liberum, ſi liberali egregiâque formâ præditus, illi vellet imperare, ἥδιον δ' ἂν δουλεύοιμι ἢ ἐλεύθερος, εἴην εἴ μου καλὸς ἄρχειν ἐθέλοι. Unde mirandum nullô modô mihi videtur, ſi eleganti formâ præditorum nomina, in januis, parietibus, arboribus, foliis, cæteriſvè rebus quibuſlibet obviis, deſcribi conſuetudine veteri pridem receptum eſſet, ut ſcilicet eorum, quorum jucundô conſpectu reapſe frui non poſſent homines, gratâ ſaltem recordatione lætarentur. Quamvis autem mulierum propria ſit *PVLCHRITVDO*, illis à naturâ præcipuè conceſſa, ut vult his in verſibus elegans, feſtivus, argutus, doctus, afflatuſque divinô ſpiritu Poëta.

Eraſ. in Adag.

Anacreon Carm. de mulier.

Φύσις κέρατα ταύροις,
Οπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις,
Ποδωκίην λαγωοῖς,
Λέουσι κασμ' ὀδόντων,
Τοῖς ἰχθύσι τὸ νηκτὸν,
Τοῖς ὀρνέοις πέτασθαι,
Τοῖς ἀνδράσι φρόνημα
Γυναιξὶν οὐκ ἔτ' εἶχεν,
Τί οὖν δίδωσι; Κάλλος.

Tauro ferire cornu,
Equo ferire calce,
Lepori valere curſu,
Natura dat Leoni
Dentes hiante rictu,
Piſces docet natare,
Aves docet volare,
Prudentiam viris dat,
At fœminis nequivit,
Quid ergo donat illis?
Decoram habere formam.

Quamvis inquam mulieres præcipuè dotis inſtar habeant à naturâ *PVLCHRITVDINEM*, non tamen illas æqualiter ejuſdem compotes, conſorteſquè, vel participes eſſe manifeſtum eſt, tantum enim illas inter quoad formam diſcrimen eſt, quantum inter *PVLCHRITVDINEM* ipſam, deformitatemquè reperiri conſtat. Unde *Leontius* philoſophus, cùm tres haberet filias, duabus quæ deformes eſſent, locupletem moriens dotem pro ſuis facultatibus aſsignavit: tertiæ verò cùm *PVLCHRITVDINEM*, ſufficientem à naturâ dotem haberet, nihil dotis nomine voluit impertiri. Hinc factum eſt ut apud *Babylonios* olim publica frequentiſſimaque, ſtatutô matrimoniorum tem-

Giraſſus ſum. Theolog. l. 1 Tract. 2. Sect. 15.

tempore, quotannis à Magiſtratibus haberentur comitia, celeberrimuſquè *Aſſyriorum* conventus, ampliſſimumquè ordinum omnium, ad collocandas prodignitate nubiles concilium; Ubi mediâ in circunſtantium coronâ, à gerente poteſtatem, per ſublimis theatri circuitum, omnium formoſiſſima ſpectanda conceſſui proponebatur aliquoties, tùm auctionantis voce præconis ſubjecta, poſtquàm de eâdem certatim facta fuiſſet auctio, tandem ab eô, qui Magiſtratui plures in ejus gratiam numeraſſet pecunias, ducebatur. Quod idem, poſteaquàm per ordinem, juxta puellæ cujuſlibet venuſtatem, ſpeciem, decorem, PULCHRITUDINISQUE dignitatem, atquè gradum peractum eſſet, demum ad deformes elocandas, quæ non eſſent à naturâ dotatæ, pecuniæ pro formoſis numeratæ ſerviebant, eâ tamen ratione, ut qui turpiorem, majorem pariter cum eâdem pecuniarum vim acciperet, qui verò omnium maxime deturpatam corporiſquè vitiô ſummè deformatam ducere vellet, cum eâdem pecuniarum theſaurum abduceret. Huc antequam ulteriùs progrediar, prava, perverſa, vitioſa, contraquè naturam ipſam peccans, accuſanda, reprehendenda, culpanda, æternâquè notanda venit ignominiâ nationum nonnullarum conſuetudo, apud quas, non ſine magnâ PULCHRITUDINIS contumeliâ injuriâquè, videre poſſis, Dynaſtis licèt, Regibus, Imperatoribus, Monarchis, ſupremiſquè principibus digniſſimas, ob excellentem inſignis formæ præſtantiam mulieres, eſſe tamen collocatas Cerdonibus, Bajulis, Cauponibus, Lixis, Calonibus, Mediaſtinis, Lictoribus, Sicariis, Lenonibus, Bubulcis, Laniis, Hippiariis, Cloacariis, Latrinariis, mancipiorum deniquè viliſſimis. Contrà verò nobilium uxores, conjugeſquè procerum, eſſe plerumquè deformatas, nullis naturæ dotibus exornatas, ab omnibus ſpeciei liberalis ornamentis deſtitutas, nullâ partium corporis proportione laudabiles, gibboſas, claudas, diſtortas, ſaturâ minimas, ſicquè turpificatas, ut eas nequaquam mulieres, ſed monſtra potiùs, vel mulierum umbras, aut ſimias rectè judicare poſſis. Quas, quia divitiis abundant, Ideô formâ præſtantioribus nobiles anteponunt, quòd hæ non tantas in dotem pecunias numerare valeant. Unde ſequitur ab illis non conjugem, ſed ipſas deſponſari pecunias, in ductis enim cùm gratiæ parùm admodum, vel potiùs omninò nihil, ad conciliandum amorem inſit, propterea dicti nobiles in vinô, aleis, commeſſationibus, lupanaribus, quærere ſcorta ſolent, mittere quocunquè libidinum ſuarum miniſtros, ingenuas ſtuprare, adulterare maritatas, conſanguineas inceſtu polluere, omni deniquè corruptelarum, flagitioſarumquè libidinum, delitiarumquè pravarum genere, ſeipſos ſic contaminare, emollire, frangere, enervare, ut in illis generoſi nihil omninò ſuperſit, animi magnitudinis nihil.

Herodian Clio.

Tu mortalium omnium dementiſſime, quiſquis es, cur decoris formam, ex honoris æterni ſplendore delibatum radium, *PULCHRITUDINIS* increatæ ſpeciem, ſimulachrum Dei, Divinatatis imaginem ſic deſpicis, ut illam auro modico metallorum omnium viliſſimo poſthabere nequaquam verearis. Nunquid iſtos, qui *PULCHRITUDINI* pecunias anteponunt, ſapientiſſimus *Luſitaniæ* Rex pudôre ſuffundere deberet, ad quem, cum pulcherrimæ puellæ tabella delata eſſet, illicò provolutus in genua *PULCHRITUDINEM* illàm *PULCHRITUDINUM* omnium exemplar adoravit? Nunquid Rex *Aſſyriorum* potentiſſimus *Ninus*, eorum notavit avaritiam, dum rei nullius niſi *PULCHRITUDINIS* eximiæ divitem *Semiramidem*, expoſitam anteà, in uxorem ſibi conjunxit? Nunquid eoſdem arguit infamiæ minor ille *Cyrus*, cùm in ſummâ natam & educatam penuriâ, ſed ætatis ſuæ formoſiſſimam duxit *Aſpaſiam*? Quam eandem Rex *Perſarum* poſt *Cyri* fratris mortem in conjugem ſibi ſumpſit *Artaxerxes*? Numquid eorumdem notavit amentiam,

Hiſtor. Luſit.

Diodor. l. 2.

Ælian. l. 12. c. 1

Eſther. 2.

am, Potentiſſimus Rex centum Provinciis imperans *Aſſuerus*? Qui pauperculam, vel *Ediſſam* vel *Eſther* captivi filiam, orphanamquè, ſed miræ PULCHRITUDINIS habuit in matrimoniô. Nunquid *Athenaïs* inops *Ludimagiſtri* filia,

Rodericus curiæ ſanct. & Cauſſ.

præſtantiſſimi decoris puella, poſtmodum *Eudoxia* juniori *Theodoſio* in uxorem conjuncta fuiſſe legitur? Nunquid denique celſiſſimi potentiſſimiquè *Chinarum* Imperatores in ducendâ conjuge, cujuſcunquè generis illa ſit, ſolam per

Hiſtor. curiæ Chinen. Baud.

leges patrias requirunt PULCHRITUDINEM? Cumquè nuper *Tartari Chinam*

Bellum Tartaricum.

ſubegiſſent, nunquid illic Imperatrix viri pauperis, qui ſtramineis calceis aptandis vitam ſuſtentaret, filia fuit? Nunquid apud eoſdem *Aſſuerus*. Imperator captivam puellam miſerrimam, ſed formoſam, ad Imperii ſocietatem emptam evexit? Quæ omnes formoſæ orbis Imperia, nec non Imperatores, PULCHRITUDINIS ſuæ FORTITUDINE devicerunt. Non tàm abjectô, tàm ſordidô, tàm avarô fuerunt animô *Thraces*, qui, veteri, eâquè laudabili majorum ſuorum inſtitutô, ſi venuſtâ egregiâquè formâ puellam in conjugem adſciſcere ſibi cuperent, parentibus puellæ certam pecuniarum ſummam pro ratione PULCHRITUDINIS numerare tenerentur, ſi verò deformi contenti forent, illis, qui ducerent, parentes cum filiâ pecunias tradere cogerentur. Unde quicunquè parens multas ſuſcepiſſet ex conjuge formoſas, *Thracum* ditiſſimus evadebat. Non ſic pecuniarum appetentes *Indi*

Pomp. Mela. c. 2. l. 2. Solin c. 15. Cael l. 28. c. 15

Arrian. de geſt. Alex. l. 8.

fuêre, apud quos in PULCHRITUDINIS gratiam viguit ea Lex, ut quæcunquè formoſa nubilis eſſet, cuicunque vellet ipſa, vel Nobili, vel Principi, vel ſuos inter Dynaſtæ, ſine dote nuberet. Quamobrem per leges patrias, juvenes ordinum omnium in ſtatutum locum ſimul conveniebant, atque jus erat, privilegiumquè PULCHRÆ, ut ex omnibus quem cuperet, in maritum eligeret, quod electus, totaquè ejuſdem cognatio maximo ducebat honori. Non

Strabo l. 15.

ita PULCHRITUDINIS contemptores fuêre *Cathei*, apud quos pariter in more poſitum fuit, ut quæ formâ præſtarent, præſtantiores genere, divitiis, FORTITUDINE, Sapientiâ, ſine ullâ dote maritos ſibi deligerent. Mitto *Segorianos*, *Spartanoſquè*, quibus indignum homine videbatur, cum uxore quærere dotem. Prætereo *Sacas*, multoſquè alios nobiliſſimos populos, qui pro

Juſtin. l. 43.

nubili formoſâ decertare ſolerent; ita ut PULCHRA ſine dote victoris præmium eſſet.

Chryſoſt. tom. 8 Serm. 28. quales uxores ducendæ ſint.

Silere tamen minimè poſſum, quod os aureum ait. Ducturus ſponſam pecuniarum acceſſionem ne reſpicias, μηδὲ χρημάτων ἐυπορίαν ζήτει μέλλων ἄγεσθαι νύμφην, non enim negotiatio, ſed vitæ ſocietas, conjugium exiſtimandum eſt. οὐ γὰρ καπηλείαν ἀλλὰ βίου κοινωνίαν εἶναι τὸν γάμον δεῖ νομίζειν. Ais quod per nuptias vis fieri ditior? Quid ais bone vir? Ex conjuge lucrari cupis, & non erubeſcis, num præ pudore talium lucrorum appetens ſub terram abdere te

Geneſ. 24.

convenit. Hæccinè virilia verba ſunt. καὶ ποῦ ταῦτα ἀνδρὸς τὰ ῥήματα? Quam quæſivit *Abraham* in *Iſaac* filii ſui futurâ conjuge formoſâ *Rebeccâ*, pecuniarum ſummam. Nonnè *Jacob* formoſam *Rachel* per ſui ipſius, multis annis,

Geneſ. 29.

ſervitutem in uxorem emit? Audi quid dicat parenti *Rachel Laban*, *Serviam tibi pro* Rachel *minore filiâ tuâ ſeptem annis*. Anne dixit quam pecuniarum ſummam, quam dotem habitura eſt à te filia tua *Rachel*, ſi ducam eandem? Nonne *David* ipſe ducentis *Philiſtinorum* præputiis, maximô cum vitæ

Samuel ſive 1 Reg. 18.

ſuæ periculô, Regis *Saulis* filiam *Michol* emiſſe codices ſacri prodiderunt? Cùm enim ſe pauperem *David* affirmaret, tenuiſquè fortunæ virum, quippequi non haberet divitias *Sauli* pro filiâ ſolvendas, ait *Saul*, *non habet Rex ſponſalia neceſſe*, *niſi tantùm centum præputia* Philiſtinorum, *ut fiat ultio de inimicis Regis*. Igitur *David* percuſſit ex Philiſtiim *ducentos viros*, *& attulit eorum præputia*, *& numeravit ea Regi*, *ut eſſet gener ejus*; *Dedit itaquè* Saul *ei* Michol

Samuel ſive 2 Reg. 3.

filiam

filiam ſuam uxorem. Viden quì non tantùm apud *Ethnicos*, ſed etiam apud optimos Dei famulos, PULCHRÆ virgines, vel emantur, vel ſine dote ducantur.

Enimverò ſiquidem HELENÆ venuſtatis vis, & poteſtas ab omnibus ſic decantata paſſim eſt, propterea, quàm cum eâdem, hunc de formæ præſtantiâ finire ſermonem, nihil mihi deliberatius eſt.

Igitur HELENÆ vera ſic ſe habet hiſtoria. Eximiâ ſpecie puella ſuſcepta eſt à *Ledâ*, *Tyndari Laconiæ* Regis uxore, atquè à parentibus liberaliter educata, ad cujus ætatem cum forma quotidie major accederet, jam tùm ad vicinos principes ipſius elegantiæ fama ſic omnium ſermone percrebuerat, ut Regis *Athenarum* filius *Theſeus* virgunculam ſecum per vim abduxerit, quam tamen illicò fratribus *Caſtori Polluciquè* repetentibus, virginem intactam, illibatamquè reſtituit. Sed proh dolor! Quàm parentes ipſius, tùm ſanguine, tùm affinitate juncti, nunquam illam repetitam eſſe deſiderarent. Nam cùm paucis pòſt diebus inopinatus huic caſus accidiſſet, tantum ex eô cepêre dolorem, ut parùm abfuerit, quin mœrore ſimul omnes interierint. Cùm per aliquot annos ante *Spartæ* graſſeretur *Peſtis*, mali vim ceſſaturam monuerunt *Oracula*, ſi quotannis è nobilibus virginem aliquam immolaſſent: Fortè igitur evenit, ut HELENÆ ſors obtingeret. Quid faciant miſeri parentes? Lachrymis, ſuſpiriis, ejulatibus, animi, corporiſquè cruciatibus miſerandum in modum ſe penè conficiunt, ſed remedii nihil eſt, parendum *Oraculis*, ad victimam à *Sacrificulô* puella rapitur, dolentibus ac deplorantibus vicem tàm ſuavis *virgunculæ* ſpectatoribus omnibus. Eheu manum armatam gladiô, puellam mactaturus crudelis lanius erigit. Siſte parumper *Sacrifice*! Quid adeò præceps es? Cur non amicos HELENÆ finis huic ſaltem noviſſima dicere verba? Quid! Obſurdeſcis? O crudelitas inaudita! Ah manum demittit percuſſurus Innocentem. An tantum, O *Cœlites*, tamquè innocuum finetis perire decus? Non ſinent, *auditores*, tantam reverebuntur ſine dubiô venuſtatem. *O Miraculum! O Prodigium! O Portentum! O!* Ecce tibi grandis *Aquila* mediam in turbam advolans, gladium jam pauperculæ cervicibus propiùs imminentem à *Sacrificuli* manibus, ſtupentibus univerſis eripit, adquè vicinum armentum delatum ſuper juvencam demittit, cujus prodigii ratione, non tantùm HELENÆ, ſed & virginum cæterarum deinceps immolatio, quam obſervarant ex oraculô tandiu *Spartani*, penitùs ſublata eſt. Sic igitur per grande miraculum erepta morti, mortalibus omnibus & honori, & admirationi fuit HELENA, utpote chara ſuperis, qui propter eximiam Divinamquè faciei, corporiſquè illius venuſtatem, eandem à funeſtâ morte vindicaſſent. Quô viſô prodigiô, Rex *Spartanorum Menelaus*, quaſi donatam à Cœlô ſibi conjugem paulo pòſt duxit HELENAM. Cujus PULCHRITUDINIS fama cùm in dies creſceret, atque ad remotiſſimas nationes divulgaretur, illius viſendæ gratiâ, *Priami Trojanorum* Regis filius *Paris*, *Spartam* eô ſolô nomine ſe contulit, ubi *Menelai* Regia patuit eidem, Hoſpitaliſq; fuit, cùm igitur *Spartæ* Rex illum accepiſſet hoſpitiô, clanculùm in amorem HELENÆ ſeſe pedetentim ſic inſinuavit, ut in Hoſpitis abſentiâ rapuerit eandem, ſeu potiùs volentem TROIAM ſecum abduxerit, duxeritquè. Ad quam repetendam, poſteaquàm à *Menelaô* legati perveniſſent, hoſpitalitatis violatô de jure conqueſturi, requè prorſùs infectâ rediiſſent, quippe quos *Troes*, HELENÆ Divinâ PULCHRITUDINE capti, nè quidem audire voluiſſent. Propterea tantâ commoti *Græcorum* Principes injuriâ, bellum *Trojanis* inferendum unô eôdemquè conſenſu pariter decrevêre, nec multò pòſt, mille comparatis Navibus navigarunt in *Aſiam*. Ubi *Troade* ferè totâ vaſtatâ, multis illius expugnatis oppidis,

Cornel. in Exod. ex Plutar. Paral.

tandem *Ilium*, ſive *Trojam* per decennium obſedêre. Cùm autem obſidionis tempore pactæ fuiſſent ad aliquot horas induciæ, atque *Trojanorum* proceres omnes, ætate provectiores ſpectarent è mœnibus utrumque, tùm *Græcorum*, tùm ſuum quieſcentem exercitum, conſcendit & mœnia Civitatis HELENA, quâ viſâ dixêre proceres.

Ὁμήρου ῥαψωδία. γ.

Οὐ νέμεσις Τρῶας καὶ ἐυκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.
Ἀινῶς ἀθανάτοισι Θεῇς εἰς ὦπα ἔοικεν.

Non indignè ferendum eſt Trojanos *& FORTES* Achivos
Talem propter Mulierem longô tempore dolores pati.
Valdè enim immortalibus Deabus *vultu ſimilis eſt.*

Hâc igitur in mœnibus conſpectâ tàm *Græci* quàm *Trojani* novos induerunt ad pugnandum animos, *Trojani* ut alienam ſibi ſervarent PULCHRITUDINEM, *Græci* ſuam ut recuperarent. Tandem verò cùm proditione captum eſſet *Ilium*, *Menelaus* vindictam anhelans, ſpirans cædem, HELENÆQUE ſanguinem ſitiens, furore inflammatus, ardentibus oculis, tremulô capite, crudelitatem ore ſpumans, perturbatione incitatus, ulciſcendi libidine effervescens, rabie vehementiùs exardeſcens, implacabilis, inexorabilis, fumanti *Trojanorum* ſanguine gladiô, calamitatem ſuam deflentis HELENÆ jugulũ appetit, ad quam trucidandam ſanguineos dum indignantiùs volvit oculos, furibunduſquè gladium intorquet, vel unicus tàm Divinæ faciei radius, ſic furentis perſtrinxit oculos, ut illum actutùm ἡττηθέντα κάλλει victum PULCHRITUDINE molliverit, mitigarit, ſedaverit: Qui poſitâ ſtatìm irâ, furore, rabie, ardorequè vindictæ, mox in ejuſdem amplexus, ſponte cadente gladiô ruit, atque cum eâdem in gratiam illicò rediens, chariſſimam ſibi conjugem receperit, reduxeritquè. Verùm ab hôc erepta periculô, in longè majus incidit HELENA: Cùm enim reditus illius in *Græciam* fama percrebreſceret, atquè ſibi ponerent ob oculos *Græci*, quantam illius cauſâ jacturam feciſſent, quanta pertuliſſent mala, mulieres omnes cum ſuis liberis, quæ per decennium caruiſſent maritis, parentibuſquè; Viduæ, quorum ad *Trojam* jugulati eſſent conjuges; Orphani, quorum occiſi parentes; Conſanguinei, quorum propinqui cecidiſſent; Affines, quorum eſſent extincti cognati; Amici, quorum familiares cæſi fuiſſent; Servi qui Dominis carerent, tandiuquè caruiſſent; Omnis generis artifices, quos nobilium omnium abſentia fortunis evertiſſet; Ut unô verbô complectar, tota ferè *Græcia* lapidibus armata, eô fine proceſſit obviàm HELENÆ, ut illam iiſdem obruerent, tamquè funeſtâ peſte liberarent orbem. Cùm igitur infinita propemodum conditionis, ætatiſquè omnis turba præſtolaretur ad maris littus appulſum *HELENÆ*, ubi primùm è Navi fuit egreſſa, omnes erectis brachiis, ut illam ſilicibus appeterent, feſtinanter in eandem contenderunt, ſed poſteaquàm ſplendor, Diviniquè vultus dignitas illis apparuiſſet, ſtupuerunt ipſorum armi, lapideſquè ceciderunt eis è manibus, ex quibus, templum *HELENÆ*, tanquàm *PULCHRITUDINIS* Deæ, poſtmodum extruxerunt. Στησίχορος περὶ τῆς τὴν Ἑλένην καταλεύειν μελλόντων φησὶν ἅμα τῷ τὴν ὄψιν αὐτῆς ἰδεῖν αὐτοὺς ἀφεῖναι τοὺς λίθους ἐπὶ τὴν γῆν. Reddita igitur *HELENA* tùm *Menelao* conjugi, tùm *Græciæ*, multos eoſquè fœlices numeravit ibidem annos, at cùm *Menelaus* diem clauſiſſet extremum, ætatequè forma defloruiſſet *HELENÆ*, juxta *Peligni Vatis* opinionem,

Cnidias Babylonius.

Clem. Alexan. Stromat. l. 2.

Schol. in Eurip. ex St. ſichor.

Ovid. Metam. l. 15.

Flet quoque, ut in ſpeculô rugas aſpexit aniles
Tyndaris, *& ſecum, cur ſit bis capta requirit.*

Venit *Græcis* in mentem injuriarum, calamitatum, miſeriarumquè ab eâdem acceptarum *ILIAS*, unde à *Nicoſtratô* & *Megapentê* in exilium amandata

data *Rhodum* ad neceſſariam ſuam *Tlepolemi* conjugem *Polixo*, ſe contulit, cujus quia maritus *Tlepolemus*, in bellô *Trojanô* perierat, *HELENÆ* cauſâ ſuſceptô, propterèa necem conjugis in *HELENA* jamdiu vindicare cupiens, oblatam arripuit occaſionem, atque in *HELENAM* in Pomariô ſolitariè corpus abluentem, habitu *Furiarum* ancillas immiſit, quæ laqueô in ejus collum inſertô miſeram ab arbore vicinâ tandiù ſuſpenderunt, quoad ſuppreſſô, compreſſôquè demum ſpiritu vitam finierit. καὶ ἀῦται διαλαθοῦσαι δὴ τὴν Ἑλένην αἱ γυναῖκες ἀπάγχασιν ἐπὶ δένδρεον. Unde ob necis illius expiationem *Dendritidis HELENÆ* fanum *Rhodii* conſtruxêre. Καὶ ἐπὶ τούτῳ Ῥόδιοι Ἑλένης Ἱερὸν ἐξ ἱ Δενδρίτιδος. Atque hic fœminarum omnium ævitatis ſuæ *PULCHERRIMÆ* calamitoſus fuit exitus, cujus mortis, ut à ſe propulſarent invidiam, & infamiam *Rhodii*, necatæ propterèa divinos decreverunt honores. Eandemquè *Spartani PULCHRITUDINIS* Deam huic ædificatô templô conſecrarunt, ad cujus ſimulacrum provolutæ deformes puellæ, preces ut in formoſas evaderent fundebant identidem. Quò cùm ſæpè ſinguliſquè diebus puellam maximè deformatam ſua nutrix bajularet, Deam etiam atquè etiam vehementer orans, ut alumnam ipſius à corporis fœditate liberaret, tandem exoravit, nam huic apparens mulier petiit ſibi caput oſtendi puellulæ, quô tactô nutrici denunciavit, hanc infantem fore *Spartanarum* omnium formoſiſſimam, ὡς καλλιστεύσι πασέων τῆς ἐν σπάρτῃ γυναικῶν. Quod & abjectâ prorſùs omni cunctationè ſtatim accidit, unde ab *HELENA* formoſior, *Ariſtoni Spartanorum* Regi, cùm nubilis eſſet, matrimoniô juncta fuit.

Pauſan. l. 3.

Heredor. in Erato.

Ut autem videas quantum potuerit *HELENÆ PULCHRITUDO* etiam poſt ejuſdem obitum, quòd in *HELENAM* invectus eſſet, *Homerum* captum oculis, vult *Plato*. Ad hoc ait *Eraſmus* in adagiis, *Palinodiam* canere eſt diverſum ab his, quæ priùs dixeris, dicere, atque in contrariam vertere ſententiam, tranſlatum videlicet, à *Steſicori Lyrici* poetæ factô, de quô divinus & ille Philoſophus meminit. Cùm enim *Steſicorus* vituperaſſet *HELENAM*, captus eſt oculis, intelligens autem cæcitatis ſuæ cauſam, protinùs *Palinodiam* cecinit, *HELENAM QUE* priùs vituperatam, laudavit, viſumq; recepit.

Plato in Phæd.

Eraſ. in Adag.

Plato in Phæd.

Accedit eodem quòd *Phocica* Princeps ob torquem aureum *HELENÆ* juveniliter nimis exultans, in turpitudinem meretriciam prolapſa, venuſtatis elegantiam, protervæ ſcortatorum libidini proſtituerit, ἣ μὲν τὸν τῆς Ἑλένης γενόμενον χρυσοῦν ὅρμον φορέσασα εἰς ἑταιρικὴν ἀσχρύνην ἐνέπεσε, καὶ τὸ κάλλος προέβαλε τοῖς ἐυσχρίσειν προαιρουμένοις. Poſt mortem inquam *HELENÆ*, ſic eam tota *Græciâ* mirata eſt, ut ejus viſendas imagines, quæ ad ipſius ſimilitudinem nonnihil accedere ferrentur, plurimas elocarent pecunias. Ex quarum unâ, cùm maximum in dies eam ob rem quæſtum faceret *Zeuxis Heracleotes*, idcirco nonnulli cavillandi gratiâ rapuerunt anſam, *HELENAM* in *Zeuxis* domô ferentes ſcortum eſſe meretricium.

Pauſanias in Laconicis.

Diodor. l. 16.

Putabam, *auditores*, *HELENÆ* de *PULCHRITUDINE* dixiſſe me quæ dici poterant, verùm quæ de eâdem dicenda reſtant, innumeris dicta paraſangis ſuperare videntur. Refert *Epiphanius* de *Simone Magô*, quòd ſe magnam Dei vim prædicaret, ἑαυτὸν εἶναι δύναμιν θεοῦ μεγάλην, mulierculam verò, quam ſecum deducebat, *HELENAM* nomine, *Spiritum ſanctum* auderet appellare, cujus gratiâ deſcendiſſet is in terras, Ἑλένην πνεῦμα ἅγιον εἶναι τετόλμηκε λέγειν, καὶ διὰ ταυτὴν κατελήλυθέναι. Aſſeveranter præterea diceret, hanc eandem *HELENAM* eſſe, cujus *PULCHRITUDINIS* gratiâ, bellum *Græcos* inter, ac *Trojanos* exarſiſſet, εἶναι δὲ ταύτην τὴν Ἑλένην ἐκείνην τὴν πάλαι, δι' ἣν οἱ Τρῶες καὶ Ἕλληνες εἰς μάχην ἦλθον. Rationem autem cur in terras *HELENA* denuò veniſſet,

Ælian. l. 4. c. 1.

Epiphan. adverſus Hæreſ. tom. 1. l. 1. Paragraph. 1.

veniſſet, hinc idem petebat, quòd cùm ipſa videret *ANGELOS*, in Cœlis ſeipſos ſingulis diebus mutuis ob ipſius *PULCHRITUDINEM* conficere vulneribus, atque adeò cædibus, quippe qui vehementiſſimò flagrarent illius amore, quòd tantam *ANGELICI* cruoris inhibere cupiens effuſionem, è cœlis in terras iterum aufugiſſet, καὶ τοὺς αὐτοὺς Ἀγγέλους εἰς πόλεμον δι' αὐτὴν ἦκεν. Sed hôc fallaci præſtigiatore valere juſſô, quem tamen ſummum Deum *Romani* coluerunt, ut ait ſanctus *Juſtinus*. Simonem *quendam*, *cùm arte* Dæmonum *opera Magica edidiſſet*, *in Regiâ veſtrâ* Româ *DEUS Judicatus eſt*, *ſtatuæquè honos ei ut Deo à vobis tributus*, *cum hâc inſcriptione Latinâ*, *SIMONI DEO SANCTO*, *quem omnes ferè* Samaritani *tanquam primum DEUM*, *atque etiam HELENAM quæ cum eô verſata*, *& peregrinata eſt*, *colunt*, *atque venerantur*. Finio tandem hanc de præſtantiâ *PULCHRITUDINIS HELENÆ* locutionem cum verbis *Auguſtini*, *Incomparabiliter pulchrior eſt VERITAS Chriſtianorum*, *quàm HELENA Græcorum*, *pro illâ enim FORTIUS noſtri* Martyres, *quàm pro iſtâ illi* Heroes *adverſus* Trojam *dimicaverunt*.

S. Juſtin. Apolog. 2. pro Chriſtian. ad Antonin. P. um Imperator, ad Senatum & ad popul. Roman.

Auguſt. Epiſt. 9 ad Hieronim.

Quamobrem *HELENÆ* finitâ *PULCHRITUDINIS* hiſtoriâ, & huic de *PULCHRITUDINIS* excellentiâ ſermoni finem imponamus, quæ tanta eſt, ut *DEUS* ipſe, in *PULCHRARUM* gratiam ſummum privilegium conceſſerit, licet enim *Judæis* ſæpè Deus imperaſſet, ne mulieres extraneas in conjuges acciperent, excipit tamen ſic pro formoſis. *Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos*, *& tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tuâ*, *captivoſquè duxeris*, *& videris in numerô captivorum mulierem PULCHRAM*, *& adamaveris eam*, *volueriſquè habere uxorem*, *introduces eam in Domum tuam*, *quæ radet cæſariem*, *& circumcidet ungues*, *& deponet veſtem in quâ capta eſt*, *ſedenſquè in Domô tuâ flebit patrem & matrem ſuam unô menſe*, *& poſteà intrabis ad eam*, *dormieſquè cum illâ*, *& erit uxor tua*, *ſi autem poſteà non ſederit animo tuo*, *dimitte eam liberam*, *nec vendere poteris pecuniâ*, *nec opprimere per potentiam*, *quia humiliaſti eam*. Quòd ſi Deo ſit adeò curæ, caraquè *PULCHRITUDO*, cum virô ſapiente demum profiteor, quotieſcunque mihi quæpiam eximia *PULCHRITVDO* verſabitur ob oculos, quòd veram *PULCHRITVDINEM PVLCHRORVM* omnium exemplar adorabo, προσκυνίσω τὸ κάλλος τὸ ἀληθινὸν ὃ ἀρχετυπόθεν τῶν καλῶν.

Deut. 21.

Clemens Alexan. in admonitione ad gentes.

Atque hæc quidem formoſus orator in *PULCHRITUDINIS* potentiam, & rectè quidem, at pluribus, adumbravit.

Quibus tamen, perinde ac ſuperioribus, refragantur omninò *Perſæ*, *Chaldæiquè*, contendunt enim in rerum naturâ nihil eſſe *FORTIUS*, nihil præſtantius, nihil potentius eô quem colunt *IGNE*. Quos in hôc, hominibus, qui pro *Deorum*, vel *Sanctorum* ſuorum majori potentiâ decertare ſolent, longè ſapientiores eſſe judico. Nam Diis iſti ſuis inter ſeipſos pro Divinô ſuô jure præliantibus adſunt, & adſtant, certaminis eorumdem ſolummodò ſpectatores, arbitri, judiceſquè. *Perſæ* igitur Deum ſuum *IGNEM*, Deorum omnium *FORTISSIMUM* rati, non exteris Nationibus vim ſeu bellum, ut illum colerent, inferebant, ſed ipſummet cum Diis cæteris committebant in prælium, ut qui *FORTIOR* ſuperiorquè demum evaderet, Deus ab omnibus & haberetur & coleretur. *Chaldæorum* itaque *Perſarumquè* Sacerdotes nocturnis ſuis elucubrationibus elaboratas, politaſquè conciones ad populos nequaquam habere ſolebant, ut Deum ſuum aliis longè *FORTIOREM*, conſequenterquè verum Deum, repudiatis aliis agnoſcerent. Sed ipſimet exoticas adibant regiones, atque præconem jubebant nomine Dei ſui, ſingulos illarum Deos in Monomachiam, ſingulareque certamen provocare, aſſignatôquè die in

Veredr. in imagin. Deor.

Arenam

arenam deſcendere. Quòd ſi pugnam detrectarent, evidentiſſimum argumentum toti foret orbi, illos minimè veros, ſed ſpurios, adulterinos, fictitioſquè tantummodò Deos eſſe. Mirum eſt quàm multos, hôc, ad *IGNIS* adorationem, artificiô, populos induxerint iidem *Perſæ*.

Itaque pone tibi ob oculos, amice lector, in quâlibet provinciâ vicinâ *Perſiæ*, vaſtiſſimos æquatâ planitie campos, cum innumeris utriuſquè ſexus, ætatis omnis, omniſquè conditionis hominibus, qui huc undequaquè confluentes, Deorum ſuorum certamini cupiunt adeſſe: quos triumphali curru pompâquè velut funebri in Martium campum advectos ſui demittunt in arenam. Diligentèr & oculos & animum intende lector, inchoatur pugna, vides quì vetuſtiſſimo, ſicciſſimoquè ligneo Deo, vix ob plurimam cariem pedibus inſiſtenti, luculentus circùm admoveatur *IGNIS*, lege pallorem in circunſtantium plurimorum vultu, quippe dolentium miſerantiumquè Dei ſui calamitatem, quem ſic aduri videant, ut totus in flammas tandem abeat, nec non redigatur in cineres. Atque ut ſileam liquefactos aliis in locis ab igne plurimos, abſumptoſquè metallorum de genere Deos. Animadverte Deos animales ſeu brutales cum horrendô tolerati doloris ſonô, miſerandum in modum ab *IGNE* devorari. Quamobrem victor ubiquè, triumphanſquè Deus *IGNIS* adoratur ab omnibus.

Cumquè ad *Ægyptios* uſque jam ſuum extendiſſet imperium, quid faciant illic *Apis*? Quid *Feles*? Quid *Crocodoli*? Quid *ſacrorum animalium* turba? Quid *Capræ*? Quid *Allia*? Quid alia, quæ creſcunt horum in hortis numina? Veteranus illìc, veteratorquè pariter *Canopi Dei Sacerdos*, Deo ſuo metuens exitium, quod gentium omnium Diis ferè omnibus impendebat ab *IGNE*, hunc concipit dolum. Dolium teſtaceum ingens atque ventroſum, ad inſtar cribri perforatum undiquè, in *Canopi* Dei ſui corpus aptat, brevibus admodum ſed valdè ſolidis, duriſquè Cruribus, *Canopiquè* Dei caput amputatum, Dolio quâ poteſt arte jungit, tùm obturat cerâ concinnè foraminum inſidias, totumquè *Canopi* corpus eleganti, artificioſâquè picturâ tegit, demum renovatum Deum velut novum *Athletam* de nocte in campum Martium, ſuorum operâ producit, atque in monticulô qui paululùm eminebat in planitie mediâ, quô faciliùs undiquè videri poſſet, aptè locat, totumquè dolii corpus implet aquâ. Tunc ortô ſole per ſuos emiſſarios totam admonet *Ægyptum*, quòd *Canopus Deus* ſuus ſponte deſcendiſſet in arenam, præſtolans Dei *Perſarum*, & *Chaldæorum* adventum, quòd quenquam Deorum *Ægypti* tentare pericula pugnæ non foret neceſſarium, cùm vellet ſolus *Canopus* per ſuam ipſius *FORTITUDINEM*, potentiam, divinaſquè vires, eundem opprimere, ſuprimerequè Deum. Propterea peteret ab *Ægyptiis* id unum, ut cùm adeſſet *Chaldæorum*, *Perſarumquè* Deus, ipſorum Monomachiæ, ſuæquè victoriæ ſpectatores, & teſtes adeſſent. Vix credi poſsit quàm innumera Nationum vicinarum turba, auditâ hâc *Canopi* jactabundâ provocatione, confluxerit in *Ægyptum*. Quid multa? Decretô pugnæ die, tantus ſpectatorum adfuit numerus, quantus nunquam anteà viſus eſſet in *Ægyptô*. *Ægyptii* ſpem metumquè inter dubii ſilent, ſperant dùm vident audacem, ferocem, confidentem, & velut at in picturâ ridentem, irridentemquè certamen *Canopi* vultum, ſpem auget *Canopi* Sacerdotis alacritas. Metuunt dùm venit illis in mentem *Deorum* vicinorum omnium ruina. Contrà verò *Chaldæorum*, *Perſarumquè*, Deorum incendiarii, ſacrificuli, mirantur tantum, tàm vaſtum, tàm patulum, tàm diſtentum, tàm amplum, tamquè rotundum in Deô ventrem, nullam tamen ſuſpicati fraudem, ſtruem lignorum apparant, æſtimantes & ab *IGNE* majore, per longius tempus tàm craſſum Deum fore gracilem, atque in cineres

Vereder. in imagin. Deor. & Suid. in Canop.

tandem, aliorum ad inſtar, redactum iri. Igitur undequaquè per *Canopi* circuitum accenditur *IGNIS*, cumquè jam flamma vehemens totum involveret *Canopum*, gaudere *Chaldæi*, *Ægyptii* mœrere, ſed cùm *Canopus* incaluiſſet, cera quâ ipſius erant obducta foramina, liqueſcere, atque ex omni circùm parte in *IGNEM* defluere. Jam hilares *Ægyptii* magnô vociferari clamore, animos addere *Canopo*. Contrà *Chaldæi IGNEM* hortari, qui aquâ lenitèr cadente ſurgebat altior alicubi, ubi nondum eſſet liquefacta cera. Unde cùm viderent à longè ſpectatores, alicubi cadentem, alicubi ſurgentem vehementiùs *IGNEM*, veriſſimam, Deos inter, pugnam arbitrabantur. Cùm autem tota *Canopi* cera liquefacta eſſet, tantam undequaquè pluviam in *Chaldæorum* Deum immiſit, illumquè ſic totum extinxit, ut nè ſcintillula quidem illius remanſerit. Quô factum eſt, ut *Canopi Sacerdotis* præſtigiatoris fraude, maximam ſecum, extinctô Deô ſuô, retulerint ignominiam, *Chaldæorum*, *Perſarumquè Sacrificuli*. Atquè in *Ægyptô* maximâ fuerit apud omnes in æſtimatione, venerationequè tanquam Deorum omnium *FORTISSIMUS*, potentiſſimuſquè *Canopus*.

Hæc diſceptatio, controverſiaquè noſtra de ſublunarium *FORTITUDINE* præſtantiori, finem nondum attigit amice lector, nequaquam enim ſatisfaciunt diſcrepantes allatæ ſuprà nonnullorum opiniones, propterea ſingulas, obitèr, ſtrictimquè reviſamus.

Atquè ut ad primam regrediamur. Quis adeò mente captus eſt, ut rerum omnium præſtantiſſimum *VINUM* arbitretur? Quod immoderatè ſumptum, certiſſimum eſt homini venenum. Unde mortalium omnium ſapientiſſimus, *Nè intuearis VINUM cum ſplenduerit in vitrô color ejus: ingreditur blandè, ſed in noviſſimô mordebit ut coluber.* Exemplô ſit *Alexander Magnus*, qui *VINO* velut intoxicatus, virtutes ſuas omnes obſcuravit, hôcquè captus veluti ferum animal, *Tigris*, *Panthera*, *Leo*, qui *Bacchi* currui junguntur à Poetis, ut effectus *VINI* denotent, correptus inquam *VINI* furore, ex amicis ſuis, humanitate depoſitâ, multos immanitèr trucidavit: Ad quem propterea ſapiens ſcripſit *Androcides*, *VINUM* potature *Rex*, *memento te bibere ſanguinem terræ*, Cicuta *homini venenum eſt*, Cicutæ *VINUM*. Per quod innuebat ſapiens, *VINUM* venenorum omnium perniciosiſſimum, cùm ait illud eſſe veneno venenum, ſic enim verum iſtud eſt, ut tanquam venefica potio homines in bruta, metamorphoſi deplorandâ transformare videatur. Unde ſuos nonnunquam inebriare ſervos conſueverant *Lacedæmonii*, ut ex eorum brutorum potiùs, quàm hominum actionibus, ſe ſuoſquè liberos edocerent, atque turpitudinem eorum obſervantes, ab immoderatô *VINO* prorſùs abhorrerent. Propterea non mirum, ſi *VINI* repertorem apud *Italos*, *Saturni* filium *Janum*, cùm ipſe finitimis agricolis *VINUM* communicaſſet, iiquè ſuavitate liquoris illecti, plus æquô bibiſſent, atquè in ſomnum prolapſi diu jacuiſſent, ſi inquam experrecti, venenum ſibi propinatum arbitrati conſurrexerint in *Janum*, eumquè lapidibus oppreſſerint. Quamobrem à ſapientiſſimis legum variarum legiſlatoribus, nè *VINUM* debilioribus infunderetur cautè proviſum eſt. Quapropter *Locrenſes* inter prudentiſſimos hanc inſtituit legem *Zaleucus*, ut ſi quis *Locrenſium* popularium ſuorum ægrotans, niſi medicô jubente *VINUM* bibiſſet, quamvis priſtinam ille valetudinem recuperaſſet, ut mortis afficeretur ille ſuppliciô, capitaliquè pœnâ lueret, quòd non juſſus potare *VINUM* auſus eſſet. Apud *Maſſilienſes* item ſeveriſſima lex fuit, ut mulieribus, fœminiſquè omnis ætatis non liceret vel guſtare *VINUM*, ſed frigidam ebibere. Quæ lex eadem viguit apud *Mileſios*, & apud *Romanos* præſertim, apud quos lege ſimiliter cautum erat, nè qua vel ſerva, vel libera *VINUM* unquam

Proverb. 23.

Pier. in Hierog.

Q. Curtius de reb. geſt. Alex. Plin. l. 14. c. 5. a Lapid. in 5. Iſa.

Clemens Alex. Pædagog. l. 3. c. 8.

Plutarch. in Licurgo. Valerian. l. 32. c. 31. ex Plutar.

Ælian. l. 2. c. 37

Id. ibid. c. 38.

quam biberet, neque hoc tantùm, ſed ne claro genere nobilibuſquè parentibus oriundorum quiſquam, à pube ad annum trigeſimum quintum, perpotare *VINVM* ullo modo præſumeret. Audi quid de mulieribus *Romanis* ad hoc teſtis idoneus *Plinius* habeat. *Non licebat* VINUM *fœminis* Romæ *bibere, invenimus inter exempla*, Egnatii Maccennii *uxorem, quòd* VINUM *bibiſſet, interfectam fuiſſe à maritò, eumquè cadis à* Romulò *abſolutum.* Fabius *ſcriptor in annalibus ſuis ſcripſit, matronam quòd loculos, in quibus erant claves* VINARIÆ Cellæ *reſignaviſſet, à ſuis inediâ mori coactam.* Cato *ideò propinquos fœminis oſculum dare, ut ſcirent, an* Temetum *olerent, hoc tùm* VINO *nomen erat, unde et* Temulentia *appellata.* Apud *Mahumetanos* autem, non tantùm mulieres aut juniores, verùm omnes abſque ullâ reſtrictone, exceptione, privilegiò nunquam uti VINO propter rationes ſuperiùs alatas ſancitum eſt. Sed ut ad juniores ſolos mea convertatur, & deſinat oratio. Quiſquis VINO delectaris adoleſcens, percipe dicta *Hieronymi.* *Si quid in me poteſt eſſe conſilii, ſi experto creditur, hoc primum moneo, hoc obteſtor, ut* VINUM *fugias pro venenò, hæc adverſus adoleſcentiam prima ſunt arma* Dæmonum. VINUM *et adoleſcentia duplex incendium. Quid oleum flammæ adjicimus? Quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus.* Quod ſi *Hieronymum* audire nolis, at ſaltem VINI Deo *Baccho* fidem adhibe, nam in conviviis tres tantùm ille ſanis, robuſtis, quique vegetò ſint corpore moderatos VINI calices annuit. Primum valetudinis, amoris alterum, tertium ſaporis inquit ipſemet.

Plin. l. 14. c. 13

Budier. hiſt. Turc.

Hier. l. 2. Epiſt. Epiſt. 2.

Quò qui ſapere ſolent, eunt hauſtò domum.
Nam quartus haud eſt ampliùs crater meus;
Sed contumeliæ. Velut huic proximus
Clamoris. Hunc ſequitur commeſſandi furor.
Ita ſeptimus habet vulnera. Octavus forum,
Nonuſquè ſtomachum. At decimus eſt Inſaniæ.

Apud Eubulum Bacch.

Ex quibus omnibus nullò negotiò poſſit inferri, eam præſtantiam quam *VINO* tribuêre nonnulli, *VINO* ratione nullâ deberi. *Cogita, inquit,* Seneca, *quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes, bellicoſaſquè hoſtibus tradidit: Hæc multorum annorum pertinaci bellò defenſa mœnia patefecit: Hæc contumaciſſimos, & jugum recuſantes, in alienum egit arbitrium: Hæc invictos acie, merò domuit:* Alexandrum *tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas, vitrâ temporum, locorumquè difficultate, tranſierat, & tot flumina ex ignotò cadentia, tot maria tutum dimiſerunt, intemperantia bibendi, & ille* Herculeanus *ac fatalis Scyphus concidit.* Marcum Antonium *magnum virum, & ingenii nobilis, quæ alia res perdidit, et in externos mores, ac vitia non* Romana *trajecit? Quàm ebrietas, nec minor VINO* Cleopatræ *amor.*

Senec. ad Lucil. Epiſt 83.

Jam verò quod ad ſecundum attinet, *REGES* ſcilicet nequaquam eſſe *FORTIORES*, vel hinc notiſſimum eſt, quòd tàm multis indigeant cuſtodibus, militibus, exercitibus, ut ipſos tueantur, qui ſi vel frangantur exercitus, vel à ſuis *REGES* deſerantur, quanta ſit in illis imbecillitas, omnium retrò ſeculorum, nationumquè omnium, ad hæc uſque noſtra tempora docent omnes hiſtoriæ.

Quòd etiam MULIERES præſtabiliores non ſint, hinc ſimilitèr patet, quòd ab omnibus ferè ſcriptoribus velut *irrationales* habeantur: Unde vocat illas *Diogenes, Aſpides, Viperas*, atque *feras*, easquè cathenis ut manſuetiores evaderent, ligandas eſſe. Quin & *MULIERUM* amore licèt inſanus *Menander*, cenſebat tamen, cum multæ in terrâ mariquè *feræ* ſint, omnium tamen *ferarum* maximam eſſe *MULIEREM.* Neque à privatis tantùm, ſed in omnium

Anton. in Meliſſ. part. 2. Serm. 34

Diogen. Laert. l. 6. c. 2.

um ore tritum fuit antiquitùs, *MULIERE* atquè etiam bonâ nihil esse pejus.

Erasm. in Adag.

Οὐδὲν γυναικὸς χεῖρον, οὐδὲ τῆς καλῆς.

HELENA quippe mala causa fuit *ILIADOS*, casta vero *PENELOPE* peperit *ODYSSEAM*. Ut optimè Poeta *Græcus* expressit.

Pallad. in Anthолog. Græcor.

Πᾶσαν Ὅμηρος ἔδειξε κακὴν, σφαλερήν τε γυναῖκα
Σώφρονα καὶ πόρνην, ἀμφοτέρας ὄλεθρον.
Ἐκ γὰρ τῆς Ἑλένης μοιχευσαμένης φόνος ἀνδρῶν,
Καὶ διὰ σωφροσύνην Πηνελόπης, θάνατοι.
Ἰλιας οὖν τὸ πόνημα, μιᾶς χάριν ἐστὶ γυναικός:
Αὐτὰρ Ὀδυσσείη Πηνελόπη πρόφασις.

Omnem Homerus *ostendit malam, et fallacem* MULIEREM,
Castam et meretricem, utramquè perniciosam.
Ex HELENA *enim adulterâ, cædes virorum,*
Et propter pudicitiam PENELOPES, *interitus.*
ILIAS *igitur Poëma est propter unicam* MULIEREM:
Sed ODYSSEÆ, PENELOPE *dedit occasionem.*

Si *Græcè* callerent multùm essent infensæ Comico *MULIERES*, qui palàm & apertè pronunciat, à naturâ *MULIERIBUS* impudentius esse nihil, nihilq; ad omnia præter *MVLIERES* easdem pejus.

Aristoph. in Cerealia celebrantib.

Ἀλλ' οὐ γάρ ἐστι τῇ ἀναισχύντων φύσει γυναικῶν
Οὐδὲν κάκιον εἰς ἅπαντα πλὴν ἄρ' ἢ γυναικές.

Quod ita constanter tota tenuit antiquitas, ut à fide *MVLIERIBVS* âdhibendâ nè quidem in ipsô mortis articulô, momentôquè temporis, quô sunt animam efflaturæ, sapientes omnes, quoscunque semper avocarint. γυναικὶ μὴ πίστευε μηδ' ἂν ἀποθανῇ. Præterea sunt adeò nequam, fallaces, deceptricesquè *MVLIERES*, ut in ignem, aut in illas incidere duceret eam ob rem æquale *Pythagoras*. Non ausim affirmare quod dicunt *Severiani*, *Satanæ* duntaxat opus esse *MVLIEREM*. Σεβηριανοὶ φάσκουσι τὴν γυναῖκα εἶναι ἔργον τοῦ Σατανᾶ Licet probare possim, malorum ferè omnium causas esse *MVLIERES*. Sed sufficiat hìc cum totâ *GRÆCIA* dicere,

Erasm. in Adag. Epiph. Hæres. post adventum Christi. 25.

Πῦρ καὶ θάλασσα, καὶ γυνὴ, κακὰ τρία.

Ignis, mare, mulier, mala tria.

Cùm autem in tantum apud *Indos* malitiæ cumulum *MVLIERES* excrevissent, ut venenô suos sæpè maritos tollerent è mediô, coacti tandem fuerunt *Indi*, ut earum nequitiæ remedium aliquod invenirent, sancire legem, ut cum maritis vitâ functis posthàc vivæ cremarentur *MVLIERES*, quô factum est, ut maximam posteà maritorum suorum curam, & cùm maximâ quidem amicitiâ gererent: Unde prudentiores, Diisquè longè sapientiores in hôc *Indi* fuêre, qui ex *Euripide* adversus serpentes, animaliaquè cætera venenata, remedia nonnulla mortalibus indicarunt, at nullus adhuc eorum in *MVLIEREM* quæ *viperâ*, ignequè deterior est, nullus inquam Deus, adversus malitiosam pestiferamquè *MVLIEREM* ullum unquam excogitavit remedium.

Diodor. l. 19.

Eurip. in Andromache.

Οὐδεὶς γυναικὸς φάρμακ' ἐξεύρηκέ πω
Κακῆς.

Pluribus abstineo, concludoquè tandem, hæc, atque adeò plura similia, quæ jactantur in *MVLIERES* mala, ab earum debilitate certò certiùs emanare, propterea què vasa infirmiora Mulieres appellantur ab eô, cui contradicere nemo prorsùs audeat; Ut fileam à mortalium omnium sapientissimô, in editione vulgatâ *Hieronymi* prædicari, *MVLIEREM FORTEM quis inveniet*,

1 Petr. 3.

Proverb 31.

niet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus.

Res inter *FORTISSIMAS* enumerata ſuccedit *ELOQVENTIA*, de quâ ad ejuſdem rei veritatem planiùs cognoſcendam, & ipſum ingeniorum *Aquilam Auguſtinum*, *ELOQVENTIÆ* celeberrimum, famoſiſſimumquè *Mediolani* doctorem, eâ de re ſi videbitur conſulamus. Verùm noſtræ dubitationi jampridem eundem feciſſe ſatis ſuis in *confeßionibus* comperio, nam quærens illìc quid eſſet *ELOQVENTIA*, ſic eam definit, *Scholam loquacem, Scholam loquacitatis.* Habenſquè Deo gratias, quòd oculos huic aperuiſſet, ut deſereret *ELOQVENTIÆ* profeſſionem, quam appellat *nundinas loquacitatis.* Sequè demum excuſans, quòd poſt converſionem ſuam non artem eandem illicò valere juſſiſſet, ſed ad vindemiales Scholarum vacationes, ſive ferias, ad viginti dies uſque, in eâdem edocendâ perſeveraſſet, ait, *Peccaſſe in hôc quiſquam ſervorum tuorum fratrum meorum dixerit, quôd paſſus me fuerim vel unâ horâ ſedere in cathedrâ mendacii:* Frequentarequè diutius, *Scholam ſuperbiæ.* Itaquè *renunciavi peractis vindemialibus, ut Scholaſticis ſuis* Mediolanenſes *venditorem verborum alium providerent.* Igitur *ELOQVENTIA* definitur ab *Auguſtinô*, *Ars loquax, loquacitatis diſciplina, loquacitatis nundinæ, verborum venditio, cathedra mendacii, Schola ſuperbiæ.* Quibus in omnibus imbecillitatis plurimum, at *FORTITVDINIS* nihil reperio. Huc accedit quòd *ELOQVENTIÆ Romanæ* Parens *Tullius* tanquam primum hâc in arte Principium, Dignitatem, & *Axioma* ſtatuat, *Rhetoribus conceſſum mentiri.* Quod & præceptum ſæpiſſimè redegit in praxim, fatetur enim ipſemet, per ſuum artificium atque fucum, in Judicum oculos ſe pulverem ſæpè conjeciſſe. Et certè hoc unum in ELOQUENTIA præcipuè ſpectandum docetur, ut tegatur oratoris artificium, propterea nunc ratiocinationes ſuas inchoant à concluſione, pergunt ad minorem, atquè tandem in majori propoſitione definunt oratores: Nunc ſolam unam afferunt propoſitionem, reliquas auditori permittunt: Nunc ponunt duas, tertiam ut auditores eliciant hortantur. Quæ omnia tàm multis fucis, pigmentis, præſtigiis, fallaciis, verborum laqueis, phaleriſquè ſermonum, ut mittam augentes, minuenteſquè amplificationes, exornant, & intricant, ut inter ea veritatem agnoſcere non poſſit auditor, ſed ab Oratore, quò cupit ille, torrente verborum tandem rapiatur. Quibus concionum fluctibus in *Democratiis* Importari damna plurima, injuſtiſſima, crudeliſſimaquè, multæ civitates maximô ſuô, ſuorumquè detrimentô, propter venales Oratorum linguas, ſæpiſſimè ſunt expertæ. Unde à paucorum vel unius dominatione *Ariſtocratiâ* vel *Monarchiâ*, hæ ad deceptionem, fraudem, pompam, orationes compoſitæ, jampridem, et meritò quidem exularunt. Sapienter enim perpenderunt quod *Zeno omnem vim eloquendi in duas partes tributam eſſe dicebat*, Rhetoricam *palmæ*, Dialecticamquè *pugno ſimilem*, ſiquidem *latiùs loquuntur* Rhetores, Dialectici *autem compreßiùs.* Quid enim in hominum ſapientum eruditorumquè conceſſu, prodeſt in explicandâ ſententiâ tuâ verborum apparatus atque jactantia, niſi ad jacturam temporis, quod illis ad magni momenti negotiorum dirimendorum multitudinem pretioſiſſimum eſt. Unde apud *Ægyptios*, quos ſuprà monui ſapientiâ mortalium reliquos longè præcelluiſſe, judiciorum hæc fuit ratio, ut actor ſcriptô ſingulatim, & crimen, & facti modum, & illati damni communem æſtimationem breviter exhiberet: Reus contrà poſt acceptum ab adverſariô criminationis libellum, ad ſingula ſcriptum opponeret, ſe vel non feciſſe, vel faciendo non deliquiſſe, vel dejinquendo minus pœnæ commeruiſſe. ἀντίγραφαι πρὸς ἕκαστον ὡς οὐκ ἔπραξεν, ἢ πράξας οὐκ ἠδίκησεν, ἢ ἀδικήσας ἐλάττονος ζημίας ἄξιός ἐστι τυχεῖν. Tum accuſator ſcriptô replicare κατήγορον ἀντίγραφαι: Defenſor reſponſionem duplicare

Auguſt. Conf. l. 8. c. 5.

Idem ibid. l. 9. c. 2.

Id. ibid. c. 4.

Tull. de Clar.

Tull. 2. de fin.

Diodor. lib. 1.

care, καὶ πάλιν τ ἀπολογούμενον ἀντιβεῖναι, Posteaquàm autem ita libellos judicibus exhibuerunt litigantes, tandem ſententiam triginta viri pro cujuſque jure ſanctiſſimè ferebant, & hanc quidem judiciorum formam introduxerunt, quia cauſidicorum ELOQUENTIA multum juri caliginis offundi putabant, cùm Oratorum artes, & actionis præſtigiæ, ut legum rigorem, & veritatis normam poſthabeant, multos ſeducant. Quod hôc unô *Periclis* Oratoris exemplô confirmare mihi eſt animus. Cùm auri talentorum tria millia ſexcentaquè *Periclis* fidei, qui cives ſuos *Athenienſes* tùm nobilitate, tùm dicendi facultate longè præcellebat, ex communi *Græcorum* contributione collecta, credita fuiſſent. Cumquè rationem populô dictarum pecuniarum reddere juſſus, ſolvendo non eſſet, in morbum incidit præ triſtitiâ, cumquè ab hôc *Alcibiades* puer, avunculi *Periclis* nepos, cauſam mœroris quæſiviſſet, atq; reſpondiſſet *Pericles*, ſe rationes diſquirere quibus pecunias reddere poſſet, ſubjungit *Alcibiades*, potiùs ut non redderet, conſilium ineundum eſſe. *Pericles* pueri ſententiam amplexus, quâ ratione poſſet *Athenienſes* implicare gravi bello meditari cœpit, ſciebat enim quòd vulgus, urgentibus belli negotiis, viros præſtantes haberet in pretiô, in pace contrà, otiô diſtluens criminibus obnoxios redderet eoſdem. Ut igitur vulgus, operâ *Periclis* indigens, otium aut tempus non haberet accuratam pecuniarum rationem exquirendi, neque calumnias ipſimet intentas admitteret, quippe qui accuſaretur, cùm auri quinquaginta talenta in auream MINERVÆ ſtatuam elocata forent à *Phidiâ* ſtatuariô magnam pecuniæ vim ſubreptam eſſe, ſciente & adjuvante *Pericle* operis locatore, τὸ τῆς Ἀθήνας ἄγαλμα ἔχειν χρυσίου πεντήκοντα τάλαντα. Propterea ad belli *Peloponeſiaci* deliberationem convocatô populô, tantâ cum ELOQUENTIA bellum ſuaſit, ut OLYMPII, ſive cœleſtis nomen ab illis reportarit. διὰ ἣν αἰτίαν ὠνομάσθη ὀλύμπιος, Atque ut *Tullius* meminit, propter ELOQUENTIÆ vehementiam *Fulmen* in linguâ ferre dictus eſt, κεραυνὸν ἐν γλώσσῃ φέρειν. Verè *Fulmen*, quòd iſtius belli, in quod conjecit *Athenienſes* incendium per vigintiſeptem continuos, cum innumeris illorum cladibus, duravit annos, neque priùs extinctum eſt, quàm per *Athenarum* ipſarum totalem perditionem, hoſtibuſquè, poſtquàm eas diripuiſſent, ſubjectionem.

Id. l. 11.

Diodor. l. 11.

Plut. in Bruto.

Quibus ita conſtitutis, ſi fraudes, ſi fallaciæ, ſi doli, ſi fuci, ſi præſtigiæ, ſi mendacia, ſi rapinæ, ſi loquacitas, in rebus FORTIBUS locum habere poſſunt, habeat & ſic per me licet ELOQUENTIA.

Reſtat ut videamus utrum formoſi PULCHRITUDO FORTITUDINIS palmam vindicare ſibi jure queat. Ut unô verbô rem expediam, cenſeo à PULCHRIS, luxuriem, laſciviam, petulantiam, turpes libidines, cupiditates effrænatas, adulteria, homicidia, malorumquè omnia genera proficiſci. Ad quod probandum ſatis eſt quòd totius generis inundatio generalis à PULCHRIS cauſata fuit, *Videntes filii Dei filias hominum quòd eſſent* PULCHRÆ, *acceperunt ſibi uxores, ex omnibus quas elegerant, dixitquè Dominus, non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis, poſtquàm exim ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, illæquè genuerunt, iſti ſunt potentes à ſeculô viri famoſi.* Quod exponens ſanctus *Juſtinus* ad annum *Chriſti* centeſimum octuageſimum ait, *Deus* Angelis *hominum, & eorum quæ continentur, quos eâ de cauſâ paravit, providentiam, procurationemquè tradidit:* Angeli *autem qui hunc ordinem deſeruiſſent, cum mulieribus concubuerunt, liberoſquè procrearunt, iiquè ſunt, qui vulgò* DÆMONES *nominantur, & præterea reliquum hominum genus ſervitute oppreſſerunt. Quorum partim magicis ſcriptis, partim metu, & ſuppliciis, partim diſciplinâ ſacrorum odorum incendendorum, & libationum invexerunt, quæ deſiderarunt omnia, poſt-*

Geneſ. 6.

S. Juſtinus Apologiâ primâ pro Chriſtianis ad ſenatum Romanum.

eaquàm

eaquàm cupiditatibus, perturbationibuſquè ſervierunt, atque inter homines cædis, bellorum, adulteriorum, ſtuprorum, libidinum, vitiorumquè omnium ſemina ſparſerunt. Quæ ſi vera forent omnia, Papæ! Quanti jam tùm ab initiô PULCHRITUDINIS fructus exiſterent. Mirum undè hæc DÆMONUM generationis opinio primos inter *Chriſtianos* irrepſerit.

Huic enim ſubſcribit *Athenienſis* philoſophus *Chriſtianus*, *Juſtino* par *Athenagoras*, *ſic etiam circa* Angelos *ſe res habet, alii enim ultrò tales manſerunt, quales à Deô facti erant, & in munere ſuô fideles ſe præbuerunt. Alii & res ſibi concreditas protervè contumelioſequè tractarunt, & præter omne officii ſui ac dignitatis decorum ſe geſſerunt. Neque verò hìc comminiſcimur quidquam, ſed ea quæ tradiderunt* Prophetæ *exponimus. Itaque à ſtatu ſuô defecerunt. Alii quidem amoribus capti virginum, & libidine carnis accenſi, &c. Ex amatoribus igitur virginum gigantes, ut vocant, nati ſunt. Hi igitur* Angeli *qui cùm cœlis excidiſſent, circa aërem & terram obverſantes non ampliùs evehi ſupra cœlos potuerunt, nec non animæ gigantum* Dæmones *illi ſunt, qui circa mundum oberrant.* Athenagoræ Apologiâ vel legatione pro Chriſtianis Marco Aurelio Antonino & Aurelio Commodo Imperatoribus,

Quin & *Lactantius Firmianus Arnobii* auditor, ait ad annum *Chriſti* ferè trecentiſſimum, Angelos *ſe mulierum congreſſibus inquinaſſe, atque ob id è cœlô pulſos, ex eôquè cum fœminis* Angelorum *congreſſu, natum eſſe tertium genus eorum, qui nequè* Angeli *cœleſtes, neque* homines, *neque DÆMONES inferni, ſed ſobolem quandam terreſtrium DÆMONUM, qui ſunt hominum tentatores.* Lactan. l. 2. de erroris origine c. 14. & 16.

Atque ut ait alibi, *Horum DÆMONUM inventa ſunt* Aſtrologia, Aruſpicina & Auguratio, *& ipſa quæ dicuntur* Oracula, *et* Necromantia, *et* ars Magica, *quidquid præterea malorum exercent homines, vel palam, vel occultè.* Mirum eſt, inquam, quì veteres inter *Eccleſiæ primitivæ Chriſtianos* vel eruditiſſimos, hæc de generatione *DÆMONUM*, & ex conſequenti malorum omnium, ab *Angelorum* tàm formoſorum cum tàm *PULCHRIS* mulieribus congreſſu, hæc ad tàm multa ſecula viguerit opinio. Nonnè receptum eſt ab omnibus tanquam indubitatum *Axioma*, quòd ſimile generat ſimile, & ita ut etiam ex lapidibus ipſis lapides ſimiles omninò generentur? Aliquid admiratione dignum attende lector. *Philoſophi cœlo extenſo vim mineralem lapidificam tribuendam cenſuerunt, hinc fieri arbitror quiddam mirabile, et ſilentiô minimè premendum, relatum mihi jampridem eſt à Dominâ quâdam fide dignâ, quòd Domina* Heverenſis è Luxenburgorum *illuſtri genere oriunda, duos habeat ſervetquè Hæreditarios* Adamantes, *qui altos crebrò tantô naturæ miraculô producant, ut eos quicunquè ſtatis temporibus intueantur* συγγενῆ *congenerem ſibi prolem eniti palam judicent. Cujus cauſam, ſiquidem in naturæ tâm rarô opere nobis Philoſophari licebit, putaverim eſſe, quòd vis illa cœleſtis parentibus tenaciter inſinuata, quam* Adamantificam *quis nominaverit, aërem circumfuſum in aquam primùm congruamquè ſubſtantiam, demum in* Adamantem *gemmam duraverit, transformaveritquè, quod ne juſtô plus admiretur quiſpiam, Author eſt* Theophraſtus *eſſe lapides qui pariant.* Francif. Ruëus Doctor medic. Inſulan. l. 1. de Gemmis c. 1.

Cùm igitur ſimile generet ſimile, lapis lapidem, *Adamas Adamantem*, undenam factum eſt, ut à *PULCHRIS Angelis*, *PULCHRISQUE* mulieribus genitos eſſe *DÆMONAS*, *Chriſtianorum* primores, atque adeò ipſi *Philoſophi* ob inſignis *Sapientiæ* laudem maximè commendabiles, tanquam certam opinionem ad multa ſecula tenuerint? Quam *Scholaſticis*, Scripturarum interpretibus, *Theologiæquè* candidatis, nè nimia *PULCHRIS* fiat injuria, perpendendam, ponderandam, examinandamquè permitto, ſequor interea quò me ratio vocat inſtituti.

Refert primus *Ethnicorum*, quem habeamus, Hiſtoricus, ab excellentis *PULCHRITUDINIS* uxore, Regem *Lydorum Candaulem*, & Regnô, & vitâ privatum, & ab eâ ſic Regnum *Heraclidarum* ad *Mermnadas* tranſlatum eſſe. Herodot. in Clio.

Notum

Notum eſt omnibus ſplendore formæ decoram *Semiramidem* occiſô conjuge *Ninô* Imperium *Aſſyriorum* obtinuiſſe, atque ut à nemine regnô deinceps extruderetur, vel ab ejuſdem adminiſtratione removeretur, nulli poſteà nupſiſſe: Sed exercitus ſui formoſiſſimis ad ſatiandas impuras libidines ſuas, abuſam eſſe, quibus cùm corporis ſui copiam feciſſet aliquandiu, eoſdem in expletæ libidinis remunerationem, clam jugulari mandabat, novis in ejus amplexus continuò ſuccedentibus, atque pro collati in eam obſcænæ voluptatis beneficii compenſatione, ſimiliter trucidandis. Decantatum pridem ab innumeris eſt, *Agamemnonis* Regis conjugem extraordinariâ formâ conſpicuam, *Helenaquè* ſororem *Clytemneſtram*, maritum poſt exantlatos innumeros in bellô *Trojanô* labores, eoſquè conjugis ſuæ gratiâ, ut ſororem illius *Helenam* duntaxat reduceret, ſuſceptos, maritum inquam, *Egyſtô* juvante adulterô ſuô, per inſidias interfeciſſe, Idem *Oreſti* filio, quem ex *Agamemnone* ſuſceperat, facturam, ni monitus à ſorore juvenis, quamprimum ſaluti ſuæ fugâ conſuluiſſet. Præter malorum *Iliadem* ignotam nemini, quorum omnium fons & origo fuit *Helenæ* PULCHRITUDO, num ad nequitiæ complementum ipſa *Trojæ* prodîtrix, ad occidendum juvenem innocuum *Priami* Regis filium *Deiphobum*; qui duxiſſet eandem, interfectô *Paride*, *Græcos* introduxit?

Diodor. Sicul. bibliot. hiſt. l. 2

Homer. Odyſſ. l. 11. Senec. in Agamemnone.

Eurip. in Oreſt.

Sophocles in Electrâ.

Virg. Æneid. 6

Sed cautè minùs ago, qui probare velim ex privatis, quod adeò publicum eſt; A PULCHRIS nimirùm, propter adulteria, impuraſquè libidines liberiùs exercendas, cædes innumeras patratas eſſe. Pleni ſunt omnes eâ de re Poëtarum libri: Plenæ nationum omnium hiſtoriæ: Plena *juriſconſultorum* ubique volumina. Propterea pluribus abſtineo, ſi vel obiter monuero, deplorandum eſſe maximè, formoſas plerumque adulteras, ſcorta, meretrices eſſe. Atque ut minimè repetam *Semiramidas*, *Clytemneſtras*, *Helenas*, *Phocicas* principiſſas, de quibus anteà. Quid miſerius eſt, quàm tantam in *Phryne Theſpiacâ* PULCHRITUDINEM, quæ vincere potuerit *Areopagitas*, cujuſquè ſimilitudinem *Veneris* imagines omnes per totam *Græciam* referrent, proſtitutam eſſe. Unde *Philoſophus Rhetorquè* inſignis, ex *Paganô Chriſtianus*, ait, Phryne *illâ* Theſpiaca *ſicut illi referunt qui negotia* Theſpiaca *ſcriptitarunt*, *cùm in acumine ipſô eſſet* PULCHRITUDINIS, *venuſtatis*, *& floris*, *exemplarium fuiſſe perhibetur cunctarum*, *quæ in opinione ſunt* Venerum, *atque ita perducta eſt res eô*, *ut pro* Diis *immortalibus ſacra meretricibus fierent*, *& infœlix religio*, *ſignorum fabricationibus falleretur*. Quis non mœreat *Thraciam Rhodopin* ſine controverſiâ formoſiſſimam, meretricio quæſtu ſibi tantas comparaſſe divitias, ut quod vix Reges poſſent, ſuis ſumptibus *Pyramidem* extructam reliquerit? Quis non defleat ſtupendam *Angelicamquè Laïdis* pulchritudinem ſic venalem *Corinthi* fuiſſe, ut ad eam ex omnibus *Græciæ* partibus homines undequaquè confluerent? Et quandoquidem *Corinthi* mentionem fecimus, hîc me referre pudet, quod etiam multarum gentium moris fuit, *Corinthi Veneris* in templô, quæ *Veneris* in honorem proſtarent omnibus, mille pluresquè puellas præ cæteris omnibus inſigni ſupra quàm quod credi poteſt formâ commendabiles, à *Corinthiis Veneri* conſecratas eſſe. Cùm autem *Corinthus* in *Iſthmô* ſita duos haberet portus, alterum adverſus *Aſiam*, adverſus *Italiam* alterum, fiebat ut PULCHRITUDINIS ſi mihi loqui ſic fas eſt, RELIGIOSARUM VENERIS gratiâ, cujus templum omnium cupiditati pateret, continuò frequens nationum variarum *Corinthum* appelleret undiquè multitudo, quâ majorem in modum diteſceret civitas, cùm illîc ſe negotiatores, nautæ, hoſpites, advenæ, propter tantum luxum atque delicias, velut in orbis totius communi *Lupanari*, immoderatis ſe ſumptibus exhaurirent. Unde natum proverbium eſt, *Quòd non liceat omnibus adire* Corinthum.

Clem. Alexan. admonitione ad gentes.

Arnobius l. 6. diſput. adverſus gentes.

Plin. l. 32. c. 11

Eraſ. in Adag. Strabo Geograph. l. 8.

Quòd

Quòd ſi talia *Græcos* inter leviores, ſic PULCHRITUDINEM deformantes pudenda ſunt, quid erunt apud graves *Romanos* ſimilia? Nunquid infamia ſupra modum? Referunt omnes rerum *Romanorum* ſcriptores eximiæ PULCHRITUDINIS meretriculam, *Floram* nomine, quæ cùm omnibus vulgatò corpore, diu meretriciam exercuiſſet artem, tàm immenſas inde collegiſſe divitias, ut populum *Romanum* ex vitâ diſcedens ſcripſerit hæredem, attamen certam pecuniarum ſummam reliquerit, ex cujus annuò fœnore ſive reditu, natalis ipſius dies editione ludorum qui FLORALES, vel abſolutè FLORALIA dicerentur, quotannis in ejus memoriam celebrarentur. Quod cùm poſteà, ſucceſſione temporum, *Senatui* fœdum, inhoneſtum, infame, flagitioſumquè videretur, à nomine meretricis ſumpſerunt, ut turpi pudendæquè rei dignitas quædam adderetur. FLORAM igitur DEAM, quæ *Floribus* præſit, ſive FLORUM DEAM finxerunt, eamquè ſupradictis ludis FLORALIBUS qui quotannis quartò *Calendas Maias* ad vicum *Patricium*, noctu, facibus accenſis, ut eâ ratione fruges cum arboribus atque vitibus abundanter proſperequè floreſcerent, placandam decreverunt. Quibus in ludis formoſiſſimæ quæque meretrices, florentes ætate gratiâquè, in memoriam honoremquè FLORÆ palam denudatæ, cùm omnimodò laſciviæ, petulantiæ, turpituduis, infamiæquè genere, propudioſum ſpectaculum, benè moratæ civitatis indignum, *Romanis* exhibebant. Qui ludi cum obſcœnitate laſciviâquè tantâ celebrati, *memoriæ meretricis* inquit Valerius Maximus, *convenientes erant*, licet dicat *Ovidius* decreto *Senatus* adhærens.

Alex. ab Alex. l.6.c.8.

Roſin. antiquit. Roman. l.2. c.20.& l.5.c.15.

Lact. divinat. inſtit. l.1.c.20.

Plin l.18 c 29.

Valer. Maxim. l.2. c.10.

Turba quidem, cur hos celebret meretricia ludos,
Non ex difficili cognita cauſa fuit.

Ovid. faſtor l.5.

Ad hæc lege pluſquàm belluinam in *Epiphaniô*, *Gnoſticorum* hæreſim, apud quos PULCHERRIMÆ quæque, religionis illorum *Apoſtolæ* duntaxat, *Epiſcopiſſæquè*, per ſuas illecebras, viris quos ad ſacra ſua cupiunt allicere, ſe ſine mercede proſtituunt. Unde quæ apud illas eſt elegantiori formâ, majorquè ex conſequenti mererrix, jactare ſe ſolet, ἐγὼ χρεῖος εἰμι ἐκλογῆς· δυναμένη σώσειν τοὺς ἀπατουμένους. Quòd ſit VAS ELECTIONIS, potens ab errore revocare circumventos.

Epiph. hæreſi poſt adventum Chriſti ſexta.

Viden amice lector, quàm debilis ſit, quàm fragilis, & quò ducat PULCHRITUDO, *Turpitudo*, turpis enim, & imbecillis eſt ea, quæ talibus, & tàm vilibus inſervit PULCHRITUDO αἰσχρὸν τὸ κάλλος.

Clem. Alexan. admonitione ad Gentes.

Hìc lepidum aliquid addere placet. Nunquam enim, neque vidi, neque audivi, neque legi fœminam ullam, præſertim juvenem, niſi dementem à PULCHRITUDINE abhorruiſſe. Unâ nimirum exceptâ, valdequè ſapienti, quæ PULCHRITUDINEM ſuam, quâ maximâ prædita fuit, in deformitatem mutatam hâc de cauſâ vehementer exoptaſſet. Nam in *Arabiâ fœlici* viguit olim ea conſuetudo, ut una conſanguineis omnibus uxor eſſet, quæ cum natu majori noctes ageret, dies autem cum cæteris, eà tamen ratione, ut qui primus ad eam accederet, baculum, baculum enim *Arabum* unuſquiſque de more gerebat, pro foribus illius apponeret, nemini enim ad fœminam ullam, illic ingredi fas erat, quandiu ad illius fores ſtaret bacillus. Contigit autem aliquando, ut *Arabum* unica Regis mirandæ PULCHRITUDINIS filia, quindecim fratres habuerit, qui omnes incredibili pariter flagrarent ejuſdem amore, unde ab ejus cubiculô quôpiam è fratribus egredienti, continuò ſuccedebat alter, ſinequè ullâ intermiſſione corporis ſui copiam facere, quia PULCHRA, cogebatur, cùm autem eſſet tàm aſſiduô coitu defeſſa, hoc tandem commenticitur, comparat ſibi fratrum baculis haud abſimiles baculos, atque ubi primùm nacta fuit opportunitatem, baculum ad fores applicuit, quò cùm ex

Strabo lib. 16.

fratribus accederet aliquis, locumquè captum arbitraretur, ad ſua ſe negotia conferebat, ſicquè ſe diu ab illorum furore venereô ſervavit illæſam. Porrò cùm aliquando ſimul in forô deambularent omnes, unus qui jam diu fuiſſet excluſus à ſorore, ad illam accurrit, cumquè pro foribus baculum animadvertiſſet, certus ſe fratres in forô cæteros reliquiſſe, apud patrem, ſororem conjugem accuſat adulterii, quod apud *Arabas* capitale eſt. Dum autem litem illi ſuam inchoant, huic de PULCHRITUDINE ſermoni finem imponam. Te tamen priùs monitum jubeo, lector amantiſſime, ut maximâ cum prudentiâ tibi deligas uxorem. Dictumquè nonnullorum ex Græciæ ſapientiſſimis diligenter, ſerioquè perpendas, cum enim ex ſeptem Græciæ ſapientibus unum interrogaſſet quiſpiam adoleſcens, quam duceret uxorem? Subjecit ille, *SI FORMOSAM DUXERIS, HABITURUS ES COMMUNEM; SI DEFORMEM, POENAM.* Quod *Anthiſteni* tribuit *Laertius*, *Gellius Bianti*, *Plutaco Stobæus*. Quô *Sapientum* reſponſô conſiliôq; prudenti, conſule tibi lector ſi videbitur.

Laert. l. 6. c. 1.

Stob. Serm. 65.

Intereà *FORTITUDINIBUS* omnibus adulterinis ſuprà repudiatis, omnium quæ habeamus à naturâ, ut ad inſtitutum noſtrum tandem accedamus,

Dicam OLIVAM eſſe FORTISSIMAM, Præſtantiſſimam, Potentiſſimam. Nolo ut mihi ipſi fidem habeas, amice lector, ſed ut canitie venerandam antiquitatem auſcultes, orbis doctiſſimis tribuas authoritatem, tequè ratione validâ perſuaderi ſinas. Aggredior, nunquid à nobis in ramô cœleſti probatum eſt anteà, ex omnibus aquis *Diluvii* ſuperiorem, victricem, triumphantem OLIVAM extitiſſe, quippequam venti, turbines, procellæ, tempeſtates, tota Cœli, Maris, implacabiliſquè naturæ veluti defrænata rabies, deſtructis omnibus aliis, nequaquam per annum integrum vel immutare quidem potuerint? Cùm autem mediis verſemur in aquis, nunquid pariter à nobis in pacem deferente ramô ſuprà demonſtratum eſt, maximè tetram ſævam, horribilem, calamitoſam, turbulentiſſimô *Cælô*, furioſiſſimôquè *Mari* tempeſtatem, vel *Oleæ* ramuſculô prolatô, continuò poſuiſſe, ſtatimquè redditum orbi *Solem*, *Mariquè* tranquillitatem? Atque ne videar actum agere, hæc, multaquè ſimilia probata ſuperiùs de induſtriâ prætermitto, dum majus aliquid, novumquè molior, & aggredior. *Aiunt* OLIVARUM *oleô, contra furorem tantam eſſe vim, ut effuſum in perturbatos veſanientis* Maris *fluctus, tempeſtatem efficaciſſimè tranquillet. Aiunt*, multi ſine dubiô, *Qui?* Eruditi certè, à quibus *Hieroglyphica* ſua collegit *Valerianus. Efficaciſſimè*, non narrantur hìc fabulæ, ſed veritas ipſa ſincerè, ſinequè ullô fucô ponitur nobis ob oculos.

Pier. Valer. Hieroglyp. l. 53

Ergo quid *FORTIUS* oleâ, cujus liquor exiguus in furibundum injectus *Mare*, intumeſcentibus ad *Cælum* uſque fluctuum montibus, ad imum terræ dehiſcentibus aquis, in ſe invicem vehementiſſimè concurſantibus, illidentibus, violentiſſimôquè ſupra vires omnes humanas delatis impetu, molibus aqueis ſe mutuò verberantibus, frangentibus, ſumma miſcentibus imis, quid inquam *FORTIUS*, potentius, validius, præſtantius, valentius, invictius eſt *Oleâ*? Cujus liquor vel modicus, tantam *Maris* commotionem, tumorem, perturbationem, violentiam, furorem, rabiem, ſævitiem, horrorem, ſic efficienter vincat, ſedetq;, ut actutùm ſumma tranquillitas, tempeſtatem ſummam ſine morâ conſequatur? Quô quid in orbe terrarum *FORTIUS*, potentiuſvè reperiri poſſit, neſcire me non erubeſco, atq; ut hâc authoritate ſolâ meam fulciri ſententiam autumare nemô præſumat, audi quid eâ de re dicat *Cælius*. *Oleum* OLIVARUM *facere creditur, & in* Mari *tranquillitatem, fluctibus inſperſum, non*

Cæl. Antiquar. lection. l. 25. c. 16.

lævoris

lævoris ratione, lubricitatisve ventis dilabentibus, sicut censuit Aristoteles, *sed quia disgregat humorem, ac distinguit aëris potentiâ.* Ergo iterum de factô constat, quòd Olivæ succus conjectus in maximè licet exasperatum mare, statim idem æquatum politi marmoris ad instar reddere queat. Dum autem de ratione verâ tàm certi, tàm miraculosi, tamquè divini propemodum effectus digladiantur interse cum *Naturæ Genio* sapientiæ candidati,

Alterum à me jam superiùs pacem inferente Ramô potestatis Oleæ, *FORTITUDINIS*, virtutis propositum exemplum, hìc in memoriam tibi revocare lubet. Igitur ob oculos tibi propone valentissimos, numerosissimos, infensissimosquè pro aris, pro focis, pro *Diis Penatibus*, pro salute deniq; pugnantes invicem odiô plusquam *Vatiniano*, rabieq; plusquã belluinâ succensos exercitus. Quòd si vel unicus illos inter proferatur *Oleæ* ramulus quumprimùm sedat exercitus, actutùm cohibet, refrænatq; bellatorum impetum, pugnantium extinguit ardorem, strictos ad cæsim punctimquè feriendum gladios, vel acutissimos hebetat, ut paucis expediam, sic militum omnium armos, brachiaquè stupefacit, ut homines saxei plumbeiquè videantur. Quô quid fortius, valentius, potentius ab hominibus reperiri queat dificillimum, immô potiùs ἀδύνατον est. Quid dico ab hominibus, immò nec à *Diis* ipsis, qui sua simulachra eam ob rem, quòd æternam *Oleæ* naturam, soliditatemquè perpetuam exploratam haberent, ex *Oleâ* fieri decrevêre. *Ea siquidem* Oleæ *materies est, quam neq; tempestas, neq; caries, neque vetustas labefactat, quæ non in murô tantùm obstructa, sed & in substructionibus, & in terrâ obruta, & in aquâ fixa collocatavè, sempiternô propemodum officiô perseverat incorrupta.* Et quamvis solum ignem inimicum Olivæ *Maro* contendat. Attamen igne *FORTIOREM* Olivam demonstrabo. Pier. Hieregl. l. 53. Virgil. Georg. 2

Ac primùm *Sostratus Bizantinus* refert *Lucum* Bizantii *fuisse, & in eô* Olivam, *quam stupendô prodigiô dicitur imber igneus fœcundasse.* Agesis nunc ubinam sunt *Chaldæi?* Ubi *Persæ?* Qui paulò anteà suum ignem tanquam rerum omnium, immò & *Deorum FORTISSIMUM* ostentare, venditarequè minimè dubitabant. Si prodigium hoc animadvertissent, nunquid *Oleam* igne *FORTIOREM* ultrò, licet inviti fassi fuissent? Acclamassent sine dubiô, dum arbores omnes ab igne depasci, absumi, comburi, atque in cineres redigi circumquaq; vidissent. At cùm sensissent non solùm stantem *Oleam* foliorum suorũ densioi, magequè virenti comâ decoram, pluribus crassioribusquè baccis Olivarum, *SMARAGDORUM* instar micantibus conspicuam, sed etiam lucô totô combustô, ignem materiâ deficiente, defeciss pariter, nec non ad *Oleæ* victricis radices extinctum esse perspexissent, *Oleam* tantô prodigiô commoti rerum sublunarium omnium valentissimam, sine ullâ dubitatione, venerati fuissent. Achilles Tatius l. 2.

Aliquid magè stupendum addo, cùm potentissimus Rex ille *Persarum Xerxes, Græciam* invaderet, omnium numerosissimô, qui post homines natos unquam extiterunt exercitu, conflatô videlicet ex bellatorum quinque millionibus, cum ducentis octoginta tribus millibus ducentis & viginti, hoc est ex quinquaginta duobus centenis millibus hominum cum octuaginta millibus, pluribusquè, præter eos qui singulis ad eundem exercitum diebus undequaquè confluerent, cùm inquam, non custoditam *Athenarum Acropolim* incendissent *Persæ*, totumquè *Minervæ* templum conflagrasset incendiô, quæ servabatur illic Oliva, incensis omnibus aliis non modô servata est, sed cùm undique templi ruinis operta, oppressa, obruta, atque sepulta foret, eôdem ipsô die ruinarum templi quibus erat ex omni parte contecta, *O mirandam* Oleæ *vim! O Cælestem* Olivæ *fortitudinem! O divinam* Olivæ *potentiam!* Eô ipsô Herod. in Polymnia.

die

die ruinarum dictarum immenſos quidem aggeres penetravit, ſuperavit, duobuſquè cubitis iiſdem altior evaſit, λέγουσι τὴν ἐλαίαν ἀυθήμερον ἐπὶ δίο βλαστῆσαι πήχεις.

Atque ne privatarum in quarumdam Olivarum gratiam hyperbolicè loqui videar, earumdem univerſâ de ſpecie dicam aliquid. Legimus apud illum, cui divina loquendi gratia nomen invenit, quòd aliquando tàm multi, tàm continui, tamquè diutini ad Olivam quampiam vehementes ignes accenſi, dum inquam flammis totam abſumpſiſſe crederentur, quòd eadem tamen denuò tota renovata cumprimùm ſurrexerit, ἐλαία ποτὲ προκαυθεῖσα τελείως, ἀνεβλάστησεν ὅλη.

Theophraſt. hiſt. plant. l. 2. c. 4.

Nec certè quemadmodum *Theophraſtus* idem ait, hæc inter abſurda numeranda ſunt, ἄτοπα, cùm manifeſtiſsimas ad cauſas ſine controverſiâ redigi poſſint, quas ſequentibus in *Olearum* miraculis aperiendis, pariter aperiemus, ex quibus vis, *FORTITUDO*, naturæquè *OLEAGINEÆ* potentia, tàm manifeſtè quàm quòd maximè ſingulis, qui non oculis, mentevè capti ſint, apparere poteſt. Audi ſuper eâdem re Poëtarum / Latinorum principem, veriſsimum *Oleæ* miraculum orbi proponentem,

Quin & caudicibus ſectis, mirabile dictu,
Truditur è ſiccô radix OLEAGINA lignô.

Virgil. Georg. 2.

Ubi Servius, *Siccus* Olivæ *ſtipes ſecatur uſque ad medullam, & terræ infoſſus, urgente* Naturâ, *quod ſine dubiô mirum eſt, ex ſe gignit arborem.* Quòd ſi notatos hìc ad marginem rerum ruſticarum ſcriptores evolvere te non pigeat, ad veritatem ingenuè loquutum Poëtam deprehendes. Atque ſimiliter agnoſces ab *Ovidiô* ſequentes verſus non fuiſſe ſimplicitèr fictos, ſed ad veram potentis Oleæ naturam aptè, convenienter, conſentaneeque deductos eſſe. Poſtquam igitur apud *Ovidium* pharmaca multa ſimul in ingenti lebete miſcuiſſet, quibus *Æſoni* parenti decrepito juventutem *Medea* reſtitueret,

Servius hic. Plin. l. 17. Columel. l. 3. Pallad. paſſim.

Arenti Ramô jampridem mitis Olivæ
Omnia confudit, ſummiſque immiſcuit ima.
Fit viridis primò, nec longô tempore frondes
Induit, & ſubitò gravidis oneratur Olivis.

Ovid. Metam. 7.

Quòd inquam *Oleæ naturæ* mirum in modum conſentiens doctiſſimè protulit *Ovidius*. Nam *Oleæ* natura talis eſt, ut quantumvis arens, ſiccaquè ſit quævis *Oleaginea* materies, dummodò nonnihil ſentiat humoris, locumvè nanciſcatur humidum, germen frondes, fructuſquè producat, & tandem pulluleſcat in arborem.

Theophr. l. 5. c. 10.

Alteram tantorum prodigiorum, atque maximorum in *naturâ* miraculorum, petere poſſumus ex *Oleæ* naturali pinguedine rationem. *Oleam* enim ſemper conſervat pinguedo, atque licet ab *Oleâ* ſtipes, ramus, bacillus, virgavè reſcindatur, atque per multos annos ita ſervetur, ut in ſe nihil humoris ampliùs habeat, ſed totus aruerit ſiccitate, attamen cùm illa materies compacta ſit, unctuoſa, & conſequenter aliquô modô pinguis, ſi modicus huic adfuerit humor, exſuſcitatur debilitata pinguedo, perquè materiam eandem diffuſa, ſic illam renovat, roboratquè, ut germinare denuò valeat. Atque inde fit, ut ſæpè rudis *Oleaginea* materies, atque adeò redacta in opus ἐιργασμένα, ſi quem ſentiat humorem, continuò germinare videatur. Unde cùm ex Olivæ lignô poculum vetus in limum, lutumquè per inadvertentiam vel quòd nulli ampliùs eſſet uſui, eſſet injectum, paulopoſt germinare, tùm in ſurculos *Oleagineos* ſolvi, poſtremùm in arborem Olivam excreſcere viſum eſt. Cujus rei cauſa cùm non ſit aperta vulgo, nequaquam id ad præ-

Plutarch. ſympoſiac. l. 3 Prob. 2.

Theophraſt. l. 5. c. 10.

ſtantiam,

ſtantiam, excellentiam, *FORTITUDINEM*, OLIVARIÆQUE Naturæ vim referunt, ſed ad prodigia, portenta, monſtra, viſis talibus illicò recurrere ſolent.

Ad rationem eandem revocare convenit, quod ibidem legimus valvarum cardinem olim ſtupentibus ad rei novitatem domeſticis, exoticiſq; germinaſſe: στροφεὺς τῆς θήρας ἐβλάστησε. Quamobrem cùm *Oleæ Natura* perfectiſſimè mortalium omnium ab ſapientiſſimô *Salomone* cognoſceretur, cumquè idem maximè conveniens *Cherubinos*, oſtia, poſteſquè ſuô in templô propter validas rationes ex OLIVA fieri debere putaret, attamen eadem omnia circumquaque laminis operuit aureis, ne ſi fortè germinaſſent uſpiam, atque in ramorum brachia, virenteſquè frondes opera dicta ſoluta eſſent, ne quod inquam OLIVARIÆ *Naturæ* virtute potentiâquè fit, extraordinario tribuerent *Judæi* miraculo, proniquè ad *Idololatriam*, ſic effloreſcentibus *Cherubinis* divinos haberent honores. Atque hæc alias inter *Salomonis* rationes, cur nimirum eadem ſuprà dicta texerit, meô quidem judiciô, locum habere poteſt.

Id. ibid.

Penult. Reg. 6.

Cùm autem ramus iſte *FORTITUDINEM* maximam habeat, pluresquè nactus ſit hoſtes, horum reliquias *Herculis* ipſâ *Clavâ* conficere ſedet animô, fuit enim illa ex *OLEAGINEA* materiâ, ex OLIVA nimirum ſilveſtri, vel *Oleaſtrô* ῥόπαλον ἦν κότινον, cujus lignum cùm OLIVÆ *Naturam* aliquô modô participet, nullô modô mirandum mihi venit, ſi monſtrorum domitoris *Herois* certaminibus abſolutis *Clava*, cùm nullum ampliùs ipſius uſum haberet *Hercules*, in *Oleaſtrum* denuò converſa fuerit. *Scribunt* Græci Herculis Clavam *fuiſſe ex* Oleaſtrô, *quam apud* Sardonidem *is reperiſſet, quin etiam depoſitam in* Trœzenê *apud* Mercurii *ſtatuam, progerminaſſe denuò, ac ſuperfuiſſe tempeſtate ſuâ* Oleaſtrum, *prodit* Pauſanias.

Pauſan. in Corinthiac.

Rhodig. l. 12. c. 19.

Iſtis igitur omnibus ita conſtitutis, hunc ut ad finem demum adducam, longiùs extendiſſe brachia ramum fateor; ſed id virtuti potiùs, *FORTITUDINI* potentiæ, quæ naturaliter inſunt in *Oleâ*, hoſtiumquè pro *FORTITUDINE* pugnantium, debellatæ multitudini, quàm loquacitati meæ tribuendum ſapiens non ſolùm arbitrabitur, verùm etiam ſtupendam ipſemet *Oleæ* fortitudinem cum ſapientiæ Deâ mirabitur, nam eam ob rem,

Mirata eſt Oleas *ſæpe* MINERVA *ſuas.*

Claudian.

OLIVARIVS

Canonher. axiom. politic.

Æpenumerò mecum ipſe perpendi, lector benevole, quî fieri potuerit, ut à *Rebuspublicis* apud omnes ferè gentes, omnibuſquè ſeculis viri *FORTES*, quorum maxima eſſent in *Reſpublicas* merita, ſemper & indigniùs & iniquiùs, quàm alii, à quibus boni nihil in *Reſpublicas* eſſet profectum, utilitatis nihil, tractati fuerint. Id meô quidem judiciô non aliunde quàm à *Zelotypiâ*, *Rerumquè publicarum* timore, nè ſcilicet cujuſquam dominiô ſubjicerentur, provenire ſolitum eſt. Unde quantam poſſunt in ſuis æqualitatem ſervant, quam ſi quis ratione quâvis multùm excedat, hôc ipſô velut earumdem hoſtis habeatur. Inde factum ut vigerent leges, apud *Athenienſes* *OSTRACISMUS*, apud *Syracuſanos*, *PETALISMVS*; apud *Argivos* *SCYTALISMVS*; quibus in *Rebuspublicis* potentiores, clarioreſquè hôc ſolô nomine mitterentur in exilium.

Ariſtoteles & Plutar. in Ariſtide. & Diod. l. 11. 13. & 14.

OSTRACISMVS igitur ita ferebatur, convocati cives in forum inter ſe conferebant invicem, & in *Teſtulam*, græcè ὄστρακον, quilibet nomen illius, quem cupiebat exulare ſcribebat, atque in vicinum quendam locum ſeptum cancellis conjiciebat; Quô cùm magiſtratus acceſſiſſet, numerabat *teſtulas*, quæ ſi ſex millia vel plura conficerent, legitimus erat *OSTRACISMVS*, ſin minus, illegitimus, cujus nomen igitur in illis ſex millibus *teſtis* ſæpiùs erat inſcriptum, in exilium ille mittebatur *ad decem annos*, ut vult *Plutarchus*, ex Diodorô *per qinquennium*.

Apud *Syracuſanos* dicebatur *PETALISMVS*, à πέταλον folium, nam potentiorum nomina quos decernebant in exilium, non in *teſtulis* velut *Athenienſes*, ſed in Olivarum foliis honorificentiùs inſcribebant.

Diodor. Sic. l. 11.

SCYTALISMVS verò apud *Argivos* ortus à σκυταλὴ epiſtolâ in coriô, ſcriptis in coriô potentioribus iiſdem, qui popularem ſtatum aliquando poſſent evertere. Leges igitur ejuſmodi ab antiquis *Rebuspublicis* erant latæ in eos, qui ſufficientem potentiam ad evertendas illas habuiſſent, ad comprimendos nimirum atque ad moderationem revocandos eorumdem animos.

Per *OSTRACISMUM*, *Themiſtocles* ille vir admirandæ Prudentiæ, *FORTITUDINISQUE*, ſic ab omnibus ducibus *Græciæ* declaratus, & à *Spartanis* ob id coronatus *Oleâ*, poſtquam *Xerxis* claſſem, quæ totum tegebat *Helleſpontum*, paucis navibus apud *Salaminem* viciſſet, ſicquè totam *Græciam* barbarorum à ſervitute liberaſſet, *Themiſtocles Archithalaſſus* inquam, ab *Athenienſibus* ſuſpectam ejuſdem excellentiam habentibus, *OSTRACISMI* ſuffragiis in eum latis, per ſummam ingratitudinem pulſus eſt in exilium.

Miltiades autem terreſtrium copiarum *Athenienſium* Imperator, poſtquàm vix decem ſuorum millibus, *Perſarum* ſexcenta bellatorum millia, in campis *Marathoniis* virtute pluſquàm heroïcâ profligaſſet, quòd aliquantulum pecuniæ militibus ſuis, in extremâ rerum omnium neceſſitate conſtitutis, ſine conſenſu magiſtratus accepiſſet, in carcere vinculis oneratus ab *Athenienſibus* per ingratitudinem pluſquàm belluinam, mori coactus eſt.

Juſtin. lib. 2.

Valerius Maxim. l. 5. c. 3.

Alcibiades inſuper Nobiliſſimus, humaniſſimus, prudentiſſimus, *FORTISSIMUS Athenienſium* exercituum Imperator, poſtquàm illos innumeris ubiq; victoriis auxiſſet, ab iiſdem locô mercedis in exilium pulſus eſt: Cùm autem res illorum in deterius caderent, atque ab iiſdem revocatus eſſet ab exiliô denuoquè conſtitutus Imperator, plurimas peperit illis victorias, *Græcorumquè* potentiſſimos reddidit, quô peractô in exilium ob mercedem pulſus eſt iterum, ubi miſerè vir tantus obiit, cujus defectu poſtmodum & Imperium *Græciæ*, & libertatem *Athenienſes*, ob ingratitudinem in tantum principem, amiſerunt.

Diod. l. 13.

Per

Per *PETALISMUM Hermocrates* apud *Syracuſanos*, quòd ipſorum bellis fortiter & honorificè præfuiſſet, multis reportatis victoriis, in exilium eſt amandatus, quòd nimium honorem, authoritatem, & gratiam rebus benè geſtis, obtineret. Diod. l. 11. & 13

Per *SCYTALISMUM* σκυταλισμὸν in *Argivorum* urbe metropoli orta eſt infamis ſeditio, funeſta nobilibus, nam illìc nomine *SCYTALISMI*, populus ex potentiorum numerô ſemel pluſquàm mille & ſexcentos occidit ſine ullâ cauſâ, metu ſolô ne popularem everterent illi ſtatum. Diod. l. 15.

Quod & *HELVETIORUM* omnium Nobilioribus alias accidit, qui ſunt omnes à plebe ſemel occiſi, ut *DEMOCRATIAM* liberam & pacatam obtinerent. Helvetic. res geſtæ.

In *Romanorum Republicâ* dolendum virum Nobiliſſimum totius orbis terrarum, virtute bellicâ *FORTISSIMUM Coriolanum*, qui duas inſignes unô & eôdem die *Romanis* victorias peperiſſet, indignè per invidiam a plebe miſſum in exilium. Plut. in Coriol.

Nonne miſerandum eſt videre *Manlium Capitolinum*, à *Gallis* urbe *Româ* captâ, *Capitolium* invaſiſſe, atque in *Gallos* ſervaſſe, ſicquè *Romam Italiamquè* liberaſſe, atque paulò poſt ex eôdem *Capitoliô* præcipitem actum eſſe? Tit. Liv hiſt. Rom. lib. 2.

Quid de *Scipione Africanô majore*, omni laude ſuperiore virô dicendum eſt? Qui poſtquàm tùm *Hiſpaniam*, tùm *Africam* adjunxiſſet Imperio *Romano*, liberatâ à *Pœnis Italiâ*, quam per continuos ſexdecim annos afflixerat *Annibal*, penequè oppreſſerat, quid inquam dicendum eſt de tantô virô? Qui poſt tanta *Reipublicæ Romanæ* præſtita, tandem in exiliô mori *Linterni* coactus eſt, in cujus ſepulchrô tale fuit illìc epitaphium, *INGRATA PATRIA NUNQUAM OSSA MEA POSSIDEBIS.* L. Reginius & C. Oppius in vita Scipion. African. Major

Ex quibus innumeriſquè aliis, quos hìc attexere poſſem, ſatis patet viros *FORTISSIMOS Rerumpublicarum* liberatores, & amplificatores, ab illis in mercedem, ſolam ingratitudinem, exilia, carceres, vincula, mortem denique retuliſſe.

Quæ ſine dubiô, quemadmodum tibi ſatis per quotidianas in te rebelliones apertum eſt, te ſuperiorum maneret *FORTISSIMORUM* Imperatorum eadem, vel pejor Olivari fortuna, niſi tibi Divinâ tuâ prudentiâ antiquitatis edoctus exemplis, verbiſquè *Cæſaris* ſequentibus, fidum reſervaſſes exercitum. *Tantis rebus geſtis ego* Cæſar *condemnatus eſſem, niſi ab exercitu auxilium petiiſſem.* Sueton. in Cæſar.

Tanta eſt autem Olivari *FORTITUDO* tua bellica, tùm in frangendis tàm multis hoſtium exercitibus, non in *Angliæ* meditulliô ſolùm, ſed in quibuſvis ferè provinciis *Angliæ*, tùm à ſeditionibus, inteſtiniſquè bellis, oppreſſionequè manifeſtâ, hanc liberando nationem, poſt tot expugnata propugnacula, munitaquè loca, quot erant in *Angliâ*. Tùm in *Cambriâ* vincendâ, quæ poſt hominum memoriam ſic vinci nunquam anteà potuerat; Tùm in ſubjugandâ *Scotiâ*, fractis exiguâ militum manu plurimis, numeroſiſſimis, valentiſſimiſquè *Scotorum* exercitibus, tùm in eorum locis munitiſſimis, penequè innumeris; ad quæ non niſi Cœli ſolis avibus patere crederetur aditus, cingendis obſidione, capiendiſquè. Tùm in *Hyberniâ* rebelli recuperandâ. Quæ omnia tàm citò confeciſti, ut longè potiori, quàm *Cæſar* dicere poſſis ratione, *VENI, VIDI, VICI.*

Quæ omnia, qui in antiquitatis monumentis evolvendis, meliorem vitæ meæ partem inſumpſerim, mihi ſtupenda *FORTITUDINIS* tuæ prodigia ſic videantur, ut omnem ſuperent admirationem: In omnibus enim antiquitatis totius Imperatoribus, qui tàm modicis viribus, tanta tamq; citò fecerit, neminem unquam reperias. Memini cùm ad *Sterlinum Pontem Scotorum* Rex eſſe dice-

diceretur cum exercitu validô, quem tamen inſequereris, quòd te hìc ferè omnes irriderent OLIVARI, qui *Lunam allatrares*, *Iſthmum perfoderes*, adquè *Calendas Græcas Sterlinum* capturus eſſes: Æquè tibi commodum eſſe novum aliquem orbem ex iſtis, quos in *Syderibus Lunatici* conſtituunt aggredi, & ad quos, alis artificiô *Dædaleô* compoſitis, promittunt aditum, quàm *Sterlinum* meditari; Quem totius *Albionis* vires, ex quô diceretur *Anglia*, multis vicibus tuis potiores, neque *Romanorum* poteſtas omnis, per tàm multa ſecula debellare potuiſſent; Quem tamen fractis multis hoſtilibus exercitibus tàm celeriter occupaſti, ut mihi ipſi *ſomnium* eſſe videatur, *Stupor* hoſtibus tuis, *miraculum* extraneis, conſideratâquè ſitus loci naturâ Orbi toti *Prodigium*. Unde veriſſimè dicere poſſim OLIVARI, eorum omnium, qui ſaltem his in oris unquam extiterint, te ſine controverſiâ *FORTISSIMVM*: Exotici verò qui *Sterlinum* tùm geminô mari, ſeu fretô, ſeu maris gemini brachiô, tùm rupibus inacceſſum noverint, numeroſôq; *Scotorum* bellatorum exercitu defenſum, qui ab nationibus ferè omnibus non modô magnamini, *FORTES*, conſtantes, ſed & invicti quodammodò credantur, unde Rex meus *Chriſtianiſſimus Scotos* in corporis ſui valentiſſimos, fidiſſimos, tutiſſimoſquè cuſtodes habeat, exotici inquam, te principum omnium qui fuerint unquam, exceptô nemine *FORTISSIMUM* arbitrantur, cùm præſertim fateantur omnes *FORTEM* circa terribilia verſari oportere, ἀνδρεῖον εἶναι περὶ φόβους.

Saluſt de conjurat. Catil: Hìc quæſtio ſubdificilis nonnihil, quam ponit *Saluſtius* oritur, *Diu magnum inter mortales certamen fuit inquit, VINE CORPORIS an VIRTUTE ANIMI res militaris magis procederet.* Quô de utrôque nonnulla diſputabimus, tùm quæ noſtra ſit opinio breviter aperiemus.

Plin. l. 7. c. 20. Propter vires, corporiſquè robur, ab authoribus plurimi laudibus ad cœlum uſque feruntur. Tres ſequentes multum commendat *Plinius*. *Ab* Tritanô inquit, *magni* Pompeii *milite*, *author eſt* Varro, *hoſtem ex provocatione dimicantem inermi dextrâ, unô digitô ſuperatum, & poſtremò correptum in caſtra tranſlatum.* Junius Valens, D. Auguſti *Centurio vehicula cum culeis onuſta donec exinanirentur ſuſtinere ſolitus, carpenta apprehenſa manu retinere obnoxius, contrà nitentibus jumentis.* Tullius Salvius *duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, & ducenta duo humeris, contra ſcalas ferebat.* Qui tres à *Plinìo* relati, robuſtiſſimi ſine dubiô fuêre. Duos ſequentes tradit *Pauſanias*.

Pauſan. l. 6. Alterum *Polydamantem*, quem aiunt incitante equos aurigâ, alterâ tantùm manu, τῇ ἑτέρᾳ τῶν χειρῶν retractos à tergô currus ſiſtere ſolitum. Alterum *Milonem Crotoniatem*, qui ſuam ipſius ſtatuam dicitur humeris deportaſſe, malum Punicum ita manu compreſſâ tenuiſſe, ut neque qui conatus eſſet extorqueret, neque tamen is illud elideret; perunctô diſcô cùm inſtitiſſet, omnes habuiſſe ludibriô, qui ſe detrudere, quantôvis impetu factô conarentur; caput nervô non aliter quam redimiculô, aut coronâ cinxiſſe, intercluſô deinde compreſſis labiis ſpiritu, cùm ſanguine plurimô venæ capitis intumuiſſent, venarum robore, nervum ſæpiùs diſrupiſſe. Qui *Milo* cùm aliquando virium ſuarum periculum cum *Titormô* bubulcô, ut teſtatur *Ælianus* facere voluiſſet, *Titormus* ingentem lapidem in humeros ſublatum ad octo paſſus detulit, atque projecit, quem lapidem vix potuit volutare *Milô*. Præterea maximum feriſſimumquè *Taurum* pede prehendit *Titormus*, qui cùm vellet aufugere non valuit, alium quoque interim accedentem alterâ manu ſimiliter tenuit, quô viſô palmas ad cœlum *Milo* ſuſtulit, inquiens, O *Jupiter*, num huncnobis alterum *Herculem*, ἢ Ἡρακλέα dediſti.

Ælian. l. 12. c. 22.

Miratus

Miratus ſum quod *Mediolanenſis* refert hiſtoricus de *Matthæô magnô*, qui multa & ſpiſſiſſima, quæ ſoleis equorum aptantur ferra ſimul apprehenſa, tàm facilè ac vir robuſtus panis fruſtulum, rumpere vulgò ſolebat. Quod hic referam, omnem ſuperat admirationem. Quidam *Turca* duos in gladios erectis aciebus, novacularum ad inſtar ſecantes, nudus reſupinuſquè decumbere ſolebat, cujus in ventre ferrea locabatur incus, eaquè graviſſima, quam ingentibus malleis ferreiſquè quatuor robuſtiſſimi viri pro viribus ſimul, diuquè ferirent; & præterea ſupra ventrem ejuſdem illæſi, multos lignorum ſtipites ſecuribus in fruſta dividerent. Arſa de Hiſt. Mediolanenſi. Sect. 1. Hiſtor. curiæ Turc. c. 13.

Plurima Regis Epirotarum roboris viriumquè feruntur exempla. Primum quòd unicô ſimul & ſemel ictu gladii, ſilveſtris ingentiſquè *tauri* indomiti maximequè furibundi caput amputarit: Item, quòd unicô ſolùm ictu vulgaris gladii *duos bellatores* ſecuerit per medium, cumquè tandem cum illô pactus inducias eſſet *Mahumetes*, atque à multis percepiſſet, quòd *Scanderbeg* enſis amputare ſoleret armata brachia, armata capita, armataq; corpora duas in partes divideret, per legatum petiit hunc ſibi donari gladium. Annuit *Scanderbeg*, ſed cùm multi probarent illum coram *Mahomete*, vulgaremquè animadverterent, remiſit eundem non fidem iis adhibens, quæ de eôdem vulgò ferrentur, *Scanderbeg* coram eô qui retulit enſem, eôdem longè plura quàm *Mahometes* ſecundis audiſſet operatus eſt, atque per generoſum eundem, eidem dici curavit quòd *virtus non in enſe ſed ex brachiô procederet*, quodquè ſuos in hoſtes reſervaret. Sileo vim incomparabilem *Turni* his verſibus à Poëtâ deſcriptam. Hiſtor. Scanderbeg. l. 11. c. 3

Saxum antiquum ingens, campô qui fortè jacebat
Limes agro poſitus, litem ut decerneret arvis,
Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus,
Ille manu raptum trepidâ torquebat in hoſtem. Virgil. Æneid.

Nihil dico de robore *Monichi Centauri*, quod tantum fuit, ut arbores ſtirpitùs erueret, atque *Sagittarum* ad inſtar illas ejacularetur in hoſtes.

-- *Quantas jaculetur* Monichus Ornos. Juvenal. Satyr. 1.

Porro ad animi vim, nec non *FORTITUDINEM*, quæ referri debeant, conſultô eſt opus. Neque enim ex *FORTITUDINE*, animiquè magnitudine, ſed ex ſuperbiâ, damnandâquè prorſùs ambitione fletus *Alexandri Macedonis*, dum de mundorum infinitate diſputantem *Democritum* audiviſſet, quòd nondum debellaſſet unum, extitiſſe reor, vel cùm patris *Philippi* victorias acciperet, veritus ne ſatis ampla foret ambitioni ſuæ reſidua ſeges. Neque *Julii Cæſaris* gemitus ex aliâ cauſa profectos quis ſapiens unquam arbitrabitur, qui cùm *Gades veniſſet, animadverſâ apud* Herculis *templum* Magni Alexandri *imagine, ingemuit*, *& quaſi pertæſus ignaviam ſuam, quòd nihildum à ſe memorabile actum eſſet, in ætate quâ jam* Alexander *orbem terrarum ſubegiſſet, miſſionem continuò efflagitavit, ad captandas quamprimùm majorum rerum occaſiones.* Præterea cum in *Hiſpaniâ* per otium *Alexandri* legeret Hiſtoriam, lachrymas abundanter effudit, ad quod mirantibus amicis, ait, an non videtur vobis gemendum οὐ δοκεῖ ὑμῖν ἄξιον εἶναι λύπης, hâc ætate, quâ tot *Alexander* Regna ſubegerit me nihildum geſſiſſe præclari. Plutarch. in Alex. Sueton. in Cæſar.

Num *Theſeum* ambitionis ardor idem tenuit, qui multis ætatibus poſteà *Themiſtoclem*, cui *Miltiadis trophæum* Μιλτιάδου τρόπαιον, ſomnum adimere vulgò ſolebat? Nam *Theſeo* virtutem *Herculis* ſtupenti τοῦ Ἡρακλέους θαυμάζοντι τὴν ἀρετὴν, in ſomnis illius geſta noctu ſolebant occurrere, interdiu paria gerendi ſuccedebat æmulatio. Plutarch. in Theſeo.

Neque pariter *Thraſonicam* annumero *FORTITUDINI*, *Thracum*, antiquorumquè *Gallorum* audaciam. *Thraces* enim dum tonat, fulguratquè ſagittas in Cœlum Deo minitantes emittunt, ſi quis fortè præter ſuum *Thracum* fingere ſe Deum præſumeret. *Celtæ* verò neque terræ motum μήτε σεισμὸν, neque fluctus, μήτε κύματα reformidant, quos ob id cum *Ælianô* nunquam laudaverim, dum ait, *Omnium hominum ad ſubeunda pericula promptiſſimos eſſe* Celtas *audio. Proinde in honorem eorum qui in præliis* Fortiter *occubuerunt cantiones componunt, & coronati pugnas ineunt. Adeò verò ducunt ignominioſum fugere, ut è corruentibus, & incidentibus ædibus ſæpè non effugiant, ſed ne ardentibus quidem, ita ut incendiô, igniquè circumveniantur, multi etiam inundans mare ſuſtinent, quidam etiam in fluctus armati ſeſe injiciunt, & eorum impetum excipiunt protenſis gladiis evaginatis, & haſtis vibratis, perinde ac ſi terrere, vel vulnerare poſſent.* Ad ſubeunda pericula promptitudinem in *Celtis* non poſſum quin multùm approbem. Alia profectò ſuperiùs enumerata, ad *inſaniam* referenda, meramquè *barbariem* exiſtimo.

Melpomen. Herod.

Ariſtot. Ethic. Nicomach. l. 3. c. 10.

Ælian. l. 12.

Neque denique ad *FORTITUDINEM* ullô modô pertinere factum *Alexandri* putem, ob quod tamen à tàm multis ideò commendatur, quando cum temeritate maximâ in *Indorum* urbem ampliſſimam per murum ſolus inſiluit, ſoluſquè bellatorum innumerorum hoſtilem ſuſtinuit impetum.

Diod. l. 17. Part. 2.

Ad furorem quoque bellicum iſtud refero, quod nec laude, nec vituperiô dignum arbitror, cùm & temeritatis, & audaciæ generoſæ multum habere videatur, *Ait* Juſtinus, Cynigirem *militem* Athenienſem, *poſt prælii cædes innumeras, cùm fugientes hoſtes ad naves egiſſet, onuſtam navem dextrâ manu tenuiſſe, nec priùs dimiſiſſe quàm manum amitteret, tùm quoque amputatâ dextrâ navem ſiniſtrâ comprehendiſſe, quam & ipſam cùm amiſiſſet, ad poſtremum morſu navem detinuiſſe, tantamq; in eô virtutem fuiſſe, ut non tot cædibus fatigatus, non ambabus manibus amiſſis victus, ad poſtremum truncus veluti rabida fera dentibus dimicaret.*

Salianus an. mundi, 3562. Tom. 5. Num. 8.

Animi *FORTITUDO* vera, ut ſuperbos, ambitioſos, temerarios, inſanos, furibundos omittam, in animi tranquilitate ſtatuitur æquâ lance ponderantis, quid quôlibet in negotiô difficultatis, vel ferendum vel vincendum ſit, ad quod prudenter aggrediendum vel ſuſtinendum promptitudinem audacem exhibet, ſic porro *FORTITUDINEM* aptè definit *Seneca*, *FORTITUDO eſt ſcientia periculorum repellendorum, excipiendorum, provocandorum.*

Senec. l. 2. de beneficiis, c. 34.

Quamobrem *FORTITUDINEM* non in *Taurinis* corporis viribus, de quibus ſuprà, nec in copiis numeroſiſſimis, ut *Aſiaticorum* omnium vulgò ſolent eſſe, de quibus, hominum multiplicationem tàm ſubitam admirans, circa trecentos annos à diluviô *Salianus* ait, Diodorus Siculus *pluribus ſcribit* Ninum *abſolutâ* Ninivê *expeditionem in* Bactrianos *redintegraſſe, coegiſſequè undiquè exercitum, ut* Cteſiam *ſcripſiſſe refert, centum ſeptuaginta myriadum, hoc eſt decies & ſepties centum millium peditum, equitum vero ducentorum & decem millium, decem item millium & ſexcentorum curruum falcatorum, nec multô pauciores fuiſſe* Bactrianorum *copias ex eô probabile redditur, quòd ancipiti marte aliquandiu pugnatum ſit. Jeroboam* Rex *Iſrael* in *Abiam* Regem *Judæ* duxit exercitum octingentorum millium bellatorum. *Zara* vero Rex *Æthiopum* duxit in *Aſam* Regem decies centena millia militum, præter falcatos currus. Habuit autem in exercitu *Joſaphat*, in unâ ſolâ *Jeroſolymitanâ* urbe, undecies centena millia cum ſexaginta millibus. Ut maximum omnium qui fuerunt unquam, *Xerxis* videlicet, ex quinque millionibus & pluribus, hoc eſt ex quinquagies centenis millibus pluribuſquè conflatum exercitum prætermittam, in iſtis inquam omnibus *FORTITUDINIS* nihil ineſſe videtur, cùm circa terribilia, quemadmodum ſuprà vidimus, *FORTITUDO* reperiatur.

Salian. anno mundi, 2044.

2 Paralip. 13.

Ibid. c. 14.

Polymn. Herod.

Sequentes

Sequentes igitur tùm *Imperatores* tùm exercitus *FORTES* dici poſſunt.

Alexander, qui triginta peditum veteranorum millibus, equitumquè ſelectorum tribus millibus totum ſubegit orbem. Atque cùm eſſet ſigna collaturus cum peditum octingentis millibus, equitum verò ducentis millibus, ille parvis inſtructus copiis, ſic ſomno ſe dedit, ut ad pugnæ tempus vix potuerit excitari. Cumquè tanti ſomni rationem peterent illius amici, reſpondit *Alexander*, omni ſe metu ſollicitudinequè exoneratum à *Dario*, qui copias unum in locum congregaſſet, unius enim diei de ſummâ rerum diſceptatione à cunctis laboribus & diuturnis periculis ſe quietem habiturum. Diod. l. 17. Part. 1. Q. Curt. de rebus geſt. Alex.

FORTES fuêre vix decem *Athenienſium* millia, qui *Perſarum* pluſquàm trecenta millia, in *Marathonis* campis ductore *Miltiade* ſemel occiderunt. Juſtin. l. 2. Oros l. 2. c. 8. Pauſan. l. 4.

FORTIS ſine dubiô Rex *Epyrotarum Scanderbeg*, qui vix novem millibus armatorum, ſæpiùs in ducenta trecentaquè *Turcarum* millia pugnans ſemper victor evaſit, Dicere verò ſolebat *FORTISSIMUS Imperator, eum qui cum decem millibus vincere neſciret, neque cum longè pluribus ad vincendum idoneum unquam fore.* Hiſtor. vitæ Scanderb.

FORTIS Martellô duce, neque tamen numeroſa *Franciæ Nobilitas*, quæ ad annum *Chriſti* ſeptingenteſimum trigeſimum ſextum trecenta & octuaginta quinque *Saracenorum* millia ad *Europas* cæſa numeravit. Wasbourg. l. 2. antiq. Galliæ belgic.

FORTES ductore Dominô de *Couci Gallorum* quingenti Lancearii, qui *Turcarum* viginti millia fregerint, multis illorum cæſis millibus, reliquis turpi fugâ ſaluti conſulentibus. Lib. 2. Hiſtor. Turc. Baud.

FORTES Nobiliſſimi potentiſſimiquè *trecenti FABII*, qui poſt multas reportatas victorias, tandem omnes ad unum *FORTITER* dimicantes cecidêre: Unde Poëta de *Fabiô Maximô*, qui *Romanorum* Imperatorum temeritate labantem, cunctatione ſuâ *Dictator* firmavit *Rempublicam*, ait. Livius l. 2.

Qui, naſci ut poſſes, quamvis cecidêre trecenti,
Non omnes Fabios *abſtulit una dies.* Ovid. l. 1. de Ponto eleg. 2.

FORTES Ductore *Scipione* trecenti *Romani*, quorum tùm *FORTITUDINE* tùm *OBEDIENTIA* fretus, ille ſe totam *Africam* debellaturum confidebat. Eutrop. l. 1. Apophtheg. Plutarch.

FORTISSIMI Leonidâ Rege trecenti *Lacones*, qui per *FORTITUDINEM* ante omnia ſecula inauditam, non tantùm ad *Thermopylas* omnium numeroſiſſimô qui poſt hominum memoriam unquam extiterint, exercitui reſtitêre: Sed & *Xerxem* ipſum de victoriâ dubitantem, ex ſuô ſoliô, in quô ſpectandi gratiâ ſederat, ter exilere coegerint, λέγεται βασιλῆα καθήμενον τρὶς ἀναθορεῖν ἐκ τοῦ θρόνου δείσαντα. Et niſi proditione per aliam viam *Perſis* monſtratus fuiſſet in *Græciam* aditus, quô factum eſt, ut non à fronte ſolùm, ſed à tergô quoque *Lacones* adorti ſint, atque ita propter multitudinem obruti, forſan ad fugam *Xerxem* ipſum adegiſſent. Diodor. l. 11. Herodot. l. 7.

FORTISSIMUS OLIVARIUS denique, qui cum exercitu modicô, non cum mollibus, effœminatis, eviratiſquè ſuperiorum ad inſtar, ſed cum viris totius orbis terrarum habitis bellicoſiſſimis, robuſtiſſimis, *FORTISSIMISQUE*, quemadmodum quotquot de illis extant, produnt hiſtoriæ, nec non eorumdem egregia teſtantur ubique facinora, cum viris inquam ejuſmodi tùm in *Angliâ*, tùm in *Cambriâ*, tum in *Scotiâ*, tum in *Hybernià*, non ſemel atque iterum, cum numeroſiſſimis inquam, arte bellicâ præſtantiſſimis, *FORTITUDINEQUE* laudatiſſimis exercitibus, non duo de quadragies ut *Marcellus* cum hoſte ſigna contulit, non *quinquagies* veluti Cæſar, ſed tot ferè vicibus, quot in dictis quatuor diverſis nationibus exiſtunt diverſæ provinciæ, urbes, caſtella, Annales Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ, Cambriæ,

caſtella, bellicæ munitiones, quod in conſpectu ſolis iſtius, atque in facie totius terrarum univerſitatis prædicare non erubeſco, quippe licere mihi ſat ſciam, veritatem hanc æquè nudam atque cæteris, quorum oculis jam ſatis ubique ferè Gentium per totum terrarum orbem denudata ſit, intueri, admirari, venerari.

Athen. Dipnoſ. l. 6. c. 13. Nicol. Damaſc. l. 116 Diodor. Sicul. l. 11. 14, 16, 18, 19. 20. Dionyſ. Halic. orig. Rom. l. 1. Plut. Apophth.

Quid aliud autem per Deum immortalem ab Imperatore *FORTISSIMO* potuerit expectari, cujus ſint *MILITES* longè præſtantiores, quàm fuerint unquam *Gallorum SILODUNI*, *SCIRITÆ Lacedæmoniorum*, *SACRA Thebanorum LEGIO*, *Seſooſis* ΑΥΤΗΜΕΡΟΓΕΝΕΙΣ, *BELLATORES Egyptiorum*, *Perſarum IMMORTALES*, *ARGYRASPIDES Macedonum*, *Carthaginenſium SACRA COHORS*, *Romuli CELERES*, *Romanorum TRIARII*, *Scipionis ELECTI*, *Cæſaris LEGIO DECIMA*, *FULMINATRIX Aurelii*. Quid eſt inquam, quod tàm *FORTIS IMPERATOR*, *EXERCITU* tàm *FORTI* non potuerit?

Quamvis autem Fortissimi ſint Olivarii Milites, ad illum tamen bellica facinora ſuprà memorata pertinent omnia, licet enim bellicoſiſſimi, præſtantiſſimi, *Leonumquè* inſtar fuiſſent Olivarii Milites, tale nihil unquam tamen effeciſſent, Olivario Duce Cervo, nec quidquam unquam ſic memoriâ dignum gerere potuiſſent: At ſi fuiſſent Olivarii Milites imbelles Cervorvm inſtar, Olivario Leone Duce, maxima tamen præſtitiſſent: Non enim in Fortitudine ſolâ Militum conſiſtunt victoriæ, ſed in Ducum Prudentiâ, quæ pars eſt, ut ſuprà demonſtravi, præcipua Fortitudinis, quæ pro multis armatorum millibus in Ducibus eſſe vulgò ſolet. Notum eſt lippis atque adeò tonſoribus iſtud *Apophthegma*. Quod longè formidabilior ſit *Cervorum exercitus Duce Leone*, quàm *Leonum*, *Duce Cervô*. Φοβερώτερόν ἐςι στρατόπεδον ἐλάφων ἡγεμόνος λεόντος, ἢ λεόντων ἐλάφου.

Apophth. Plut.

Quòd ſi verò ductor eſt *Leo*, *Militeſquè Leones*, quid niſi ſuperioribus ſimilia prodigia ſint expectanda? quanquam à Duce *Leone*, ſæpiùs habeant quòd ſint *Leones* Milites, vel ſaltem *Leonum* ad inſtar pugnare poſſint.

Hiſtor. Turcar. l. 1. Baud.

Deplorandum eſt *Croiam Epyri* metropolim Imperante *Scanderbeg* à trecentis Turcarum millibus obſeſſam, illorum irritô conatu fuiſſe, poſt mortem autem *Scanderbeg* illos eoſdem ſuperſtites, qui eôdem vivente quadringentorum millium armatorum exercitus nihili facerent, deriderent, vincere ſolerent, eâdem in *Croiâ* tùm obſeſſos à decem *Turcarum* millibus, tùm captos eſſe. Vides quantum Militum debeat hinc retundi ſuperbia, qui cùm debitam ſuis ducibus gloriam, ſine quibus in cineres jampridem redacti fuiſſent, dividere, ſibiquè tribuere præſumant.

Antequam huic de Fortitudine tuâ ſermoni finem imponam Olivari, quòd à quôdam ex *Cataphractis* equitibus tuis accepi, referre placet, apud quem cùm expiſcari vellem aliquot tuæ Fortitudinis actus, hoc ſolum edixit, te in equô Diabolum: Quod ut verum fatear mihi plurimùm arriſit Olivari. Cùm ex meâ proſapiâ, quam cum ſupremis *Europæ* Principibus ferè omnibus affinitatem habere multi produnt hiſtorici, unus hoc nomine delectatus fuerit, referunt igitur mei generis Annales, Gerardum De Gand *Gandavi Dynaſtam*, ob bellicam Fortitudinem vulgô Diabolum appellatum fuiſſe, quòd ſic illi placuit, ut ſuis in publicis, authenticiſquè ſcriptis titulum hunc ſic honoris ergo præpoſuerit. Universis Præsentes Literas Inspecturis, Gerardus De Gand Dictus Diabolus In Domino Salutem, *&c.* Atque etiamnum hodiernâ die conſtat *Gandavi* quadratam ad collegium ſancti *Hieronomi* adhuc extare turrim, quam à Di-

Andoctis du Cheſne hiſtor. illuſt. familiæ de Gand. l. 8.

abolo

ABOLO vulgus extructam fabuloſè credat, quòd nimirum ob hôc GERARDO DE GAND fuerit olim ædificata. Præterea ut ad titulum DIABOLI redeam, cùm magnanimum aliquem, clarum in re bellicâ, longequè FORTIOREM aliis noſtrates indicare volunt, hunc *DIABOLUM* in armis appellare vulgò ſolent. Quod tamen nunquam fit anteà, quàm ſuprà *FORTITUDINEM* virorum ordinariam plurima ſæpiùs in illis extraordinariæ magnitudinis animi ſigna bellica patuerint.

Quod ampliùs de *FORTITUDINE* tuâ dicam, nil mihi ſuppetit OLIVARI, nam pugnas tuas, in quibus elucet maximè *FORTITUDO* tua, ſic omnes cum ſuis circunſtantiis omnibus deſcribere, non *Oratoris* at eſt *Hiſtorici*. Cùm præterea ſatis jam ſint omnibus conſpicuæ, per varios duntaxat gentium omnium *Mercurios*, qui dudum per totum terrarum orbem illas famâ celeberrimâ detulêre. Superioribus itaque conſideratis, cum principe philoſophorum hoc addam, quòd tua *FOTITUDO*, *Magnanimitaſquè* μεγαλοψυχία, ſummam habet animæ profunditatem, atque magnitudinem, ἔχει βαθὸς τῆς ψυχῆς καὶ μέγεθος, quippequi per eandem hæc effeceris, quæ totum terrarum orbem in omnes annos conſequentes maximam rapiet in admirationem. Ariſtot. de virtut. & vitiis libro.

Quemadmodum autem *Euribiadi* virorum, Imperatorumquè omnium *FORTSSIMO*, quos unquam habuerint *Græcorum* generoſiſſimi *Lacones*, præmium *FORTITUDINIS* ferè Divinæ, tot *Perſarum* millionibus per eum debellatis, dignius aliud nec dare, nec habere potuerunt in tota *Græciâ*, quàm OLIVÆ CORONAM ἐλαίης στέφανον: Sic *Heroicæ FORTITUDINIS* nullum in *Angliâ* totâ præmium OLIVARIO par reperiri poteſt præterquâm *OLIVARII CORONA*. Urania Herod.

FOrtitudinem plerumque ſequitur *VICTORIA*, *VICTORIAM TROPHÆUM*, hocquè *TRIUMPHUS*, OLIVÆ Fortitudinem ramus prior exhibuit, tria reliqua *VICTOR* iſte demonſtrat.

Ac primùm *Oleam VICTORIÆ* ſignum, indicium, notam, ſymbolum, inſigne, Hieroglyphicum vel apud agreſtes gentes, linguâ, natione, naturâ, moribus immanitatequè *Barbaras* ſemper extitiſſe, nihil dubitationis habere poteſt. Et quamvis *Perſarum* Rex ille potentiſſimus *Xerxes* ſibi viſus eſſet in ſomniis *o-*

Valer. Hierogl. l. 53. *leagineam* geſtare coronam, decerptam ex OLIVA, cujus ramis terra tota tegeretur, unde ſibi certam ex ſomniô promitteret *VICTORIAM*, plurimos tamen hominum milliones cæſos reliquit in *Græciâ*, ægrequè admodum ipſemet ſalvus & incolumis evadere potuit. Hoc nihilominus obſtare nullô modô poteſt, quin poſitio mea veriſſima, certiſſima, clariſſimaquè ſit. Atque ut Regis ſomnium interpretemur, hallucinatus eſt in eô maximè, deliravit plurimùm, totôquè ut aiunt cœlô prorſùs aberravit. Quemadmodum enim non eſt ante *VICTORIAM* triumphus, ſic nuſquam eſt niſi poſt pugnam *VICTORIÆ* ſignum *Oleæ*. Sic igitur *Xerxis* viſum, ut ipſius me fidum conjectorem profitear, exponi debuit. OLIVA, quæ ramis totum tegebat orbem, pacem indicabat, quâ tùm gaudebat orbis univerſus, corona, quâ cinctum erat caput ipſius, ab eâdem arbore decerpta, ſignum erat, hunc & eâdem frui Pace, atque adeò Monarcham eſſe Pacificum, propterea longè ſatiùs ipſi fore cingere continuò caput *Oleæ* coronâ, quàm illud novis turbare *VICTORIIS*, ſe, ſuos, orbemquè totum, qui tunc pacificè degeret, implicare bello, cujus eventus non modò dubius eſſet, ſed certam ipſi portenderet perniciem, ſi pacem colere, quam per viſum Deus eidem proponebat, recuſaſſet. Quòd autem hæc vera germanaquè ſomnii *Xerxis*, meditantis *Græciam*, ſit explicatio, vel hinc patet, quòd apud Nationes omnes ante pugnam vel bellum ſuſceptum *Oleæ* nunquam niſi pro Pace, primariò videlicet, ſumpta fuerit: Omnes enim quæ tribuuntur *Oleæ* proprietates, ad pacem, miſericordiam, clementiam, benignitatem, manſuetudinem referri certum eſt, eôquè ſolô nomine *VICTORIAM* ab *Neptunô Pallas* obtinuit, quòd pax bellô, cujus ſymbolum produxiſſet Equum *Neptunus*, ab omnibus longè potior haberetur. Unde *Pallas* ipſa repertrix *Oleæ*, non eâ coronata fuit, niſi poſt reportatam ab eôdē *Neptunô VICTORIAM*, quæ pacis initium fuit, unde & primus *Chriſtianorum* omnium, qui Latinè

Tertul. in lib. militis c. 12. ſcripſerit, non minùs doctè quàm ſapienter annotavit, *Minervam pacem cum Neptunô iniiſſe, ex hâc arbore coronatam.* Deinde quòd genuina ſit eadem ſomnii *Xerxis* interpretatio, vel ex hôc manifeſtè apparet, quòd illi per ingens miraculum non dormienti, ſed in conſpectu totius exercitus, quem ex editô locô tàm numeroſum, atque ex tàm multis hominum millionibus conſtantem, cùm eſſet intuitus, conſideranſquè quàm brevis eſſet hominum vita, lachrymas cohibere non potuit, quòd ad centeſimum ab illô momentô temporis annum, ex tàm innumerâ multitudine, foret nemo ſuperſtes,

Herodot. l. 7. ἐδάκρυσε ὡς ἔφα-χὺς εἴη ὁ πᾶς ἀνθρώπιν@ βίος, εἰ τουτέων γὲ ἐόντων τοσούτων ὀυδεὶς ἐς ἐπᾶσὸν ἔτ@ πρεί-ἔσαι. Huic inquam, in totius exercitus conſpectu, plenô die, per miraculum, illudquè ſummum Deus oſtendit, longè ambitione ſuperbiâquè ſuâ per *Platanum*

Ariſtand de Portentis. expreſſâ, potiorem eſſe pacem, nam in itinere ſuô *Laodiceæ* apud *Medos*, *Xerxis* adventu *PLATANUM* in OLIVAM mutatam refert tùm fide digniſſimus, tùm antiquiſſimus author. Atque ut dictum miraculum longè

Strabo l. 1. majus appareat, annotatum eſt à *Geographis*, quòd *Media* rerum omnium neceſſariarum præterquàm *Oleæ* feraciſſima ſit. Poſtremò quôd *Oleæ* ſomnium non portenderet *Xerxi VICTORIAM*, & ex hôc portentô manifeſtiſſimum eſt, nam cùm ille ſuas copias in *Græciam* promoveret, *Græciæquè* limites jam attigiſſet, ingens huic prodigium oblatum eſt, τέρασφι ἐφάνη μέγα. Nam

Herodot. l. 7. *Equa Leporem* enixa eſt, ἵππ@ γὰρ ἔτεκε λαγών, Quod prodigium nihilô plus cæteris feciſſe legitur *Xerxes*, cùm tàmen inde facile divinandum eſſet, fore ut *Xerxes* adverſus *Græciam* maximâ cum pompâ, ambitione, ſuperbiâ, ſtrepitu duceret exercitum rurſuſquè locum ad eundem ſibi fugâ conſulens *LEPORE* timidior recurrere, quod & accidit, cogeretur.

Sic igitur explicatô *Xerxis* ſomniô, quòd *Olea VICTORIÆ* monumentum fuerit, aperiamus.

Atque

Atque ut minimè perturbatô theſim hanc meam diſponam ordine, dicam tùm in *Ludorum* certaminibus, qui belli præludia ſeu meditationes erant; Tùm in pugnis exercituum, *VICTORES Oleâ* coronari ſolitos.

Primùm igitur quòd in *Ludorum* certaminibus donarentur *Oleâ VICTORES*, in veteribus hiſtoriarum monumentis frequentius eſſe nihil antiquitatis ſtudioſi comperient. Nam legent in honorem parentis *HEROIS ANCHISÆ*, funebres ab *Æneâ Ludos* inſtitutos eſſe, in quibus pollicetur quod *VICTORES*

--Tres præmia primi
Accipient, flavâque caput nectentur OLIVA. Maro Æneid. 5.

Quod & publicis in *ludis* qui tempore ſtatutô recurrerent factitatum eſſe conſtat.

Atque ut à mulieribus ducamus initium. *Animadvertendum eſt* Olympicum *ſtadium in* Hæreis ludis, *ſextâ parte demptâ, mulieribus patere, ubi currebant mulieres collectâ tunicâ, ſolutis comis, dextrô exertô humerô, in quibus VICTRICI* Olea *corona erat præmium.* Porrò *ludi Hærei* ſic dicti ab Ἥρα *Juno*, cujus templum *Hæreum* ad *Peloponeſum* ſitum eſſet, à mulieribus in *Junonis* honorem publicè, magnô *Græciæ* totius conventu, celebrari ſolebat. Alex. ab Alex. l. 5. c. 8.

In *Panathenæis* autem, *Quinquatria* dixêre *Latini*, *Minervæ ludis Athenis* inſtitutis à *Theſeô*, à quibus mulieres arcerentur, non verò puellæ nec grandiores virgines, quibus adeſſe certarequè cum adoleſcentibus fas erat, Gymnici præmium certaminis *Oleum* erat, & *Olea* Palladis arbor duntaxat, nec enim decuiſſet in *Ludis Minervæ VICTORES* arboris alienæ coronâ decorari. Varro l. 5. de ling. Latin. Plin. l. 15. c. 4. Pier. l. 53. c. 12.

Præterea *Ludos* in *Atticâ*, *Minervæ* pluſquàm ducentis ante *Theſeum* annis *ERICHTHONIUS* Rex inſtituerat, ubi *VICTORES* OLIVARUM OLEO donarentur. Auguſt. de civ. Dei l. 12.

Sed ut ad omnium longè celeberrimos *Græciæ Ludos* accedamus, *Olympicos* nimirum, de quibus jam multa *religionis* in ramô, certum eſt *VICTORIBUS* coronam ex *oleâ* fuiſſe, quidquid viri multùm alioquin eruditi ſentiant coronatos illic *VICTORES* ex *Oleaſtrô*. Igitur in *Olympicis*, *Oleâ* coronatos *VICTORES* habemus, ut cùm *Suidâ* ſcripſit *Ariſtophanis* interpres, cui adſtipulantur interpretes *Theocriti*, nec non explanatores *Olympiorum Pindari*, multiquè alii Poëtæ, quos *Oleæ* vel OLIVÆ non *Oleaſtri* nominibus uſos fatentur, quod negare non poſſunt adverſarii, ſed id à Poëtis factum aſſerunt ad faciliorem verſuum ſuorum compoſitionem. Sciunt enim quòd *Pindarus* ex profeſſô ſcribens de *Olympicis* hoc habeat. Ἐλάιᾳ στεφανωθεὶς, Coronatus *Oleâ*, atque item vocet ibidem κόσμον στεφάνου χρυσέας ἐλάιας, ornamentum coronæ aureæ OLIVÆ. Ariſtoph. Theocrit. Pindar. interpret. Pindar. od. 4. Olymp.

--Quid enim velocis gloria plantæ
Præſtat, & eſuriens piſcæ ramus OLIVÆ Juven. Satyr. l. 5 Satyr. 13.

Inquit, Satyriſta in *Olympicorum*, *VICTOREM*, *Oleâque*, coronatum pauperem. Sed abeat, remittamus illis Poëtarum omnium, multorumquè doctorum authoritatem. At certè, *Naturæ Geniô*, *Philoſophorumque principi*, fidem ut opinor, rationabiliter detrahere non poſſunt. Aſſerit igitur *Ariſtoteles* quòd in *Panatheô* ſit *Olea*, quæ dicatur *Calliſtephanos*, ἐλάια καλλιστέφανος, ex quâ ſumptâ plantulâ *Hercules* in *Olympiis* plantarit *Oleam*, à quâ donarentur *Athletis* coronæ, ἀφ' ἧς οἱ στέφανοι τοῖς ἀθλητᾶις δίδονται. Eſtquè murô circumjectô munita, at ne quis eam tangat grandi pœnâ cautum eſt, καὶ ζημία μεγάλη τῷ θιγόντι αὐτῆς ἐστιν. Hinc & *Elei* decerptum ſurculum in *Olympiô* campô plantarunt, ex eâ *VICTORIBUS* coronas effecturi, τοὺς στεφάνους Ariſtot. lib. Περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων.

Gregor. Nazianzen. Orat. 18 sub finem. στεφάνους ἀπ' αὐτῆς ἔδοκεν. Ad hujus authoritatem nihil est quod opponant fautores *Oleastri* posteriores *Aristotele*, eruditissimus alioqui Doctor epistomium illis injiceret.

Hìc antequam progrediar ulteriùs non abs re fore abitror ponere tibi ob oculos miserandum in *Olympicis*, parentis alioquin, ut istis temporibus, fœliciſſimi

Gel. l. 3. c. 15. spectaculum. Non ἄθεος *Athenienſis* ille, sed *Rhodius Olympionices Athletaquè* nobilis *Diagoras*, tres filios adolescentes habuit, *Pugilem* unum, *Pancratiastem* alterum, tertium *luctatorem*, eosquè omnes vincere coronariquè vidit eôdem

Cicer. Tuscul. Quæst. l. 1. *Olympiæ* die. Sed proh dolor! Dum ruunt in patris oscula læti juvenes, ejusquè caput *Oleæ* triplici Coronâ decorant, dum *Græcia* tota illic collecta, flores in eum undiquè gratulabunda jacit, beatissimum prædicans, ibi in stadiô, inspectante populô, in oculis atque in manibus filiorum animam efflavit præ gaudiô.

A *ludorum* certaminibus, quæ sunt veluti belli præludia, Bellica certamina in quibus coronatos *Oleâ* VICTORES longè verisimum est, tentare nos convenit.

Dionysius in artibus, Atque à *Minervâ* ducere principium, quæ superatô *Neptunô* in VICTORIÆ symbolum omnium prima coronata est *Oleâ*. Et quandoquidem ipsamet *Pallas* sive *Minerva* dea bellorum pariter est, inde factum ut bellatores bellorum Deæ præsidis imitatione VICTORES etiam *Oleâ* coronarentur, primiquè *Athenienſes Minervæ* populi, VICTORES suos Deæ suæ *Palladis*

Tertul. in lib. militis c. 12. Plin. l. 15. c. 4. exemplô coronarint *Oleâ*. Quin & *Athenienſium* Duces ad bellum profecturos, fronde ex *Oleâ* sacrâ sumptâ redimiri solitos scribit maximus antiquitatis indagator *Alexander*, non eâ ratione duntaxat, ut ante VICTORIAM triumphum canerent, vel tanquam essent de VICTORIA certi, sed ut VICTRICIS

Alex. ab Alex. l. 3. c. 3. arboris frondibus ad vim bellicam, fortitudinem, animiquè magnitudinem, tùm recordatione *Palladis* animosiùs acuerentur, tùm ut iisdem veluti stimulis, calcaribusquè ad virtutem, adquè VICTORIAM pleni roboris accenderentur, quô sensu dixit *Ovidius*,

Adjuvat in bellô pacatæ ramus OLIVÆ.

Ovid. l. 1. de ponto Eleg. 1. Nisi fortè velis etiam prodesse mediis in exercitibus *Oleam*, ad inducias, pacem, misericordiam, deditionemquè significandam.

Verùm omissis istis, similibusquè plurimis, quòd non *Græci* modò, sed &

Festus Gellius l. 5. c. 6. *Romani VICTORES* suos insigniverint *Oleâ*, paucis aperio. Et quamvis primâ fronte se mihi videatur opponere *Gellius*, dum ait eos, qui triumphum procurarent, licet in præliô non fuissent, *Oleagineis* nihilominus usos coronis, eô solô nomine, quòd belli *Minerva* Dea putaretur, coronarumquè postremam

Justus Lipsius de Milit. Romana l. 5. Dialog 17. *Oleagineam* esse, non tamen erit ille mihi remora, sed huic *Achillis* ad instar *Lipsium* opponam. *Etsi* Gellius, inquit, *scripserit postremam coronam* Oleagineam *esse, quâ uti solent qui in præliô non fuerunt, sed triumphum procurant, etsi inquam ille, quos authores, aut quod ævum aspiciens nescio, tamen contrà, virtutis causâ invenio militibus donatam.* Diocassius *enim tradit quòd victô in* Siciliâ sextô Pompeiô, *militibus qui navali pugnâ vicissent*, Augustus Cæsar,

Diocassius c. 49. Oleæ *coronas* VICTORIÆ *præmium distribuerit*, στέφανους ἐλαίας ἔδοκεν. *Atque ab ipsô Senatu id ante factum bellô &* VICTORIA Mutinensi *probat historicus idem, qui Senatus cùm nollet* Octaviani *milites, ne superbiâ duntaxat efferrentur, præmiis omnes afficere nonnullos in fortitudinis bellicæ præmium coronâ donavit* Oleæ στέφανον ἐλαίας. *Alios quorum bellica facinora licet eximia, superiorum res gestas non æquabant, laudavit, prætermisit alios; Atque hæc non iisdem verbis licet, peritus* Romanæ *militiæ scriptor* Justus Lipsius *ex* Diocassiô, *atque ex eôdem egomet historia* Romanæ *fidô scriptore, contra* Gellium.

Ut

Ut autem haberetur idem honos OLIVÆ, majoriquè præmiô donaretur *VICTOR* eximius, nonnunquam in OLEÆ ſimilitudinem aurea dabatur eidem corona, teſte Martiali,

O cui virgineô flaveſcere contigit aurô,
Dic ubi Palladium *ſit tibi chare decus.*

Martial. l. 9. Epigram. 18. ad Char.

Sentio me diviſionis ſeu diſtributionis meæ partem primam, quæ de *VICTORIA* fuit, abſolviſſe. Quamobrem ſecundam, quæ de *TROPHÆIS* eſt, duobus verbis expedio, ut ad *TRIUMPHOS*, in quibus præcipua pars rami *VICTORIS* ſtatuitur, citiùs accedam.

TROPHÆA igitur, quæ nihil ſunt aliud, quàm clara bellicæ laudis VICTORIÆQUE inſignia, poſitaquè VICTORI vel à VICTORE de hoſte debellatô, hoſtis exuviis ornata monimenta, ab antiquis ex *Oleagineâ* materiâ conſtitui ſolita confirmabo. Quâ in ſtabiliendâ ſententiâ, validioribus uti non poſſumus argumentis, quàm eorum qui res antiquorum geſtas memoriæ, poſteritatiquè ſuis in ſcriptis prodidêre. Cùm autem ex profeſſô ſibi munus hoc *Pierius* elegerit, atque ex vetuſtis antiquitatis monumentis *Hieroglyphicorum* ſuorum volumina compoſuerit, huic fine dubiô fidem habere debemus cùm ait, *Ex* Oleâ *veteres TROPHÆA conſtituere ſolitos*. Nec eſt, amice lector, quòd hôc unô teſtimoniô fretus, rem tanti momenti velle me roborare judices, poſſum & alios in ejuſdem opinionis aſſertionem producere teſtes. Scribit enim *Dionyſius* inter *Olea* commendationes, illud meritò recenſeri, non modò quòd ſit *Palladi* ſacra, ſed quòd ex eâ *TROPHÆA* veteribus ſtatui conſueſcerent. Quòd ſi teſtes eâ de re plures deſideres, evolve rerum antiquitatis memorabilium fidelem ſcriptorem *Cœlium*. Apud hunc enim idem ſine ullô vel minimô quidem dubitationis ſcrupulô, confirmatum reperies.

Pier. Hieroglyph. l. 53.

Dionyſius in artibus.

Cœl. Lect. Ant. l. 12. c. 19.

Quibus ita confirmatis, ad tertiam orationis hujus de *TRIUMPHIS* partem quantocyùs accelero. Siquidem autem duo ſunt *TRIUMPHORUM* genera, minor unus, qui dicitur *OVATIO*, major alter nempe *TRIUMPHUS*, hunc eam ob rem utrumque, modò ſpectator eſſe velis amice lector, tibi ponam ob oculos.

Ut autem ab *OVATIONE* ſive *TRIUMPHO minori* ducamus initium, audi quid in honorem *Oleæ* qui ſcriptores univerſos tùm copiâ, tùm varietate ſuperavit, *OVATIONIS minoriſquè TRIUMPHI* publicus buccinator perſonet *Plinius*. Oleæ *honorem* Romana Majeſtas *magnum præbuit*, *turmas* Equitum Idibus Juliis *ex eâ coronando*, *item minoribus TRIUMPHIS OVANTES*. Ubi notandum, quòd *Quintus Fabius Rutilianus Romanos Equites* equis inſidentes, & *Oleâ* coronatos *Idibus Quintilibus* ab æde *Honoris* in *Capitolium* tranſire, & tranſvehi ſtatuit, ordinis ejus recognoſcendi, & probandi gratiâ. Animadverte igitur hâc in *Pompâ*, ſpectaculô, apparatuquè ſolenni cum oſtentatione, & gloriæ magnificentiâ, qualis publicis in ſupplicationibus, *TRIUMPHIS QUE* fieri ſoleat, nobiliſſimos *Equites Romanos* inſignitos omnes *Olea* corollis, per urbem, caput, delicias, orbiſquè metropolim, innumerâ Nationum omnium ubiq; *Roma* ſpectante catervâ, cum ampliſſimâ dignitate Majeſtatequè ſummâ vehi. Illos inquam intuêre in *OVATIONE* geſtantes Olearum coronas στεφάνους ἐλαίων, quòd ſi præ multitudine turbæ *Pompam* hanc ſpectare nequeas, audi præconem OVATIONIS elatâ voce prædicantem, *In* OVATIONE Equites Romani *coronabantur* Oleâ. Quæſo ſpectator benevole, ut proximam ad OVATIONEM accipiendam oculis, locum tibi ſeligas idoneum. En adeſt OVANS exercitus, buccinas audio. Papæ Imperatorem video! Sine ullâ dubitatione *Tyberius Cæſar* eſt, hunc agnoſco ex iis quæ tribuit eidem *Suetonius*. Tyberius OVANS *& curru urbem ingreſſus eſt primus*,

Plin. l. 15. c. 4.

Artemidor. l. 4. c. 36.

Alex. ab Alex. l. 5. c. 14.

mus, ut quidam putant, TRIUMPHALIBUS ornamentis honoratus, novô nec antè cuiquam tributô genere honoris. OVANTEM igitur, & quaſi TRIUMPHANTEM *Romæ* cum *Equitibus* mirare *Tyberium*, at conſidera quòd ſint omnes *Oleâ* coronati. *Cùm* Tyberius Cæſar OVANS Romam *ingrederetur, turmæ* Equitum Oleâ *coronatæ erant.*

Alex. genial. dier. l. 6. c. 17.

Paulò majora canamus. Quid ſibi vult iſte currus? Quid vincti ante currum duces? Quid oppidorum ſimulachra? Quid argentum? Quid aurum? Quid *Legati* in equis & *Tribuni*? Quid clamor militum? Quid *Sacerdotes*? Quid *Deorum* imagines? Quid Oratores? Quid *Senatores* albâ veſte nitidi? Quid tota illa *Pompa*? Propoſitus nobis *TRIUMPHUS* eſt, jam enim *TRIUMPHALIS* patet porta, quâ *TRIUMPHANS* cum exercitu victor *ROMAM* ingreditur vectus ad *Capitolium TRIUMPHALI* curru, in *Jovis Capitolini* gremium coronam depoſiturus, quòd immortalis Dei beneficiô de hoſtibus *TRIUMPHARE* contigiſſet, hâc autem in *Pompâ* ſpectator adverte, *Imperatori* TRIUMPHANTI Oleagineis *ſertis ornatos, aureas coronas præferre miniſtros.*

Id. Ibid. l. 6. c. 6.

Verùm quoniam alia *TRIUMPHANDI* ratio fuit apud Imperatores *Orientis*, de hâc & duo verba ſubjiciamus, ait enim *Græcus Eccleſiaſtes*, quòd moris eſt, cùm quis Imperator profligatis hoſtibus & in fugam verſis à bellô redierit, ut ſuorum quiſque ramos ferens OLIVARUM in occurſum *VICTORI* progrediatur, κλάδους ἐλαίων ϕερόντων.

S. Doroth. περὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων.

Atque ut hoc prolatum unô roborem exemplô, Cùm *Heraclius* Imperator profligatô *Coſrhoe Perſarum* Rege qui priùs nonaginta *Chriſtianorum* millia tyrannicè miſerandum in modum trucidaſſet, cùm inquam ex eôdem *Victor* & *TRIUMPHANS* rediret *Conſtantinopolim Heraclius, Populus civitatis intolerabili deſideriô, obviam illi egreſſi ſunt, portantes ramos* OLIVARUM, ad ornandum ſcilicet *VICTORIS TRIUMPHUM*, atque in tantæ *VICTORIÆ* ſignum, ſymbolum, perpetuumquè poſteris ob rem adeò bene geſtam monumentum.

Agath. l. 4.

Baron. annal. Eccleſ. ad an. Chriſti, 627. Heraclii 18.

Ex quibus omnibus luce meridianâ clariùs videre potes amice lector, quàm verè poſitum ſit à nobis initiò, *OLEÆ* ramum *VICTORIÆ Hieroglyphicum* ab antiquis habitum eſſe.

Per

PEr mihi mirum ſæpè viſum eſt, amice lector, quì fieri potuerit, ut poſt tàm multas, tàm extraordinarias, tàm immenſas, tàm ſtupendas, tàm prodigioſas, tàm miraculoſas VICTORIAS, quas ab *Iſraelitarum* exercitibus reportatas *Hebræorum* ſacri codices aperiunt, nunquam tamen ob debellatos extraneos hoſtes vel domeſticos, ullum Deo gratiarum actionis feſtum ab illis inſtitutum eſſe diem, codicibus in iiſdem reperiamus. Atque ut de extraneis primùm dicam aliquid.

Poſteaquàm *Iſraelitarum* duodecim millia, *Madionitas* debellaſſent, occiſis eorum quinque Regibus, habitatoribuſquè univerſis, totamquè ipſorum generis omnis ſubſtantiam eſſent deprædati, neque defuiſſet unus ex *Iſraelitis*; Deo ſine dubiô maximam agendarum gratiarum occaſionem, ſi quiquam unquam, habuerunt, & tamen ne gratiarum actionis mentio quidem fit ab illis; Nam *cùm acceßiſſent* Principes *exercitus ad* Moyſen, *&* Tribuni, Centurione ſq;, *Dixerunt, Nos ſervitui recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtrâ, & nec unus quidem defuit, ob hanc cauſam offerimus in donariis Domini ſinguli quod in prædâ auri potuimus invenire, ut depreceris pro nobis Dominum.* Cur non, ut gratias agas Deo pro tantâ reportatâ VICTORIA, nobis incruentâ? Cur non, ut jubeas totum *Iſraelem* ob tàm inauditam VICTORIAM, feſtivum agere diem, melioremquè partem ipſius in agendis Deo gratiis terere? Quid autem ut deprecetur pro illis Dominum? Quaſi peccatores abominandi forent. Verum eſt quòd omnes VICTORIÆ quæ referuntur ab extraneis, ut de hâc nihil dicam, inſolentes plerumquè ſunt, crudeles, inhumanæ, ferinæ, cùm in illis, poſtquàm ardor pugnæ deferbuit, partâ jam VICTORIA plurimæ cædes admittantur, quæ tot ſint *Homicidia* digna ſuppliciô, vigeant raptus, incendia, vindicta, ſuperbia, arrogantia, captivorum veluti canum contemptus & oppreſſio. Unde qui pro VICTORIIS publicas Deo gratias agunt, caveant ne potiùs in Deum *blaſphemi* quàm grati videantur, ut de publicis ob rationem politicam mendacibus ſileam, qui cùm ſe VICTORIAM amiſiſſe certò ſciant, ob reportatam tamen VICTORIAM Deo publicas gratiarum actiones, feſtivoſquè dies populis indicere ſolent. Num. 31.

De *VICTORIIS* deinde civilibus præclarum item habemus *Iſraelitarum* exemplum, qui cùm *Benjamitas* omnes, præter trecentos, internecioni dediſſent omnes juſtiſſimè licet, ab illis tàm inſigni reportatâ *VICTORIA*, nullæ tamen dantur Deo gratiæ, ſed *filii* Iſrael *venerunt omnes ad domum Dei in* Silo, *& in conſpectu ejus ſedentes uſquè ad veſperam, levaverunt vocem, & magnô ululatu cæperunt flere. Univerſuſquè* Iſrael *valdè doluit, & egit pœnitentiam.* Vides quòd in civilibus inteſtiniſquè bellis *VICTORIAS* magis pœnitentia, humiliatioquè publica deceat, quàm feſtivus gratiarum actionis dies. Et ratio eſt, quia civilibus in bellis *VICTORIA* ſemper eſt jactura, perditio, civium diminutio; *VICTORUM* imbecillitas, unde *Tullius, VICTORIA belli civilis malorum extremum.* Propterea *Romanos* inter, bellorum civilium *VICTORI* decretum aliquando *TRIUMPHUM* eſſe nuſquam reperimus. Quòd ſi *VICTORIIS* Nobilitatus innumeris *Laconum* Rex *Ageſilaus* ille, magnus cognomentô, parvus licet corpore, maximâ ſemel ex *Perſis* obtentâ *VICTORIA*, cùm ex ſuis octo deſiderari tantùm accepiſſet, maximum ex tàm clarâ VICTORIA cepit mœrorem, identidem exclamans, Heu *Græciam*, heu *Græciam*, Φεῦ ὦ ἔλλας, Φεῦ ὦ ἔλλας. Si tantus princeps multas amiſiſſet hominum myriadas, ut in VICTORIIS civilibus evenire vulgò ſolet, quid tùm dicturus fuiſſet? Puto quòd ſeipſum mœrore confeciſſet. Narrat *Plutarchus*, quòd

Judic. c. 21. v. 2. & 15.

Tul. Epiſt. fam. l. 9. Epiſt. 10.

Xenoph. orat. de Ageſil. Reg.

quòd poſt *Julii Cæſaris* de *Pompeiô* VICTORIAM, deſiderata ſint civium
Plut. in Cæſar. *Romanorum* centum ſeptuaginta millia, quòd ſi bellum civile tantam in urbe *Româ* cladem inflixit, quantas urbes omnes *Italiæ*, *Italiam* totam, univerſum *Romanorum* Imperium cæſis ſuorũ innumeris accepiſſe calamitatis arbitraris? Vide ſimiliter quantum robur *Romana* perdiderit *Reſpublica* in VICTORIA de *Catilinâ*.
Saluſtius de conjuratione Catilinæ. *Confectô prœliô cerneres*, inquit Saluſtius, *quanta audacia, quantaquè vis animi fuiſſet in exercitu* Catilinæ, *nam ferè quem quiſque pugnando vivus locum ceperat, eum amiſſâ animâ corpore tegebat, & omnes adverſis vulneribus ceciderant. Neque exercitus* Romanus *lætitiam, aut incruentam VICTORIAM, adeptus erat, nam ſtrenuiſſimus quiſque, aut occiderat in prœliô, aut graviter vulneratus diſceſſerat, multi autem qui ex caſtris viſendi, aut ſpoliandi gratiâ proceſſerant, volventes cadavera, amicum alii, pars hoſpitem, aut cognatum reperiebant, fuêre autem qui inimicos ſuos cognoſcerent; Ita variè per omnem exercitum, lætitia, mœror, luctus, atque gaudium agitabatur.* Quodquè ſummè dolendum eſt, cùm *Romanos* inter ſævirent bella civilia, *Miles quidam dum occiſô ſpolia detra-*
D. Aug. de civ. Dei l. 2. c. 25. *heret, fratrem nudatô cadavere agnovit, ac deteſtatus bella civilia, & ſeipſum ibi perimens fraterno corpori adjunxit.* Prætermitto *Syllani temporis meſſem*, nam propter bella civilia inter *Syllam*, *Cinnam*, *Marium*, tanta per totum Imperium *Romanum*, eſt hominum ſtrages edita, ut rectè meſſem hominum *Tullius* appellarit, quemadmodum enim poſt meſſem paucæ hìc illìc ſpicæ remanent,
Parad. 6. Tul. ſic etiam hôc finitô civili bellô, non admodum frequentes viri relicti ſunt. Hæc gerunt civiles diſcordiæ, bella domeſtica, ſeditiones inteſtinæ, quarum VICTORIA perditio ſemper exiſtit.

Verùm prætermiſſis ejuſmodi VICTORIIS, tuas OLIVARI, videre tempus eſt, quæ tantum ab iſtis diſcrepant, ut commune nihil præter ſolum nomen habere videantur. Neque enim in obtinendarum earumdem ratione cum tuis comparari poſſunt OLIVARI, neque etiam in ipſarum jam partarum uſu.

Quòd ad primum attinet, omnes antiquorum, ſi cùm tuis res benè geſtæ com-
Sutton. in Cajo Cæſar. Calig. ponantur, aut nullæ, aut *Caii Cæſaris Caligulæ* TROPHÆIS, TRIUMPHISQUE videntur eſſe perſimiles. Audi *Suetonium*. *Paucos de cuſtodiâ* Germanos *trajici, occuliquè trans urbem juſſit, ac ſibi poſt prandium, quàm tumultuoſè adeſſe hoſtem nuntiari; Quô factô, proripuit ſe cum amicis, & parte* Equitum Prætorianorum *in proximam ſylvam: Truncatiſquè arboribus, & in modum* TROPHÆORUM *adornatis ad lumina reverſus, eorum quidem qui ſecuti non eſſent timiditatem, & ignaviam corripuit: Comites autem & participes* VICTORIÆ, *novô genere ac nomine coronarum donavit, quas diſtinctas* Solis *ac* Lunæ Syderumquè *ſpecie* Exploratorias *appellavit, atque inter hæc abſentem* Senatum, *populumquè* Romanum *graviſſimô objurgavit edictô, quòd* Cæſare *prœliante, & tantis criminibus objectô, intempeſtiva convivia circum & theatra, & amœnos receſſus celebrarent.* Alteram Nobiliſſimam ejuſdem VICTORIAM ex eôdem *Suetoniô*, quemadmodum & ſuperiùs ad verbum referam. *Quaſi perpetraturus bellum directâ acie in littore* Oceani Balliſtis *&* Machinis *diſpoſitis, nemine gnarô ac opinante quidnam cœpturus eſſet, repentè ut* CONCHAS *legerent*, Galeaſquè *& ſinus replerent, Imperavit, ſpolia* Oceani *vocans*, Capitolio Palatioq; *debita, & in indicium* VICTORIÆ *altiſſimam* Turrem excitavit, *ex quâ ut ex* Pharô *noctibus ad regendos navium curſus ignes emicarent, pronuntiatôq; militi donativô, centenis viritim denariis, quaſi omne exemplum liberalitatis ſupergreſſus, abite inquit læti, abite locupletes.*

Antiquorum inquam VICTORIÆ ſi cum tuis conferantur OLIVARI, *Caligulæ* geſtis non ſunt abſimiles. Quid enim exempli gratiâ facilius *Cæſari*

fuit,

fuit, quàm multis fortiſſimis legionibus benè armatis, robuſtis, bellicoſis, in re militari plurimùm exercitatis, in illos reportare VICTORIAS, qui tùm rei militaris rudes, tùm inermes, tùm ita diviſi fuêre, ut urbs ferè quælibet parvum regnum eſſe videretur, ab aliis quippe diverſa, neque ullô modô ſocia.

Quòd ſi tunc temporis in uſu fuiſſent *Sclopeta*, ſi *Bombardæ*, ſi *Tormenta Bellica*, ſi *Bombæ*, ſi cæteræ *incendiariæ machinæ*: Si *munimenta bellica cum ſuis aggeribus, propugnaculis, lateribus rectis, obliquis, Podiis, viis coopertis, operibus externis*. Nullos haberemus *Hectoras*, nullos *Achilles*, nullos *invulnerabiles* præterquàm in *Talô*, nullos *Heroas*, gerentes arma licet manibus fabricata *Cyclopum*. Non evaſiſſet enatans ad *Alexandriam* in *Ægyptô Cæſar* jaculis appetitus undique; Non elatus *Indorum* ex urbe ſolus in eandem exiliens *Alexander*. Non mirum inquam eſt, ſi viri robuſti, animoſi, ſic *Cataphracti* ut ferè vulnerari non poſſent, *VICTORIAS* ſic facilè retulerint, ut ipſas pro nihilô quaſi duxerint, *VENI, VIDI, VICI*.

At in *VICTORIIS* tuis tâm multis OLIVARI, quæ ſunt eò Nobiliores, quò difficiliores, periculoſiores, formidabiliores pugnæ fuêre, celeritatem certè tuam, fortitudinemquè ſuperioribus *Heroibus* omnibus longè clariorem arbitror, quippe quos vel exploſi *Sclopi* globulus cum audaciâ ſuâ proſtraviſſet illicò. Atque ut ingenuè fatear, longè plus æſtimo virtute tuâ ſuperatam *Cambriam*, atque poſt fractos tâm multos, eoſquè *Scotorum* valentiſſimos exercitus, à te captum *Edenburgum*, *Sterlinumquè*, atque ex conſequenti *Scotiam* univerſam. In *Hyberniâ* verò *Tredam* vi captam, *Hyberniamq;* redactam; In *Angliâ*, *Scotorum* exercitu potentiſſimô defenſam, munitiſſimamquè tùm naturâ loci, tùm arte *Vigorniam*, vi tamen occupatam, plus inquam, ex animi mei ſinceritate *VICTORIAS* haſce tuas facio, quàm *Cyri*, *Alexandri*, *Julii Cæſaris* laureas omnes, habitâ ratione temporis, locorum, hoſtiumquè. Unde nullô modô poſſum adduci quin credam, peculiari tibi Deum in *VICTORIIS* tuis auxilio fuiſſe, politicus licet *Romanus* opinetur, *Unius Ducis ingeniô VICTORIAM acceptam ferri oportere*. Propterea dicere potes audacter OLIVARI cum *Carolô* quintô *Germanorum* Imperatore, *Veni, Vidi, Deus Vicit*, fieri enim non potuit, ut tantas obtinueris *VICTORIAS*, à tàm multis, tamquè fortibus hoſtibus, tàm variis in locis, tàm citò, tàm modicâ ſanguinis effuſione, tantâ moderatione, tantâ clementiâ, tantâ benignitate, quod ſequenti capite demonſtramus, quin ſingulari quâdam ratione tibi Deus adfuerit, ſiquidem præter illa quæ cum ſuis circunſtantiis ἀδύνατα videantur, *Difficillima eſt in bellis præſertim civilibus VICTORIÆ moderatio, nam etiam Duces ipſi qui accendendô bellô ſunt acres, temperandæ VICTORIÆ ſunt impares*. Ad *VICTORIAS* autem tuas, tanquam illarum cumulus, rectus earumdem accedit uſus. Nam ex Imperatore prudenti; *Uti rectè VICTORIA quàm ipſum vincere longè præclarius eſt*. In quô *Hannibale* præſtabilior es OLIVARI, qui ſciebat vincere, *VICTORIA* neſciebat uti, νικᾶν οἶδε, νίκῃ δὲ χρῆσθαι οὐκ οἶδε.

Tul. in ver.

Surius in bello Germanico.

Tacit. lib. 3. Annal.

Plut. in Nicia. Idem in Fabio Maximo.

Quòd autem *VICTORIA* rectè fueris uſus, gratulantur ideò tibi per ſuos *Legatos* ſummi *Chriſtianorum Principes*, nam *ut moderatum VICTOREM omnes laudamus atq; prudentem: ita nimis elatum, nimiſquè inſolentem ipſâ VICTORIA indignum cenſemus: Atque ut unô verbô concludam, nihil tàm laudabile in re militari quàm VICTORIAM quoquô modô adipiſci, illam adeptis nihil tàm glorioſum quàm cum moderatione animi, atque prudentiâ uti, ne* Tigridum *potiùs immanium, aut* Verrium *libidinoſorum exercitus, quàm hominum VICTORIA appareat*.

Natal. Com. hiſt. lib. 9.

Ex tantis igitur reportatis VICTORIIS tibi TRIUMPHUS certè debetur, at

non illi ſimilis, quem tibi *Londinenſis* Civitas bis jam apparavit.

Primum quando ſuis effuſa portis, innumeris vecta curribus, ſupremis *Angliæ Comitiis*, Magiſtratuquè ſuô, ſuiſquè omnium ordinum, ſexus, ætatiſq; comitata, *Londinenſium* infinitâ plaudente multitudine, tonantibus ob lætitiæ ſignum tormentis undiquè bellicis, *Vigorniâ* redeunti *VICTORI*, *TRIUMPHANTIQUE* tibi proceſſit obviàm.

Alterum, quando tibi repagula Civitatis omnia, ut Regibus aſſolet, hinc inde ſuis tapetibus, nec non inſignibus ornata, Societates *Londinenſium* omnes denudatô capite honorandi tui gratiâ continebant, Dominô *MAJORE* civitatis cum ſuis Senatoribus *ALDERMANNISVE*, univerſôquè conciliô *Pompam* tuam comitantibus, omnibus vicis, plateis, domibus, tectiſquè tantâ populorum multitudine refertis, ut hùc *Anglia* tota viſendi tui gratiâ confluxiſſe quodammodò videretur. Hocquè magis glorioſum *TRIUMPHUM* tuum tùm reddidit, quòd ſinè ullis militibus, te ſolum, atque inermem infinitæ multitudini, cum incredibili divinâquè propemodum fiduciâ, quod & tui ultrò fatentur hoſtes, credideris.

VICTORIIS inquam tuis majores, Nobilioreſquè *TRIUMPHI* debentur? Igitur quemadmodum ſpero, mihi dabis Olivari veniam, ut illos ingenuè referam, quibus cùm ad ſomnum videndum me recepiſſem, planè dubito, an corpore an tantùm animô præſens interfuerim, vel an quia die totô præcedente, de *Romanorum TRIUMPHIS* aptandis tibi (quoſquè tuis meritis inferiores longè reperiſſem) ſeriâ diutinâquè mentis agitatione plurima mecum ipſe perpendiſſem, per viſum nocturnum hæ recurſantes in animum meum cogitationes, mihi quem quærebam *TRIUMPHUM* repreſentarint. An inquam apparatum tibi talem ideò, vel meus corpore ſopitô vigilans animus, vel bonus aliquis *Genius* tùm ſuggeſſerit, aut reipſâ demonſtrarit, non mihi compertum eſt. Ut ut ſe res habuerit non diſputò, at teipſô dignum, certus ſum, vidi *TRIUMPHUM* Olivari, quem orbi toti ſignificare nunquam me pœnitebit.

Igitur in immenſâ, vaſtiſſimâ, gratiſſimâquè planitie conſtitutus Olivari, Bellorum *Genium* os humeroſquè Deo Marti ſimilem *Oleâ* coronatum animadverti, ad cujus latus alterum, propter *talaria caduceumquè* circumvolutum *Oleâ*, *Mercuriô*, *Græcos* inter *Oleæ* repertori, non abſimilis juvenis aſſiſtebat: Latus alterum Martis dextrum, *Oleâ* redimita caput ſoror Pallas, ſive *Bellona* tenebat: Quibus Mars aperit, Olivario quàvis ratione Primo meritum, ne ſine præmiô virtus impoſterum jaceat, decerni Triumphum oportere. Itaquè jubet *Mercurium* nationum omnium Bellicoſissimos ex *Beatorum* inſulis, illuc quantocyùs, decerptis inde ramis Olivarum coronatos omnes eandem in planitiam deducere. Tùm rogat ſororem, ut percuſſâ variis in locis haſtâ ſuâ planitie, ad Triumphantis exercitus, comitatuſquè coronas, Olivas plurimas producat; Tùm cœlum adeat, ut quotquot tunc repererit illìc Heroas ad ſe venire cumprimum in *Angliam* jubeat: Interim ſibi fore curæ, ut exercitus, reliquiquè ad Triumphum ornandum neceſſarii præſto ſint. Productis igitur per totum illud æquor pulcherrimis Olivis, arboribus Olivarii, à ſe invicem diſceſſêre, *Mercurius* ad *Inſulas Beatorum*, in cœlum *Bellona*, Mars ad Olivarium, Olivarii ſubditos, exercituſquè. Qui cùm illìc me vidiſſet, juſſit ut quoaduſque rediturus eſſet, ſeligerem pulcherrimos Olivarum ramuſculos, ex quibus quatuor majores coronas aptarem, quintam Olivarii capiti, ſextam maximam, quam ex officiô dum ille Triumpharet in caput ipſius ponè ſuſtinerem, mihiquè ipſi unam adaptarem, ego lætitiis omnibus incedens, tùm propter viſa, tùm propter audita, tùm propter

novam

novam officii mei dignitatem & ipſe TRIUMPHANS, ad opus abjectâ prorſus omni cunctatione feſtinus accelero, tùm quieſcens eventumquè rei mirabundus expectans, per *tympanorum buccinarumquè* ſonum, omniſquè generis inſtrumentorum muſicorum harmoniam, didici propiùs OLIVARIUM abeſſe, qui ubi pervenit ad plani medium, tùm ipſum, tùm ſequaces omnes ſiſtere *MARS* imperavit, tùm OLIVARIUM ipſemet, tùm quatuor formoſiſſimas, maximequè proceras, nec non robuſtiſſimas *AMAZONES*, quæ quatuor excelſi Throni columnas, in quô ſublimis ſedebat OLIVARIUS, ſuppoſitâ cuilibet columnæ rotulâ dirigerent traherentquè, *OLEA* pariter coronavit, tùm me prehenſum pone catedram OLIVARII *OLEA* ſimiliter coronatum impoſuit ſuppedaneo, inde maximam OLIVÆ coronam in *TRIUMPHANTIS* caput ſurſum erecturus, invidente *BRITANNORUM* nemine, licet ſim illis extraneus. Hôc itaque plurimùm gaviſus ſum officiô, tùm propter muneris dignitatem, tùm quia quæcunque fierent in planitie, meis hâc ratione patere poſſent oculis, tùm quæcunque de *TRIUMPHANTE* dicerentur, auribus commodiùs accipere valerem.

Ubiprimum igitur pone ſolium OLIVARII me MARS evexit, indixit per præcones *TRIUMPHATORIS* ſequacibus omnibus, ut ſibi coronam ex *oleâ* quilibet adaptaret.

Interim puellas conſiderans, quæ columnas OLIVARII Throni dirigerent, ex earumdem inſignibus quæ mirô artificiô in illarum humeris erant acu picta, deprehendi ANGLIAM, CAMBRIAM, SCOTIAM, HYBERNIAM, rubra crux enim in albô campô monſtrabat *Angliam*, in plumis albicantibus *Cambriam* agnovi, mihi porrò *Scotiam* indicabat candoris nivei leo ſurſum aſſurgens. *Hyberniam* denique lyra prodebat. Videns OLIVARIUM quatuor iſtis *Reginis Amazonibus* ex decretô *MARTIS* advectum, tantô perfuſus ſum gaudiô ut ex quâ materiâ Thronus fuerit, vix potuerim diſcernere: Hoc tantum recordor, longè pretioſiorem aurô fuiſſe, & ni fallor, erat ex ſmaragdô gemmâ Thronus columnæquè, coloris OLIVACEI videlicet. Sed iſtis omiſſis.

Ecce tibi ex inſulis *fortunatis*, præſtantiſſima omnium quæ poſſit eſſe ductore *Mercuriô POMPA*, quæ dùm propiùs accedit, illam cohibere gradum, ſiſterequè, quoad parata ſint omnia *MARS* imperat. Cùm autem oculos meos in ſe defixos attentiùs hæc turba detineret. En alter *HEROUM* adfuit exercitus. Tùm *BELLATORES* præſtantiſſimos quoſque, tùm *HEROAS* ad OLIVARII *TRIUMPHATURI* Thronum propiùs omnes admovet, ut cum *HEROIBUS* de referendô in *HEROUM* album OLIVARIO decernat. E quorum numerô ſex cum *MARTE* tractantes eâ de re ſolos ego percepi, ſiquidem iſtis *HEROUM* cæteri, plenariam agendi cum *MARTE* ſuper hôc negotiô poteſtatem annuiſſent. Horum igitur colloquia quantum memoriâ retinere potui, fideliter hìc adſcripſi, Itaque *Stentoreâ* voce ſic inter ſe locuti ſunt.

MARS.

Magnanimi HEROES, fortiſſima pectora bellô,
Huc vos aſtriferâ volui de ſede vocatos,
PRIMUS OLIVARIUS *totô celebratus in orbe*
Inter ut HEROAS MARTIS referatur in album,
Si tamen hæc veſtræ ſurgat ſententia menti.

HERCULES.

Tu GRADIVE potes quoſvis ſuper aſtra locare,
Sed ſi quæ ſedeat menti ſententia quæras,
Noſter honos debetur iis, quos æquus amavit

Juppiter,

Juppiter, *aut ardens evexit ad æthera virtus;*
Si secus HEROUM posthàc temnentur honores.

THESEUS.

O præstans belli ductor, pater inclyte MAVORS,
Num majora potes fabricare palatia Cœli?
Quid? Nonne à nostris subsellia tota tenentur?
Ergo si plures astris adjungere præstat,
Convenit expulsos terrena revisere tecta.

PERSEUS.

Magna moves animô superi Deus ARMIGER orbis,
An scis quod Divos Cœlestis deficit humor,
Succus & Ambrosiæ? *Mercede locare laborem*
Vis credo HEROAS, Pelagi *rectoris ad instar,*
Numinis aut Clarii, *fabricando mœnia* Trojæ.

JASON.

Si tibi MARS animus mortales addere Divis,
Non modò vis nostros collecta fatiget edendi
Ex longô rabies, & siccæ Nectare *fauces,*
Sed cupis ut Divi *pugnent nidoris amore,*
Atque inhient avidi fumô lucentibus aris.

BELLEROPHON.

Cuncta tuô qui bella DEUS sub numine torques,
Forsitan ignoras summi quod rector Olympi
HEROUM vulgus sedes implere Deorum
Indignans, Stygiô *cunctos demiserit* Orcô,
Quos solus favor ad superos evexerat axes.

ZETES.

Nescio blanda loqui, tuus O GRADIVE quid optes
Explorare labor, mihi jussa capescere fas est,
Si tamen ætherei tacitô sub corde volutes
Dicta Dei, *immeritum quisquis* Deus *evehet astris,*
Ambrosiâ *totos centum privabitur annos.*

MARS.

Parcite tanta queri ô nati melioribus annis,
An cuiquam vestrum Diô *frustrata liquore*
Ardent labra siti? Quæso meliora canamus,
MARTIS opus tantum HEROEM super æthera tollet,
Non favor, at VIRTUS, & nescia pectora vinci.

HERCULES.

Adjuro Stygii *caput implacabile fontis,*
Ante nigros agitabit equos Hyperione *natus,*
Ante comam fratris rapiet Latonia *virgo,*
Ante faces orbis fugient laquearia cœli,
Quàm AMPHITRYONIADES mortalem adscribat Olympo.

THESEUS.

Effugiat volucres Paphiæ, Jovis *armiger ales,*
Squammigeros *timeat populos prædator aquarum*
Piscis, & Armenium *laceret fera* Cerva Leõnem,
Præbeat aut Lepori, *aut* Damæ *sua terga* Molossus,
Si quenquam cœlo donet THESEIUS HEROS.

PERSEUS.

PERSEUS.

INACHIUS juvenis nulli concedet honores
HEROUM, gelidô Caurus *niſi ſpiret ab axe,*
Parſquè eadem Cœli Zephiros *emittat &* Euros,
Heſperii *niſi ſol rediens è gurgite fontis*
Junoni *aëriæ flaventem reddat amictum.*

JASON.

Soluſne Æsonides Heroum *prodat honorem?*
Non prodet, cuiquam Divorum accumbere menſis
An dabit Æmonius? *Cœlum non ſydera paſcet*
Quando dabit, ſuperi ſummô de cardine mundi,
Tincta Lycaoniô *ſurget* Palantias *axe.*

BELLEROPHON.

Si potis es, numera vaſtô quot in æquore mutos
Tethyos *unda vehit populos, quot volvit arenas,*
Quot ruit Hæreſides Junonis *ab arce puellas*
Arſinoes *conjux, quotquè æſtas gramnia profert,*
Tùm mihi fida tuæ ſurget ſententia menti.

ZETES.

Ergo dies aliqua Heroum *tàm fortibus auſis*
Diſſimilem arguerit Boreæ *de ſemine cretum,*
Omnibus idem animus, mihi par ſententia menti
Certa ſedet nullum poſthàc dignarier aſtris,
Ni priùs abripiat Milvos Pandionis *ales.*

MARS.

Quæ veſtram invicti mentem dementia cepit,
Mortalem fugitis ſocium, quaſi vita perennis
In vobis fuerit, num vos ad ſydera Virtus
Extulit? Ergo pari vobis virtute verendus
Heroum *parili quidni potiatur honore?*

HERCULES.

Prima Cleonæi *tolerata ærumna laboris*
Iſtius proſtrata cadat Nemcea *lacertô*
Bellua, ramoſumquè caput ſtridentis Echidnæ,
Tartareum *domet ille* Canem, *orbem fulciat armis,*
Tumquè ſuos mecum tollet ſuper aſtra labores.

THESEUS.

Num Labyrinthæis *informia monſtra latebris*
Perdidit? Hunc Marathon Cretæi *cæde pavoris*
Forſan mirata eſt! Scinin *aſt formamquè* Procruſtæ
Atque Giganteâ *proſtravit mole latrones,*
Heroas *adeat, ſiquidem penetravit* Avernum.

PERSEUS.

Gorgoneum *metat enſe caput, ter brachia* Cancri,
Ter ſubeat gelidas Arctos, *imponat* Olympum
Japetionidæ, *rapiat cuſtode peremptô*
Arboris auratæ *ſpolium*, Cepheida *ſolvat*
Cæruleô *renuente* Jove, *atque hunc vota ſequentur.*

JASON.

Anne prior Glauci *ſulcavit remige dorſum?*
Flammivomâ æripedum *an dextrâ palearia mulſit,*

Viperea*ſquè*

Vipereasquè *acies ferrô detrusit in* Orcum,
Custodemne auri Lethæô *gramine sparsit?*
Vellere *ut insignis posit se credere cælo.*

BELLEROPHON.

BELLEROPHONTIS Equum *rabidô spumantia morsu*
Fræna recusantem, flectat cervice rotatâ
Arduus in gyros, Acheruntis *mergat in undas*
Ignibus horrendæ triplicis fera monstra Chimæræ.
Et tunc HEROVM meritos spectabit honores.

ZETES.

Quas Erebô *natas*, Stygiis *eduxit ab antris*
Pestis & ira Deum, *sævô clangore volucres*
Harpyas, *dirô* Pheneia *fercula tactu*
Fœdantes, iterum nigri propellat in ædes
Numinis, HEROVM & meritis sua conferet HEROS.

MARS.

Hinc procul esse joci, vobis majora patravit,
Vidi ego, cùm ferrata seges surgebat in agris
Undique, & effusô spumabant arva cruore,
Terribilem capite & galeâ, dextrâquè tremendum
Fulmineum vibrare ensem, quò pugna vocabat
Comminùs, & multis abrumpere stamina vitæ,
Hunc licet hostilis strictô mucrone corona
Sæviùs appeteret, belliquè fragoribus astra
Concuteret, cupieretquè inimicô à sanguine Pœnas.
Utquè ferit nubes discurrens ira Tonantis
Sæva Dei mandata ferens, boat ignea moles
Quæsitis reppulsa adytis, & concutit orbem,
Carcere sed tandem ruptô perfringit Olympum
Fulmine, cum multô crepitu, quô tota tremiscunt
Ardua terrarum, trepidat formidine mundus.
Haud secus hostili circumdatus agmine quærit
Fatiferô ense viam, mediisquè in millibus ardens
Emicat, & bellum disrumpens fulminat armis.
Ecquando HEROES juvenum tot stragis acervos
Hostibus in mediis vestra invictissima bellô
Dextra dedit. Verum est discrimina sæva Dianæ
Experti HEROUM Dios *retulistis honores.*
Ludus Olivarii *sunt isthæc, lustra ferarum*
Sæpiùs indagat, Laniis *labor esto* Juvenci:
Ergo quid invictum bellô, VIRTUTE potentem,
In quem vel dubitet MAVORS concurrere ferrô,
Inflati HEROES animos de cæde ferarum,
Nequicquàm vultis dignarier ordine vestrô.
Cedite SEMIDEO, referat sua præmia VIRTUS,

HERCULES.

Maxime Olivari *caput insuperabile bellô,*
Parce Jovis *Soboli, tantâ virtute superbum*
Nescivit, ergo tibi meritum concedit honorem
ALCIDES, quantumquè valet MAVORTE feroci,
Inquè TROPHÆA tibi dat tædia longa Laborum.

THESEUS.

OLIVARIVS BRITANNICVS HEROS.

G: Faithorne fec:

THESEUS.

THESEUS hunc numeret ſolem meliore lapillô,
Quô tua OLIVARI *MAVORS miranda videri*
Facta dedit, tantos ſi pectore concipis ignes
Cedo equidem, nec enim eſt ea gloria digna repulſæ:
Atque tuis mea facta lubens appendo TRIUMPHIS.

PERSEUS.

Conſilia in melius referam fortiſſime OLIVARI,
Ecquis enim belli Fulmen *ſocium abnuat HEROS,*

Recordetur hîc Muſarum alumnus ultimam Olivari elidendam eſſe propter primum vocabulum ſequentis verſus incipiens a vocali.

HEROVM-

HEROUMQUE decus? Nunquam DANAEA propago
Reſpuit invictos comites, tibi cedet Olympô,
Et ſua *parva licet, factis ingentibus addet.*

JASON.

FASONIS ora ſuô pingit Melibœa *colore,*
Dum tua facta capit, Dux inſuperabilis armis,
Quæ quantùm præſtant Phryxæi *velleris aurô,*
Sic tantùm ſuperas virtutibus ÆSONE *natum,*
Colchidis *unde tuo* ſpolium *conſecrat honori.*

BELLEROPHON.

Ductor OLIVARI *generoſô pectore & armis,*
Quòd ſi vera canit, Cœlo dum laudibus æquat
Te Deus ARMIPOTENS, *tantùm virtutis honore*
BELLEROPHONTA *præis, quantum reliquos* Equus *ales,*
Quem, *meliore utinam fatô, tua* gloria *poſcit.*

ZETES.

Non eſt quod ZETES HEROUM dicta retractet
FORTIS OLIVARI, *hunc pariter ſententia vertit,*
Sequè TRIUMPHATUM tàm magnô pectore gaudet,
Sicquè tuâ ſtupefit confuſus imagine laudum,
Ut ſua facta *tuis jungat decoranda TROPHÆIS.*

MARS.

An tandem HEROES veſtræ ſententia mentî
Certa ſedet, patriis animiſquè, armiſquè potentem
MAXIMUM OLIVARIUM *veſtris adjungere ſceptris?*

DE GAND.

Extemplò HEROES cuncti ſimul ore fremebant,
Elyſiiquè *duces, nec non exercitus omnis,*
VIVAT OLIVARIUS, VIVAT BRITANNICUS HEROS.
Accitos igitur præcones, ære canorô
Inſpirare jubet legi MARS ſigna ferendæ,
Poſt id, OLIVARIUM *HEROEM ſic ipſe profatur.*

MARS.

Audiat immenſus flammis ardentibus Æther
Junoniſquè *plagæ,* Tellus, Neptuniaquè *arva,*
Audiat aula Jovis *nigri edicta inclita MARTIS.*
Virg. Æneid. l. 1 *In* Freta *dum* fluvii *current, dum* montibus *umbræ*
Luſtrabunt convexa, Polus *dum* Sydera *paſcet,*
SEMIDEUS totô poſthàc celebrabitur orbe,
HEROASQUE inter ſubſellia prima tenebit,
Exin OLIVARIUS PRIMUS BRITANNICUS HEROS.

His ita peractis, tanta *Tubarum* increpuit multitudo, tantaquè generis omnis inſtrumentorum *Muſicorum* copia, quanta puto nunquam anteà fuiſſet humanis auribus accepta, quæ dum cum *Harmoniâ* propemodum *Cæleſti* perſonant,

VIVAT OLIVARIUS, VIVAT BRITANNICUS HEROS.

Interea ex vicinis OLIVIS ſibi coronas decerpunt *HEROES*, tùm *POMPAM MARS* ordinat, ita ut *Pallas* inventrix OLIVÆ, OLIVARII *PRIMI TRIUMPHVM* ipſa ducat. *Bellonam* ergo ſequuntur *HEROES* innumeri bini & bini ordine quique ſuô, tùm *Elyſiorum* camporum, ſeu *fortunatarum*,

vel

vel *Beatarum* insularum præstantissimos quosque ductor *MARS* ipse præcedit, quos varius *Londinensis* excipit in habitu *Clerus*, tùm Dominus ipse Civitatis *MAJOR* cum *ALDERMANNIS*, urbanôquè *CONCILIO*, quos principum *civium* comitabatur innumera multitudo, ad hos jungebantur infiniti propemodem *Generosi*, *Nobiles*, *Barones*, *Comitesquè Britannici*. Thronum OLIVARII circumquaque cingebant tùm *gravissimum sapientissimumquè* OLIVARII *CONCILIVM*, tùm *Angliæ*, *Cambriæ*, *Scotiæ*, *Hyberniäquè GENII*, ferentes signa bellica vexillaquè hostium militaria ab OLIVARIO *VICTORE* capta, gerentes insuper depictas omnes OLIVARII *Victorias*, regna, provincias, urbes ab eôdem captas subjugatasquè; deniquè flores è calathis ubique spargentes. *TRIUMPHATOREM* universus ponè sequebatur exercitus, tùm tàm innumerabilis populi cujuscunque generis multitudo, quanta nunquam ex hominum memoriâ simul visa fuit.

Progrediens ergo *POMPA* ad sonum tàm multorum Instrumentorum *musicorum* ter planitiem tàm immensam æquis est emensa passibus, dum ad OLIVARII Thronum continuò *GENII* canerent.

Fundite fluctus
Flumina lactis,
Flumina largum
Fundite Nectar,
Fontium in alveis
Currat OLIVUM:
ANGLICVS HEROS
Aurea patrum
Secla reducit.

Arva suavi
Cloridos *ales*
Pinge colore,
Husquè referto
Veris honores,
Ruris amores:
ANGLICVS HEROS
Aurea patrum
Secla reducit.

Spargite flores,
Lilia ferte,
Atque Amaranthos,
Cingite vestra
Tempora OLIVA.
Hunc enim in orbem
ANGLICVS HEROS
Aurea patrum
Secla reducit.

Vicimus IO,
IO triumphe.
ANGLICVS HEROS
Quem Dea belli

Fecit OLIVAM,
Vivat in ævum,
IO triumphe,
Aurea patrum
Secla reducit.

Similia plurima totâ durante *TRIUMPHI POMPA* canebant *GENII*, *Mercurius* autem pedibus *talaria* nectens de mandatô *MARTIS* advolitabat *TRIVMPHANTIS* OLIVARII throno, ut ei quæ cuperet explicaret, ad cujus verba dum totus intentus essem, neglexi *Scommata*, quæ juxta consuetudinem ab exercitu in *TRIVMPHANTEM* jactata sunt.

Cum igitur *Mercurium TRIUMPHANS* rogaret OLIVARIUS quinam essent isti *Bellatores*, quorum ex *Elysiis* campis *MARS* ductor esset, huic plurimos aperuit, quos, quantum hìc mea mihi permittet memoria, recensebo.

Assyrior. Imperium.

MARTEM igitur sequebantur

NINVS & *SEMIRAMIS* primæ duntaxat *Assyriorum Monarchiæ* fundatores.

NINVS primus inter homines author belli, bellum omnibus intulit, multosquè debellavit, *Armeniam*, Mediam, *Asiamquè* ferè totam subegit, sicquè suum primus, tantaquè cum fortitudine primum amplificavit *Imperium*, ut à *Chaldæis* ob id *Hercules*, ab *Assyriis Jupiter*, habitus fuerit.

SEMIRAMIS autem, quamvis permultæ ferantur de hâc fabulæ, bellicosissima tamen non modô mulierum omnium, quæ unquam extiterunt fuit, sed etiam mortales omnes antecessit militiâ, *VICTORIIS*, opibus, *TRIVMPHIS*, *Imperiô*.

Pers. Monarch.

Ostendit pariter OLIVARIO *Mercurius CYRVM* & *CAMBYSEM* fortissimos *Persarum Monarchas*; Tum secundæ *Persarum Monarchiæ* authorem *ARTAXERXEM*.

CYRVS enim *Medorum Imperium* transtulit in *Persas*, & subactâ *Asiâ* totum *Orientem* suam in potestatem redegit. Unde *Persarum Monarchia* dedit initium.

Porrò *CAMBYSES CYRI* patris *regnis* adjecit *Ægyptum*.

Hic est *ARTAXERXES* denique *Persa*, vir obscuris admodum parentibus ortus, qui, dum *Imperatores Romani Persarum Imperiô* potiri cum *Parthis* variâ contendunt fortunâ, genti suæ veterem *Imperii* gloriam restituit; *Persasquè* per animi fortitudinem *HEROICAM*, profligatis hostium plurimis exercitibus, iterum imposuit *Orienti*, quorum *Imperium* ab hôc *ARTAXERXE* ad *Cosroem*, & *Heraclium Imperatorem* per quadringentos continuos annos florentissimum fuit, nunc autem multùm imminutum est.

Macedonum Potestas.

Macedonici Imperii primos *PHILIPPVM*, *ALEXANDRVM*, *DEMETRIVM POLIORCETEM* indicavit OLIVARIO *Mercurius*.

De *PHILIPPO* constat, quòd fuerit rei militaris peritissimus, rebusquè gestis clarissimus, quippequi Regnum *Macedoniæ*, quod angustis anteà finibus arctabatur, sic dilatavit, ut centum quinquaginta populi sub illius ditione fuerint numerati.

Cujus filius *ALEXANDER* ille *MAGNUS*, *Græciæ* totius *Imperator* bellicam ob virtutem electus, summâ fortitudine animiquè magnitudine orbis ferè totius *Imperium*, exercitu triginta trium millium veteranorum, in *Macedonas* transtulit, debellatis innumeris fortissimisquè Nationibus.

DEMETRIUS deniquè *POLIORCETES* ab *ALEXANDRO Macedonum* fortitudine bellicâ sine controversiâ clarissimus, quì præter innumeros superatos

tos hoſtes, viquè ſubacta ſine numerô loca munitiſſima, unde *POLIORCETÆ* nomen obtinuit, ſemel cum quatuor fortiſſimis regibus *Ptolomæô, Lyſimachô, Seleucô, Pyrrhô* ſimul congreſſus, eoſdem profligavit.

Poſteà *Mercurius* ex *Romanorum Imperiô TRIUMPHATORI* monſtravit illìc *ROMULUM*, duo fulmina belli *SCIPIADAS. POMPEIUM MAGNUM, JULIUM CÆSAREM, OCTAVIUM AUGUSTUM, VESPASIANUM, TRAJANUM.* Romanorum triumphi.

De *ROMULO* conſtat, quòd *Bellicoſus* adeò fuerit, ut plûſquàm ſeptem hoſtium millia manu propriâ confecerit *Romanæ* fundator urbis, potentiæquè.

SCIPIO major Africanus tùm *Hiſpaniam*, tùm *Africam* domuit, *Carthaginenſeſquè* populo *Romano* tributarios reddidit.

SCIPIO minor Africanus rebelles eoſdem, tùm in *Hiſpaniâ*, tùm in *Africâ*, fregit, *Numantiâ* in *Hiſpaniâ*, *Carthagineque* in *Africâ*, duobus populi *Romani* terroribus, funditùs everſis.

POMPEIUS MAGNUS ante legitimam ætatem *Iarbam Regem* in *Africâ* profligavit, cepit, atque de ipſô *TRIUMPHAVIT. Sertorii* factionem ſuſtulit in *Hiſpaniâ*, bellum *Pyraticum* tribus menſibus confecit. Poſteà de *Mithridate Rege* in *Pontô* devictô TRIUMPHAVIT, *Tigranem Armeniæ Regem* ſupplicem in *regnum* reſtituit, *Iberos, Albanos, Judæos, Ariſtobulô Rege* captô debellavit.

JULIUS verò CÆSAR hic eſt, qui octingentas cepit urbes, trecentas domuit gentes, qui multis vicibus, cum trigeſies centum millibus ſigna contulit, è quibus decies centena millia fortiter occidit in acie.

AUGUSTUS porrò fractis in *Triumviratu*, bellô multiplici, ſociis, *Lepidô* nimirum & *Antoniô*, bellis civilibus omnibus finem impoſuit, ſoluſquè rerum per totum ferè terrarum orbem pacificè potitus eſt.

VESPASIANUS *Britanniam* hanc, atque inſulam *Vectis* in ditionem ſuam redegit, *Judæos* rebelles domuit, *Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, Thraciam, Ciliciam* in Provinciarum formam conſtituit.

Ad extremum TRAJANUS comitatus TRIUMPHUM OLIVARII, fuit adeò clarus in re *Bellicâ*, ut præter *Daciam* redactam in provinciam, *Parthos* ſuperarit, *Tranſtigritanas* provincias adjecerit *Imperio*, *Armeniam* atque *Arabiam* pervaſtarit, tamquè bonus fuerit, ut ſuccedentibus *Imperatoribus* acclamantes *Romani, fœlicitatem Auguſti, Trajaniquè bonitatem* adprecentur.

CONSTANTINUM & THEODOSIUM *Orientis Imperatores* declaravit item OLIVARIO *Mercurius*.

Cum præſertim CONSTANTINUS ille MAGNUS BRITANNICUS primuſquè *Chriſtianus Imperator* fuerit, qui *Maxentium Tyrannum Romæ* fregerit, *Imperii Collegam Licinium* ſæpiùs debellarit, *Imperatorum* ſedem *Bizantium, Aſiæ Europæquè* veluti portam, pontemquè tranſtulerit, ſuôquè de nomine CONSTANTINOPOLIM appellarit. Orientis Imper. Conſtantinop.

THEODOSIUS hic *Senior*, fortiſſimos, optimoſquè *Principes* inter adnumeratur, nam *Gothicis* armis oppreſſam penè *Rempublicam* accitus ex *Hiſpaniâ* patriâ reſtituit: *Maximum Tyrannum*, atque *Andagratium* exercitus ipſius præfectum victos occidit. *Eugenium Tyrannum* minoribus longè copiis ſuſtulit, fuit autem *Trajanô* tùm corpore, tùm moribus perſimilis, tantaquè præditus humanitate princeps, ut ab *Ambroſiô* caſtigari ſe, *adytiſquè* templi *Mediolanenſis* prohiberi, tulerit.

Ordine ſuccedentes ſex iſtos *Francorum Principum* magnanimos OLIVARII TRIUMPHUM adornantes, ex quâvis illorum lineâ geminos indicavit, ex primâ MEROVEUM CLODOVEUMQUE; Ex ſecundâ MARTELLUM, PEPINUMq; Ex tertiâ FRANCISCUM PRIMUM & HENRICUM QUARTUM. Francorum gloria.

MERO-

Meroveus igitur primus *Franciæ Rex* in *Galliam* irrupit, atque illam partem quam ſubegit, *Franciam* appellavit, fortitudinequè ſuâ bellicâ *Attilam Hunnorum* Regem exercitu quingentorum millium bellatorum inſtructum prope *Catalaunum* junctus *Ætio Romano* profligavit, quibus in campis centum nonaginta cæſorum millia numerata ſunt.

Clodoveus *Primus Rex Chriſtianus* prædeceſſorum ſuorum omnium virtute ſuâ gloriam ſuperavit, nam *Romanos* vicit in *Galliis*, atque *Galliarum Imperium* quô gaviſi fuerant *Romani* per quingentos & triginta ſeptem annos ex quô *Julius Cæſar* eas devicerat, *Romanis* eripuit, *Galliaſquè* totas exceptâ *Provinciâ*, parteque *Linguadoci regno* ſuo ſimul adjunxit: *Regem Viſigothorum Alaricum Arianum* manu propriâ occidit in acie; *Gondebaldum Burgundionum Regem* fudit; *Turingios* debellavit, *Alemannos* ſuperavit, *regnumquè* ipſorum in ducatum convertit.

Carolus Martellus ſic dictus quod *Saracenorum* malleus fuerit, quorum ſemel ad *Turonas* occidit in acie trecenta ſeptuaginta quinque millia; *Linguadocum* adunavit *Galliarum regno*, *Provinciamquè*, *Gothos*, *Saxones*, *Friſioſquè* ſubegit.

Pepinus hic fuit, ob cujus fortitudinem bellicam *Pontifex Romanus Zacharias Gallos* à Sacramentô fidelitatis præſtitô *Childerico* Regi ſuo penitùs abſolvit, huncquè Regem declaravit, *Childericô* tonſô, atque in *Monaſterium* abditô. Pepinus hic igitur fregit rebelles *Saxones*, *Bavaroſquè* ſæpiùs, *regnumquè Bavariæ* mutavit in *Ducatum*. *Aquitaniæ* ducem rebellem multis ſuperavit prælis, & tandem pugnantem ipſemet occidit, unde *Aquitania* tota *Galliarum* regno juncta fuit, bis *Longobardorum* Regem fuſis ejuſdem copiis debellavit, huncquè demum *Romani Pontificis* dominio terras multas permittere coegit.

Franciscus Primus *Bellicoſiſſimus* ſuperatis bis *Helvetiis*, *Mediolanenſem* ducatum occupat, quem ſuaſu *Leonis Papæ* rebellantem, iterum fortitudine ſuâ recipit, tùm Paviam obſidens per fatum immeritum *Caroliquè Borbonii* defectionem captivus in *Hiſpaniam* abducitur. Unde certis conditionibus remiſſus in *Gallias*, ſæpiùs *Caroli quinti Germani Cæſaris* variis in locis fregit exercitus, à quô tandem dictus *Imperator* multis precibus pacem obtinuit.

Henricus Quartus *Regum compendium*, Bellatorum *epitome*, *fortium breviarium*, obſeſſus *Diepæ*, exiguâ generoſorum manu, non tantum ſe liberavit ab obſidione, ſed ſuum *Galliarum regnum* multis reportatis Victoriis ſibi virtute ſuâ vindicavit, tot captis per vim urbibus quot in *Galliâ* numerantur, licet ab *Hiſpanis* ſub *religionis* larvâ ſtrenuè juvarentur, quorum multos fudit exercitus, tum *Sabaudum* ad rationem revocavit.

Germ. Cæſar. Quandoquidem autem *Germani Cæſares* à *Franciæ Regibus* ſumpſerunt originem, propterea *Galli* præcedunt hôc in *Triumphô Mercurius* ait, atque ex illis Carolum Magnum *Germanorum primum* *Cæſarem*, tùm Albertum *Auſtriacæ* domus originem, Olivario proponit.

CAROLUS igitur verè *MAGNUS* hic eſt, de quô dubites utrum fortitudine fœlicitatevè major extiterit, in quô par belli paciſq; ſtudium fuit, humanitas ſumma, artiumq; bonarum amor, quô nemo ferociores gentes debellavit, nemo cum hoſte ſæpiùs ſigna contulit, *Longobardos* in *Italiâ*, *Franciæ Regnô* ſubegit, *Saxones* ſæpiùs rebellantes, ſæpiùs vicit, tandemquè in *Picardiam* tranſtulit, in *Hiſpaniis* profligavit *Saracenos*, ex illis multos ſibi *Reges* tributarios fecit. *Sclavos*, *Danos*, & *Boioarios*, ſive, *Bavaros* tumultuantes in ditionem ſuam redegit, *Vandalos* qui *Brandeburgenſem Magdeburgenſemquè* regionem occupabant, & *Pomeraniam* ſubjecit, inſuper *Hunnos*, & *Avaros Pannoniæ* dominos, *Hungaroſquè* ferè totos delevit.

Ter

Ter in *Italiâ Pontificem Romanum* ab oppreſſione vicinorum principum liberavit firmavitquè, unde Rex *Chriſtianiſſimus* & *Romanorum* declaratus eſt *Imperator*, annô poſt interitum *Auguſti* trecenteſimô & trigeſimô.

ALBERTUS autem *Auſtriæ* dux, poſtquàm virtutis ſuæ multa ſigna cum patre *Rodolphô*, ſub quô militavit, exhibuiſſet, à *Bonifaciô Pontifice Romanô* declaratur *Imperator*, quòd *Philippum Francorum Regem Bonifacius* odiſſet: Hâcquè conditione ratum *Alberto* fecit *Imperium*, ut *Regnum* quoque *Francorum* ſibi vindicaret, à quô tempore, *Francorum* domus, nec non *Auſtriaca*, continua ferè foverunt invicem diſſidia.

Aliquot pariter *Angliæ* Reges ab OLIVARIO faciem avertentes licet, tamen ob reverentiam *MARTIS* caventes obloqui, monſtravit noſter *Deorum interpres*, inter quos, fuit — Reges Angliæ.

GUILLELMUS ille *Nortmannorum dux fortiſſimus*, *Anglorumquè debellator*.

EDWARDUS PRIMUS Scotorum malleus, princeps *Bellicoſiſſimus*, qui *Scotiam* victam jamtum adjunxit *Angliæ*, *Cambrorum* multas profligavit copias, tandemquè cum illis compoſuit, ut *Anglorum* Regis *filius primogenitus*, *Cambriæ princeps*, ſeu *Walliæ* diceretur.

HENRICUS QUINTUS magnanimus item princeps, qui multas à *Gallis* reportavit VICTORIAS, *Catharinâquè* filiâ dementis *Caroli ſexti Francorum* Regis acceptâ conjuge *Pariſiis*, *Burgundionum* duce *Philippô* juvante, *Franciæ Rex* coronatus eſt.

Aperuit quoque *Mercurius* OLIVARIO, quòd *Cambria*, quæ & *Britannia* diceretur, multos *Reges* numeravit, quos inter fuerunt *Ivor* & *Conan*: Poſtquàm autem erecta eſt in Principatum ad tempus Regis *Stephani* videlicet, *OWEN* fuit primus illius *princeps*, atque inter omnes illius principes *EDWARDUS NIGER*, *Cambriæ princeps generoſiſſimus*, *fortiſſimuſquè*. — Cambriæ Principes.

IVOR, igitur *Rex Bellicoſiſſimus* ſæpè *Saxones occidentales Angliæ* ingentibus affecit cladibus, atque ab illis per vim eripuit, retinùitquè *Cornwalliam*, *Devoniam*, comitatumque *Somerſetenſem*.

CONAN autem *MERIADOC* cum *Imperatore Maximô* vicit *Armoricam* in *Galliâ*, & in *virtutis* præmium ab *Maximô* donatus eſt eâdem, qui occiſis omnibus illius incolis ad annum *Chriſti* trecenteſimum octuageſimum quartum novam deduxit illuc è *Cambriâ* coloniam, *Armoricamq*; mutatô nomine *parvam Britanniam* appellavit, cujus fuit *Rex* ille primus, & Reges habuit viginti duos, quorum ultimus *Salomon tertius* duntaxat, à ſuis occiſus eſt. Unde per *Comites* deinceps *parva Britannia* gubernata fuit, quorum primus dictus eſt *Alanus*, atque in *Armoricâ* ſive in inferiori *Britannia* degentes, etiamnum propriô *Cambrorum* utuntur idiomate.

EDWARDUS denique *Walliæ fortiſſimus generoſiſſimuſquè princeps*, non procul à civitate *Pictavienſi Joannem Franciæ Regem* captivum cum multis *Gallorum principibus* Nobilibuſquè, fractis eorumdem copiis, captivum *TRIUMPHANS* abduxit in *Angliam*.

Duos è *Scotiâ Bellicoſiſſimos* item *Reges* eôdem in OLIVARII *TRIUMPHO Mercurius* indigitavit, *DAVIDEM PRIMUM*, & *ROBERTUM BRUCE*. — Scotorum Monarchæ.

DAVID ergo *PRIMUS* ſæpè maximâ cum animi virtute, fortitudinequè bellicâ in ſeptentrionalibus *Angliæ* partibus afflixit *Anglos*.

At *ROBERTUS BRUCE* maximam, quam unquam ab orbe conſtitutô *VICTORIAM* retulerint *SCOTI*, reportavit ab *Anglis*, ducente *Rege Edwardô ſecundô* trecenta bellatorum millia, nempe centum & quinquaginta equitum

millia, totidemquè peditum, quos tamen tùm prudentiâ, tùm fortitudine cum exercitu modicô, cæsis illorum quinquaginta millibus, *ROBERTUS BRUCE* profligavit, fugavitquè.

Hyberniæ Dynaſtæ.

Duos ſimiliter ex *Irlandiâ principes*, nec animi magnitudine nec virtute bellicâ ſuperioribus inferiores *Deorum interpres* oſtendit, primum *DERMITIUM*, alterum *ONEALUM*: & inter utrumque *RICHARDUM Anglum.*

DERMITIUS ille eſt, qui cùm *Hybernia* multis à *Regulis* ſe invicem hoſtilibus armis appetentibus regeretur, *Rexquè Dublini DERMITII* pater non eſſet ſufficiens ut aliis omnibus *Hyberniæ Regulis* ſolus obſiſteret, *DERMITIUS* inquam, navigavit in *Angliam* ad annum *Chriſti* milleſimum centeſimum ſeptuageſimum primum, unde multos præſtantiſſimos valentiſſimoſque juvenes ſecum abduxit in *Irlandiam*, quorum auxiliô cum generoſiſſimus fortiſſimuſquè juvenis ſuos ſuperaſſet hoſtes, muneribus divitiiſquè auctos retinuit in *Hyberniâ*, qui cùm amicos ſuos ad ſe vocaſſent ex *Angliâ*, viderentquè ſe ſufficientes ut illic imperare poſſent, ſi ſibi dux aliquis ſtrenuus adeſſet,

Hunc *RICHARDUM Angliæ Nobilem, Comitemquè*, ad ſe in *Hyberniam* advocant, qui claſſe vectus illuc contra voluntatem mandatumquè *Regis Henrici ſecundi*, cum multis ſequacibus, atque cum iis junctus qui præſtolarentur adventum ipſius, cum inaudita fortitudine *Dublinum Irlandiæ caput* impetu primô capit: quô viſô *Reguli* cum illô fœdus & amicitiam ineunt. Cujus rei *Zelotypus Henricus ſecundus Angliæ Rex*, quòd ſubditus ipſius *Richardus* factus eſſet *Hyberniæ Dynaſta*, hancque ſibi contra ſuum mandatum præripuiſſet gloriam, omnia quæcunquè tunc *Richardus* habuit in *Anglia*, habuit autem plurima, ſuum in fiſcum redigit *Henricus*, multaſquè intentavit *Richardo* minas, niſi traderet ipſi *Dublinum*, & omnia quæcunque illic acquiſiviſſet per ſuos *Angliæ* ſubditos loca munita; *RICHARDUS Regem* audiit, qui vectus illuc cum ingenti claſſe annô *Chriſti* milleſimô centeſimô ſeptuageſimô ſecundô, accepit ab eôdem *Richardô* tùm *Dublinum*, tùm multa alia loca munitiſſima. Quod cernentes loci accolæ, *Henrico ſecundo* ſe dedidêre, qui inter *Angliæ Reges primus fuit Hyberniæ Dynaſta*, quæ poſtmodum ſub *Henricô octavô* non ampliùs *Dynaſtia*, ſed *Regnum* ad annum *Chriſti* milleſimum quingenteſimum trigeſimum quintum habita fuit: Ab omnibus enim ordinibus *Hyberniæ* ad tempus illud in *Comitia* ſimul convenientibus *Henricus octavus Angliæ Rex* ab illis omnium conſenſu *Rex Hyberniæ, primus Anglorum* declaratus eſt.

ONEALUS autem hic fuit *Hybernorum omnium fortiſsimus*, nam ille in *Ultoniæ* provinciâ, contra quatuor provincias alias *Irlandiæ*, multoſquè valentes, numeroſoſquè *Anglorum* exercitus fortiter obſtitit, quorum tres virtute pluſquàm ordinariâ profligavit, multumquè ſine dubiô procreaſſet *Anglis* in *Hyberniâ* periculi, niſi proditoriè ſuô in caſtellô tandem jugulatus eſſet.

Hiſpaniæ Reges.

Hiſpaniarum Reges duo cum maximâ gravitate præ cæteris OLIVARII POMPAM comitantes ſignavit *Mercurius*.

ALARICUM duntaxat *Pannonium Regem Weſtogothorum*, cui *Honorius Imperator virtutis* ergo *Regnum Hiſpaniarum* priùs à *Romanis* gubernatum, poſſidendum aſsignavit ad annum *Chriſti* quadringenteſimum undecimum, licet huic *Athanaricum* aliqui præponant annô *Chriſti* trecenteſimô ſeptuageſimô tertiô.

Huic comes in POMPA FERDINANDUS TERTIUS erat, qui tùm prudentiâ,

tiâ, tùm fortitudine, tùm fœlicitate non vulgari *Saracenis Hiſpaniam* ferè omnem eripuit.

Planos item Olivario fecit Emanuelem Magnum, Joannemque Tertium Emanuelis filium, *fortiſsimos Luſitaniæ* Reges. Luſitaniæ Reges.

EMANUELEM à rerum ab eô geſtarum magnitudine Magnum appellatum.

JOANNEM, qui permultas eaſquè inſignes variis in locis de *Indis VICTORIAS*, & præſertim in *regno Cambaïæ* reportavit.

Ex *Germaniæ regnis*, *Sueciâ*, *Daniâ*, *Norvegiâ*, *Bohemiâ*, *Hungariâ*, virtute bellicâ præſtantiores, qui *TRIUMPHVM* comitarentur, *Mercurius* edocuit. Germaniæ Regna.

Primus erat Gustavus ille Magnus *Sueciæ* Rex, qui nuper exiguâ militum manu *Germaniam* ferè totam, reportatis plurimis maximiſquè ex *Cæſarianis* Victoriis debellavit, cui ſi fata paulò diutiùs vitam annuiſſent, *Imperium* ſine dubiô *Germanicum* in *Sueciam* tranſtuliſſet. Sueciæ.

Socius huic erat Sueno *Danorum, Dacorum, Norvegiæ Cimbrorumquè* Rex virtute bellicâ ſuperiore nequaquam inferior, qui ſuorum exercitu invaſit *Angliam*, coegitquè *Ethelredum Anglorum* Regem, acceptâ maximâ clade, ad *Richardum Northmannorum Ducem*, cujus ſororem conjugem habuit, cum liberis aufugere, unde factum, ut *Danorum* Rex Sueno, ac poſt illum ipſius poſteri per annos triginta potitus ſit *Angliæ* totius *Imperiô*. Daniæ & Norvegiæ.

VLADISLAVS Bohemiæ Princeps à *Fridericô Oenobardô*, ſeu *Barbaroſſâ*, principe omnium generoſiſſimô, ob ipſius egregiam in *Mediolanenſes Italoſquè* fortitudine martiâ navatam operam *Bohemiæ* Rex creatur, atque *rubri leonis bifurcatâ caudâ inſigni regiô*, quadringentis abhinc & nonaginta quinque annis donatur. Bohemiæ.

Huic addita eſt Valascha *Bohemorum* virtute bellicâ clariſſima *Regina*, quæ cum mulieribus *Bohemis* arreptis armis in viros inſtructâ acie pugnavit, præliô què ſuperatos omnes interfecit, excuſſôquè virorum principatu, fœminas omnes aſſeruit in libertatem, quæ *Amazonum* ad inſtar in *Bohemiâ* per multos annos ſine viris imperarunt.

Stephanus autem hic *Hungarorum* Rex *primus*, vir fortiſſimus æquè ac bellicoſiſſimus *Hungariæ regno* ſexcentis quinquaginta quinque abhinc annis dedit initium. Hungariæ.

Alterum & *Hungariæ* celeberrimum animi magnitudine *Rectorem* Hunniadem *Mercurius* præ cæteris indicavit Olivario, quamvis enim neque nobilis neque ex generoſâ familiâ natus hic eſſet, nunquam tamen illum ad *Regni* gubernationem ſuſcipiendam impedire potuerunt, neque *Principes*, neque *Nobiles* omnes *Hungariæ*, Hunniadem enim invitis omnibus ad ſupremam *Hungariæ* dignitatem Bellatores omnes evexerunt, qui rebus à ſe præclarè geſtis omnium ætatis ſuæ *Principum* nobiliſſimus evaſit, tàm multis autem cladibus affecit *Turcas*, ut meritò *Chriſtianorum* Clypeus fuerit appellatus, quiquè moriens teſtamentô ex ſuâ ipſius pelle *Tympanum* fieri decreverit, ad cujus ſonum *Turcarum* audaciſſimi terrerentur.

Monſtravit & Olivario *Mercurius* tres fortitudine bellicâ præſtantiſsimos *Poloniæ* Reges. Poloniæ Regnum.

Primum Boleslaum *Poloniæ* Ducem generoſiſsimum, *cui* Regiam *dignitatem Otho* Cæſar *& immunitatem tribuit*, unde *Polonia* tunc primùm in Regnum ad annum *Chriſti* milleſimum erecta fuit.

Deinde

Deinde *CAZIMIRUM MAGNUM* nec non *SIGISMUNDUM Poloniæ* Reges invictiſſimos aperuit, qui tot hoſtium ſuorum numeroſos ſtrenuè deleverint exercitus.

Imperatores Africæ.

Aderat & hìc *ANNIBAL Pœnorum* omnium fortiſſimus, *Carthaginenſium Imperator*, qui ſi *VICTORIAM* ſuam ſecutus eſſet, non in orbe terrarum ſui ſimilem *Imperatorem* unquam habuiſſet. Hic igitur *Gallos* ad *Rhodanum* ſuperavit, pervias *Acetô* fecit *Alpes*, multas expugnavit urbes, multos *Romanorum* fortiſſimos delevit exercitus, ſed præſertim *Paulum Æmilium*, & *Terentium Varronem Conſules* vicit apud *Cannas*, cæſis peditum *Romanorum* quadraginta millibus, *Equitum* verò duobus millibus, cum ſeptingentis.

AMILCAR pater *Annibalis* cùm fortitudinis gloriam inter *Africanos* ſecundum *Annibalem* filium, primam ex orbis totius judiciô atque ex rebus ipſius geſtis, tùm in *Romanos* tùm in alios mereatur, propterea & OLIVARII *TRIUMPHO* hunc interfuiſſe de jure *Mercurius* aperuit.

Ægyptiorum Monarchæ.

Ægyptiorum Reges duos omnium, qui fuerint in *Ægyptô* bellicâ laude maximè conſpicuos, *Mercurius* idem OLIVARIO demonſtravit, *Seſooſim*, & *PTOLOMEUM LAGI*.

SESOOSIS vel *SESOSTRIS Ægypti Monarcha* regum omnium *Ægypti* fortitudine nemini ſecundus, vicit *Arabiam*, *Africæquè* meliorem partem, *Aſiamquè* ferè totam ſubegit: Tranſiit & in *Europam*, aliquotquè Regiones illic ſibi ſubjecit, ſed annonæ difficultate preſſum *VICTOREM* reduxit exercitum, *VICTORIARUMQUE* ſuarum *Thraciam* terminum habuit, hic ſuô in curru vectus à quatuor *REGIBUS* trahi ſolebat, ſequè propter VICTORIAS, REGEM REGUM, DOMINUMQUE DOMINORUM appellabat.

Alter *Ægypti Rex PTOLOMEUS* rerum geſtarum gloriâ præſtantiſſimus, ex *bellicoſiſſimis ALEXANDRI MAGNI Principibus* unus, à quô cæteri deinceps *Ægyptiorum* Reges *Ptolomei* quatuordecim videlicet ad uſque *Cleopatram*, quæ cum *ANTONIO* periit, nominati fuêre.

Hìc ſubgeſſit OLIVARIO *Mercurius*, ut cum ſuô ſapientiſſimô conciliô ſtatuat, omnes poſthâc ſupremos *Angliæ* rectores OLIVARIOS appellandos, quemadmodum ab hôc *Ptolomeô* ſucceſſores ipſius *Ægypti* Reges *Ptolomei*, prædeceſſores verò *Pharaones* omnes dicti ſunt; qualiter ab *Arſace Parthorum* Rege nominati ſunt per multa ſecula ſequentes eorumdem Reges omnes *Arſaces*; Qualiter ab *Juliô Cæſare* & *Auguſtô* omnes *Imperatores Romani*, tùm *Cæſares*, tùm *Auguſti*, ad hodiernum uſque diem vocitantur. Præterea ſuaſit *Angliæ* nummos, præſertim aureos dicendos OLIVARIOS, ut Numi, *Philippi*, *Alexandri*, *Alberti*, *Jacobi*, *Caroli*, *Ludovici* aliorum principum nomiſmata nominata ſunt.

Othomannis cum Imperium

Turcarum Imperatores tres rebus præclarè geſtis celeberrimi hôc in *TRIVMPHO* ſimiliter viſi ſunt ab OLIVARIO, illos nimirum prodente *Mercuriô*.

Primus fuit *OTTHOMANNUS* obſcurô locô parentibuſquè agrariis natus, ſed virtute mirandâ, qui fundamenta *Turcici Imperii* poſuit ad annum *Chriſti* milleſimum trecenteſimum, eô prorſus tempore, quô *Albertus Auſtriacus Auſtriacam* inchoavit potentiam, incredibile dictu eſt, quantum per viginti octo annos, quibus præfuit, ſuum *Imperium* auxerit.

Alter fuit *AMURATHES Bajazethi* quinti nepos, qui majorum ſuorum omnium gloriam non modò æquavit, verùm etiam longè ſuperavit. Prima ejus expeditio fuit in *Myſorum Principem*, cujus vi cepit urbes, filiiſquè oculos eruit ductâ in uxorem ejus filiâ, in *Valachos*, *Hungaros*, *Germanos* graves fecit excurſiones, *Epiri regnum* occupavit expugnatâ metropoli *Croiâ*, *Theſſaloni-*

cam

cam *Venetis* ademit, duplici pugnâ fregit *Hungaros*, *Vladiſlaô Rege* cæſô, & *Julianô Cardinale*, multis deſideratis *Principibus*, *Nobiliſque*, præter gregarium militem: *Peloponeſum* ſive *Achaiam* in ditionem ſuam adjunxit.

Tertius fuit, ejus filius *MAHOMETES* SECUNDUS, cognomentô *MAGNUS*, cujus res geſtas explicare longum eſſet, inquit *Mercurius*. Is enim duo *Chriſtianorum Imperia*, *Conſtantinopolitanum*, & *Trapezuntinum* ſubvertit: *Regna* duodecim *Chriſtianis* ademit: Ducentas urbes *Chriſtum* colentes expugnavit: *Calcidem* inſulam & *Scodram Venetis* extorſit: *Capham Ponticam* maximi momenti civitatem vicepit, *Italiæ*, captô *Hydrunte*, arma intulit. Unde per hoc *Imperium* inquit *Mercurius*, privati ſunt *Romani* *Cæſares* *Ægyptô*, *Syriâ*, *Aſiâ*, *Africâ*, *Græciâ*, optimâquè *Europæ* parte.

Viſi ſunt & hìc duo præſtantiſſimi *Hieroſolymæ Reges*, nempe *GODEFRIDUS BULIONIUS Lotharingiæ Princeps*, & *RICHARDUS PRIMUS Rex Angliæ*. Hieroſolymæ Reges.

GODEFRIDUS bellicam ob fortitudinem electus *Chriſtianorum* exercitus *Imperator*, in terram, à *Chriſtianis* vocatam Sanctam, profectus eſt, quem præſtantiſſimi quique principes ex *Galliâ* comitati ſunt. Hic annô *Chriſti* milleſimô nonageſimô nonô poſt triginta dies obſidionis potitus eſt urbe *Hieroſolymitanâ*, *Rexquè* creatus eſt ab omnibus *Chriſtianis*, qui *recuſavit aureô coronari diademate*, quòd *Chriſtus* illic SPINEA REDIMITUS FUISSET CORONA. *Hieroſolymitanum* itaque *Regnum* tenuerunt ab eô tempore *Chriſtiani* per octoginta octo annos, ad tempora *Friderici Oenobardi* duntaxat, ſequè propterea *Lotharingiæ duces* ſuis in titulis HIEROSOLYMÆ REGES etiamnum appellare ſolent.

RICHARDUS PRIMUS Angliæ Rex animi magnitudine clariſſimus plurima Regiæ virtutis indicia in expugnandâ *Ptolemaide* ſignificavit. Hic autem *Hieroſolymitani Regni* permutatione, *Cypri Regnum Guidoni Luſignano* vendidit, quod eouſque ſervarunt ejus poſteri, quoad *Veneti*, licet GALLI ſuum eſſe *Cypri Regnum* contenderent, cùm *Luſignanus Borbonius* eſſet, quorum ultimô ſine liberis mortuô, ad Reges *Galliarum* ſine dubiô pertinuit hæreditas, illic imperarunt inquam VENETI, à quibus *Regnum* idem *Cypri Turcæ* rapuerunt. Ex hâc porrò commutatione factum eſt, ut *Angliæ Reges Hieroſolymitani Regni* titulum aliquandiu geſſerint.

Propoſuit hôc & in TRIUMPHO *Cyllenius*, duos *Epirotarum Reges* Nobiliſſimos, quibus, tùm animi magnitudine, tùm fortitudine bellicâ, tùm rebus præclarè geſtis, nemo præſtantior unquam fuerit, PYRRHUS, videlicet atque SCANDERBEG. Reges Epiri.

PYRRHUS autem hic fuit, qui nihil aliud quàm orbis totius meditaretur IMPERIUM, innumeris clarus VICTORIIS, qui cum exiguâ militum manu fortiſſimos *Romanorum* fregit exercitus, quique de ſuis conquereretur VICTORIIS, quòd non forent incruentæ, neque ſine ſuorum jacturâ, unde cum ſemel tria ſuorum millia deſideraſſet obtentâ in *Romanos* inſigni VICTORIA, exclamavit de ſe prorſùs actum iri, ſi ſemel adhuc ſibi *Romanos* vincere contingeret, iſquè idem PYRRHUS eſt, qui vulneratus in prælio cum *Mammertinis* ab hoſte mole giganteâ, nec non Cataphractô, ſingulari certamine provocatus eſt, quem cum tantô calore Martiô gladiô percuſſit ad caput PYRRHUS, ut corpus ejus à ſummô ad imum duas in partes ſciſſum hinc inde ſtupendô prorſus fortitudinis miraculô dilaberetur.

Porrò SCANDERBEG ſi non PYRRHO ſuperior, at certè nequaquam inferior eſt neque prudentiâ, neque fortitudine animi, corporiſquè, neque rebus à ſe

geſtis; Hic enim decem armatorum millibus inſtructus ſuum *Epiri Regnum* recepit à *Turcis*, in quem pugnaturus *Amurathes* ille bellicoſiſſimus, qui ſe quietis gratiâ poſt innumeras *VICTORIARVM* laureas in *Monaſterium Mahometis Turcicum* recepiſſet, ex Monachô iterum *Imperator* in *SCANDERBEG*, ſed fruſtrà movit, huic enim præ triſtitiâ, & indignatione mortem attulit *SCANDERBEG*, cùm videret *Amurathes* ſuas omnes à tàm exiguis copiis marceſſere laureas, innumeros ſuorum exercitus ab illô nihili fieri, continuoquè debellari. Neque enim verebatur *SCANDERBEG* decem armatorum millibus inſtructus, manus cum ducentis hoſtium millibus conſerere. Ille denique *SCANDERBEG* eſt, qui *Mahometi ſecundo* potuit obſiſtere, cujus plurimos deleverit exercitus, à quô tandem tantus Monarcha pacem expoſcere coactus eſt. Hic præterea duos per medium corporis, gladiô communi ſimul & ſemel unicô tantùm ictu quatuor in *PARTES* æquales diviſit.

Athenienſium Imperatores.

Tres *Athenienſium* erant hìc *Imperatores*, quos an *prudentiâ* an *fortitudine* majores eſſent dubitavit *Mercurius*.

Primus *MILTIADES* plurimis nobilitatus *VICTORIIS*, quiquè vix decem millium *Athenienſium* exercitu, ſexcenta *Perſarum* millia *Marathonis* in campis profligavit.

Secundus *THEMISTOCLES*, cujus fortitudini prudentiæquè dant eam *Græci* gloriam, ut *Græciæ* totius quinque *Xerxis* bellatorum millionibus appetitæ liberator, conſervatorquè per *excellentiam* ſolus extiterit.

Tertius *ALCIBIADES*, cujus prudentiæ, fortitudini, humanitati, fœlicitati ſuum debuerunt in *Græcos Imperium Athenienſes*: Cujus exiliô tùm *Athenienſis Imperii*, tùm libertatis jactura tribuenda eſt.

Laconum Reges.

Apparuerunt & hic *Laconum Reges* duo, qui caſus omnes humanos virtute ſuâ ſemper inferiores duxêre.

Alter eſt *LEONIDAS*, qui ad *Thermopilas*, ſeu *Græciæ fauces*, ſolis trecentis Laconibus per multos dies *Xerxis* detinuit exercitum, tàm multis *Perſarum* millibus occiſis, ut *Xerxes* ipſe licet millionibus armatorum circumdatus ter fugam meditatus ex ſoliô deſilierit.

AGESILAUS alter, licet ſtaturâ parvus, clauduſquè, ſuperiore tamen non minor animô, *Phrygiam* captis civitatibus illius deripuit. *Tiſaphernis* numeroſiſſimum exercitum, ad *Pactolum* fluvium modicis inſtructus copiis fudit, fugavit, cæcidit, caſtris exuit, *Athenienſes Bœotoſquè* fregit, *Laconibus* ſummam gloriam, & in *Græcos* Imperium, multis variis in locis reportatis VICTORIIS, obtinuit, unde *MAGNI* cognomine meruit appellari.

Thebanorum Imperatores.

Thebanorum duos *Imperatores* ſuperiorum nemini cedentes, præ cæteris indicavit OLIVARIO *Mercurius*, cùm totô hôc in TRIUMPHO neminem magis ſtrenuum eſſe putaret.

EPAMINONDAM igitur PELOPIDANQUE cum admiratione non mediocri diu ſuſpexit OLIVARIUS. Hi enim duo *Thebanorum* exercitu modicô, qui pro imbellibus ſemper eſſent habiti, duas inſigniſſimas, præter alias multas non tanti momenti, VICTORIAS à *Lacedæmoniis* ad *Luctra* nec non *Mantineam* retulêre, illiſquè qui tunc *Græciæ* totius Imperium obtinerent, eripuit: quiq; toti terrarum orbi propter ſuam fortitudinem, animoſquè invictos terrorem incuterent, atque magno regi multas *Ageſilaô* ductore terras ademiſſent. Hi duo igitur *Imperatores* propter afflictam, tàm fortem, potentemquè Nationem, quæ ſemper victrix glorioſaquè fuerat, orbi toti fuerunt admirationi: Cum præſertim ante ipſorum ætatem *Thebani* ſemper alieno paruiſſent *Imperio*, & poſt interitum eorumdem, priſtinam in ſervitutem revoluti eſſent, adeò ut

mani-

manifeſtum ſit, gloriam *Thebanam* cum iſtis natam & extinctam fuiſſe, *Thebanis* enim *Græciæ* totius *Imperium* hi martii duo viri ſuô tempore conſecuti ſunt.

Principes Alexandri Monarchiam inter ſe dividunt, fruntque Reges.

Mercurius oſtendit & OLIVARIO globum *Principum Alexandri* ſpectatorum fortitudine bellicâ, rerumquè geſtarum gloriâ clariſsimorum, quos inter *Alexandri Monarchia* diviſa fuiſſet. Inter illos autem fuêre præcipui,

PERDICAS, Monarchiæ Macedonum procurator.

PTOLOMEUS Lagi, qui ordine priori deſertô, ſe ſuis adjunxerat, cuiquè data fuit *Ægyptus.*

PITHO nemini principum *Alexandri* virtute ſecundus, aut gloriâ, cui *Media* obtigit.

SELEUCUS Syriâ gaviſus eſt.

EUMENES Paphlagoniam, Cappadociam, vicinaſquè regiones accepit.

ANTIGONVS, cui obvenit *Pamphylia, Lycia,* & *magna Phrygia.*

CASSANDER poſſedit *Cariam.*

MELEAGER Lydiam.

LEONATVS Phrygiam ad *Helleſpontum.*

LYSIMACHVS Thraciam habuit, cum vicinis ad *Ponticum* mare gentibus.

ANTIPATER potitus eſt *Macedoniâ* cum finitimis populis.

POLYSPERCHON Regum Curator extitit.

Quorum omnium primus *VICTORIIS* inflatus *ANTIGONVS, diadema* ſibi impoſuit, ſequè deinceps *Regem* appellavit; *DEMETRIO* quoque filio bellicoſiſſimo huic eundem conceſſit honorem. *PTOLOMEVS LAGI* cinxit & *Diademate* caput. Reliqui *principes* horum exemplum ſecuti ſunt, ſequè *Reges* omnes appellarunt, *SELEVCVS, CASSANDER, LYSIMACHVS, cæteri.*

Quos hic *AGATHOCLES* æmulatus, anteà *figulus*, ſuperioribus tamen bellicâ virtute nequaquam inferior, ſupremus *Siciliæ* moderator, etiam *REGIS* nomen uſurpavit, ſuperioribuſquè ſe eam ob rem adjungit.

Tartarorum Imperium.

Adfuerunt & in OLIVARII *TRIVMPHO* duo celeberrimi omnium *Tartarorum Imperatores.*

Primus *TAMBERLANES*, qui *VICTORIARVM* multitudine clariſſimus extitit, ſed illius præſertim, cùm cæſis ſemel ducentis *Turcarum* millibus *Bajazethem* quintum, captivum, incluſumquè ferreâ caveâ ſecum ſemper deduxit.

Alter eſt magnus ille *Tartarorum Imperator THEINMINGVS*, qui ſeptem abhinc annis nuper muri trecentarum Germanicarum leucarum longi, *Sinaſquè* à *Tartariâ* dividentis, quem *Sinarum* præſidiariorum militum decies centum millia continuò ſervabant, muri inquam proſtratâ parte, in *Sinas* irrupit, vaſtiſſimumquè illud *Imperium* ille ſuiquè per ſeptem ultimorum annorum ſpatium ſubjugarunt.

Amazones Scythicæ.

Sed OLIVARII multùm detinuerunt oculos *AMAZONVM SCYTHICARVM* ad *Tanaim Thermodoontemquè* fluvios *Reginæ* quatuor non modò formâ præſtantiſſimæ, ſed etiam viribus viris æquales, animôquè.

MARATHESIA & *LAMPEDO*, quæ majorem *Europæ* partem *Heroicâ* fortitudine ſuperarunt.

PENTESILEA, quæ *Trojanis* in auxilium accedens, maximam *Græcorum*, virili pluſquàm fortitudine ſtragem edidit, tandemquè ab *Achille*, à quô ſolô ſuperari poterat, occiſa eſt.

HIPPOLYTE Herculi par animô virtutequè, à quô ſolô inſtructâ pugnans acie domari potuit.

Eâdem

Orientales Reges aliquot.

Eâdem in *POMPA Reges* inter innumeros quî *TRIUMPHUM* comitarentur aliquot insuper *Mercurius* ostendit.

Pontic

MITHRIDATEM animosissimum, fortissimumquè *Ponti Regem*, qui duarum & viginti *gentium* ore loqueretur, qui *Nicomedem Bithyniâ*, *Ariobarzanem* expulit *Cappadociâ*, *Græciam*, *insulasquê* vicinas omnes, exceptâ *Rhodô*, subjugavit.

Armeniæ.

TIGRANEM Armeniæ, invictum animô licet, re ipsâ tamen victum à *Romanis*.

Parthiæ.

ARSACEM Parthorum Regem invictissimum, qui ob *Regnum* à se magnâ virtute constitutum, meruit, ut ipsius posteri *Parthorum Reges ARSACES* omnes dicerentur.

Lydiæ.

CROESUM *Lydiæ* pariter magnanimum.

Mediæ.

Mediæ CYAXAREM, qui primus *Asiæ* populos in Provincias distinxit, primus in suum quemque ordinem milites distribuit, hastatos, sagittarios, equites, cùm priùs omnia promiscua essent atque implicita, omnemquè trans *Halim* martiâ virtute sibi subjecit *Asiam*.

Indiæ.

Indiæ PORUM, qui superioribus omnibus neque animô neque fortitudine fuit inferior.

Dynastæ inferioris Germ.

A *Mercuriô* similiter indicati sunt inferioris *Germaniæ bellicosissimi* plurimi *Dynastæ*, *CAROLUS AUDAX*; *LAMORALDUS HÆCMUNDANUS*; *PRINCEPS ARAUSIONENSIS*, *ARNOLDUS DE GAND*.

CAROLUS DUX BURGUNDIÆ potentissimus, bellicosissimusquè cum *Rege Gallorum Ludovicô undecimô Helvetiisquè* pugnans, plurima virtutis audaciæquè militaris signa, & præsertim ad *Nanceium Lotharingiæ Metropolim*, ubi & occisus est, posteritati reliquit.

LAMORALDUS HÆCMUNDANUS, hic est ex *Germanorum regum* prosapiâ, qui duas insignissimas *VICTORIAS Heroicâ* plusquàm fortitudine retulit à *Gallis*, cæsis multorum ex illis millibus. Quique quòd Ducatum suum *Gueldriæ*, mortuô quippe cognatô suô *Carolô Hæcmundanô Duce Gueldriæ* sine prole masculâ sibi donari petivisset, *Philippi secundi Regis Hispaniæ* jussu, per ingratitudinem plusquàm belluinam, inauditamquè *Barbariem*, prætextâ *Religionis* larvâ, quòd favere diceretur inferioris *Germaniæ* protestantibus, capite proditoriè damnatus est.

Princeps ARAUSIONENSIS hic est, qui *Batavis* Principium authorquè libertatis liberiquè status fuit, dum suâ prudentiâ, nec non bellicâ virtute, multas eripuit ab *Hispanis* civitates, fregit ipsorum exercitus, multaquè extruxit in illos loca munitissima, externaquè in eosdem adscivit auxilia.

ARNOLDUS DE GAND Gandavi vicinarumquè circa Regionum *Dynasta* potentissimus pariter ac fortissimus, septingentis abhinc annis etiam *Hollandiæ* comitatum per matris obitum possedit, per suam aviam autem *Lietgardam Arnoldi magni comitis Flandriæ* filiam ejus Dominiis maxima facta fuit accessio, hic tantâ fortitudine, potentiâquè præditus est, ut ab *Austrasiæ* Principibus variis non parvas retulerit *VICTORIAS*, cumquè me videret *Mercurius* coronam in OLIVARII caput ponè sursum è Regione sustinentem, aperuit hunc *Arnoldum* è Prædecessoribus meis unum esse. Quod quemadmodum animadverti, non parùm arrisit OLIVARIO.

Variarum Nationum maximi Ducet.

Ad extremum diversarum nationum simul innumeros, sinequè ordine temporum, locorum, dignitatum, Bellatores *animosissimos, acerrimos, robustissimos, maximequè strenuos demonstravit* OLIVARIO Mercurius, *inter quos quantum recordari possum, fuêre* Trojanorum *fortissimi* Hector & Æneas: *Præstantissimi* Græcorum Achilles, Telamonius *Ajax*, Diomedes. *E* Romanis *trecenti & u-*

num

nus Fabii. *Frater* Annibalis Aſdrubal. Brennus Senonenſis Gallus *qui in* Italiam *irrumpens ingenti clade* Romanos *affecit, primuſquè* Romam *cepit.* Ariſtomenes Meſſeniorum Imperator *omnium præſtantiſsimus, cujus cor poſt ejus mortem piloſum hirſutumquè repertum eſt.* Camillus *quinquies* Romæ Dictator *prudentiſsimus, & fortiſsimus.* Pericles Athenienſis Imperator *acerrimus.* Coriolanus Romanorum *omnium fortiſsimus,* Mauritius Naſſovius Batavorum *æq; prudens ac ſtrenuus* Imperator. Paulus Æmilius Triumphis *clarus.* Marcellus Romanorum gladius. Marius *ſepties* Conſul, Imperator *fortiſsimus. Dux* Monmorenceus Gallicus Mars *alter.* Archithalaſſus *de* Coligni *fortitudinis inauditæ nobilis* Heros. Duces Dombale, du Maine, de Guiſe, *inviĉtiſsimi omnes. Quorum ultimus* Guiſiæ Dux, Mediomatricum *in* Imperatorium *exercitum* Caroli quinti *defendit,* Angliſquè Caletum *eripuit, poſtquàm illud per ducentos tenuiſſent annos.* Catilina *magnanimus ſupra modum.* Lyſander *inter* Lacedæmonas *non virtute poſtremus.* Maovenlungus *ductor* Sinenſis *exercitus excelſô invictôquè animô* princeps. Philopæmen Græcorum *ultimus.* Spinola, Tilly, Picolomeni, Valeiſten, Papenhen, Horne, *ſatis omnes virtute bellicâ noti.* Amavangus *prudentiâ, animiquè præſtantiâ clariſsimus* Tartarorum Imperator. *Harpagus exercituum* Cyri *præfectus æqualis* Cyro *animi magnitudine.* Montroſius Scotorum *fortiſsimus.* Eſſexius *uterque,* pater *qui in* Hyberniâ *nobiliſsimas retulit* Victorias, *filius qui ſæpè regios fregit in* Angliâ. Mareſcaldi De Poitrincour, De Biron, De la force, De Chaſtillon, De Guebrian, De Schombert, De Toiras, De Gaſcion, De Monmorenci, De Marillac. Auguſtinus Japonenſis *ſuperiorum nemini virtute bellicâ ſecundus.* Joannes Nothus Aureleanenſis *cum ſuâ* puellâ Aureleanenſi, *qui tùm prudentiâ tùm fortitudine pluſquàm ordinariâ* Franciam Anglis *eripuêre. Innumeros alios aliis admiſtos* bellatoreſquè *omnes præſtantiſsimos* OLIVARIO Mercurius *de mandatô* Martis *aperuit, cui cùm novus noſter* Heros *gratias habuiſſet, ad* Martem *ille ſine morâ ſe recepit. Aliquid inſuſurrarunt in aurem* OLIVARIO, Irlandiæ Prorex Irton, Archithalaſſus Angliæ Deane, *Tribunus militum in* Hiſpaniolâ Hains, *viri martii bellicoſiſsimiquè,* Hains *autem de ultimâ expeditione Americanâ multa novum Heroem edocuit.*

Sic autem eô totô tempore, quô *bellicoſos* ſupradictos notos faciebat OLIVARIO *Mercurius,* animum applicui meum ad ea quæ dicebantur, ut vix ad *TRIUMPHUM* attenderim. Memini tamen per dictum camporum æquor ter ductam ad OLIVARII *Thronum* in ſpiræ modum totam *TRIUMPHI POMPAM*: Cumquè vel *HEROES*, vel *BELLATORES*, vel alii quilibet, vicini fierent OLIVARIO, recordor inquam, illos omnes cum veneratione ſummâ, demiſſionequè plurimâ novum *HEROEM* ſalutaſſe, *NORTMANNIS Angliæ Regibus* exceptis, quos in ſalutatione ſuâ (quam denegare fas illis non erat, à *MARTE* videlicet imperatam) vidi paululùm caput avertentes, cùm ab OLIVARII thronô propiùs abeſſent.

Inter *Melodiam*, *Harmoniamquè* tot variorum inſtrumentorum *Muſicorum*, tàm diverſæ confuſæquè voces audiebantur, atque in *TRIUMPHANTIS* honorem tàm diverſa carmina, ut à Mercuriô petere præſumpſerim cùm ad nos rediiſſet, quid ſibi vellent tàm innumera, tamquè diverſa *BELLATORUM* tàm variorum idiomata, qui duobus hiſce verſibus reſpondit.

Vox diverſa ſonat, BELLATORUM eſt tamen una,
REGNET OLIVARIUS, *REGNET BRITANNICUS HEROS.*

Poſteaquàm autem inordinem à *MARTE* ſatis ordinata fuit *POMPA*, per portam *Londinenſem* vulgò dictam *Aldgate, Viſemonaſterium* uſque ducta eſt *POMPA*: Populis omnibus ad rei novitatem feneſtras, tecta, plateas civitatis

occupantibus, ducta est inquam *POMPA* per urbem cum eâ gravitate, majestate, lætitiâ, quæ nunquam antehac in *Angliâ* visæ fuissent, tapetibus stratis vicis omnibus per quos incedebat *TRIUMPHUS*, sicquè per totam *civitatem* cum omnium acclamationibus processit Olivarius ad usque *Visemonasterii templum* vulgò dictum *Abbatiam*, quod, è thronô descendens Olivarius, ingressus, *VERUM EXERCITUUM OMNIUM DEUM*, cui acceptæ ferri debent omnes *VICTORIÆ*, suarum omnium authorem coluit, veneratus est, adoravit, atque eidem supremo Numini gratiarum in actionem Trophæa omnia, *vexilla, signaquè* ab hostibus capta, quæ *TRIUMPHUM* ipsius ornaverant, variis in *Londinensis* urbis *templis, Aulisquè publicis* ad perpetuam rei memoriam jussit appendi.

His ita peractis cùm per *Mercurium* breviter gratias omnibus egisset Olivarius, *Cœlum* repetierunt *HEROES* cum *MARTE PALLADEQUE*, *Insulas Beatorum* adiêre *BELLATORES* ductore *Mercuriô*, Olivarius autem cum suô conciliô *Regiam* sunt ingressi, stationesquè suas exercitus; & quilibet tantò perculsus miraculô domum se recepit admirans.

Ego verò somnô, qui me complexus erat arctior, statim solutus sum, sed ita defessus, ut non modò mihi gravissimum caput esset propter intensissimam attentionem, ad ea quæ per visum acceperam, sed etiam mihi lassatæ plurimùm manus essent, & ita, ut in rei veritate ad quatuor dies insequentes vix illas erigere potuerim. Quod ut ingenuè fatear, mihi non solùm stuporem maximum peperit, sed etiam induxit ut mihi facilè persuaderem hoc visum meum à communibus somniis sine dubiô discrepare, propterea-què non indignum illud, conceptum licet in tenebris, quod in lucem ederetur, atque adeò in conspectum Olivarii prodiret, existimavi.

Tull. pro Ligur.

NIhil est magis honorificum, decorum, conveniens, insitum à naturâ victori Monarchæ, magisquè virô proprium, atque adeò necessarium, *BENIGNITATE*, clementiâ, mansuetudine, bonitate, moderatione, lenitate animi, humanitate, placabilitate, per quam distinguantur à brutis homines, atque ad *Deos* ipsos accedere quàm proximè videantur.

Valer. Hierogl. l. 53. c. 8.

Unde nihil in hôc miror quid sit, cur *Superi* sua *Deorum* ex *Oleâ* fabricari simulachra decreverint, ut ea scilicet mansuetudine, cujus symbolum est

Olea,

Olea, *benignitatequè* quâ ſunt ita præditi *Superi*, ut ex illâ toti compoſiti ſint, ad unguem quoad fieri poſſit, referre valeant. Propterea *Deorum* omnium *Jupiter optimus maximus*, ferè ſemper *Oleâ* coronari voluit, ut eâ ratione, manſuetudinis, clementiæ, *benignitatiſquè* recordaretur, atque ita manum armatam fulmine contineret, nam Phurnut. de Imagin. deor.

Si quoties peccant homines ſua fulmina mittat
Juppiter, *exiguò tempore inermis erit.* Ovid. de triſt. l. 2.

Quod conſiderans longè prudentiſſimus Nobiliſſimuſquè *Rex Hiſpaniarum Philippus tertius*, *Jovem* æmulari voluit, ſiquidem *Monarchâ Dei ſit Imago*, hicquè *Dei vicem gerat ex Ambroſiô*, quem & agnoſcat *Philoſophorum princeps Ariſtoteles veluti Deum inter homines*, ὥσπερ θεὸν ἐν ἀνθρώποις. *Jovem* igitur rectè, atque ut par erat æmulatus eſt ſuprà laudatus *Philippus*, nam cùm in capite *Jovis Oleæ ſertum*, atque in ejuſdem manu *fulmen* animadvertiſſet, in inſigne ſuum utrumque ſibi delegit, *fulmen* ſcilicet, & *Oleæ ramum* cum hâc Epigraphê generoſâ, dignâquè *Monarchâ* quôlibet, *IN OPPORTUNITATE UTRUMQUE*. Nam per *Oleam* populis ſuis clementiam, *BENIGNITATEM*, manſuetudinem, humanitatemquè omnem adpromittebat; per *fulmen* autem indicabat, quòd ſi bonitate regis populus abuteretur, quòd per innatam ſibi clementiam *Jovis* ad inſtar, qui quaſi coactus utatur *fulmine*, nam *Diis* omnibus ad vindictam pedes laneos tribuerunt antiqui, quòd inquam, quandiu ſpem videret emendationis, punitionem tandiu differret, ſed ſi fruſtraretur, ſpe ſuâ, quòd ſine dubio *fulmen* evibraret. Ambroſ. in Paul. Ariſt. 3. Polit. Divin. & human. Symb. Typor. Vered imag. deor.

Non tàm prudenter *Jovem* contemplati ſunt *Monarchæ* duo, ut de ſimilibus innumeris fileam. *SALMONEUS* duntaxat, *CÆSARQUE CALIGULA*, nam primus ſolum in *Jove fulmen* animadvertit, quem ob id æmularetur, alter ſolam in eôdem conſpexerit *OLIVAM*, quem eapropter deſpiceret, proptereaquè cùm in utrôque *Jovem* imitari verè neſciret uterque, utrumque perdidit *Jupiter*.

Igitur mortalium omnium dementiſſimus *Rex Elidis SALMONEUS Jovem* imitari cupiens, ſolùm illius *fulmen* igneum aſpexit, at nequaquam ex *Oleâ* coronam, itaque princeps ſtultiſſimus atque ſupra modum inhumanus, qui *Deum optimum maximum*, cujus natura bonitas, *BENIGNITAS*, & clementia, crudelem lanium, carnificem, atque incendiarium, ſine ullâ ratione finxerit, *Deum* inquam *Jovem* imitari *SALMONEUS*, ſequè ſuis veluti *Deum* oſtentare cupiens, fabricatô æneô ponte ſublimi, adeò ut ille partem *Elidis* urbis deſuper veluti nubes aliqua tegeret, ſuper eôdem agitabat ad imitanda tonitrua currus, eumquè in quemcunquè jaculatus eſſet facem, ſine ullâ cauſâ protinùs interimi jubebat. Cujus inhumanitatem abhorrens *Deus* ipſemet, illum ad *inferos fulmine* verô deturbavit, de quô *Virgilius* elegantiſsimè. Abderic. l. de Imag. deor.

Vidi & crudeles dantem Salmonea *pœnas*,
Dum flammas Jovis, *& ſonitus imitatur* Olympi
Quattuor hic invectus equis, & lampada quaſſans
Per Graium *populos, mediaquè per* Elidis *urbem*
Ibat ovans, Divumquè *ſibi poſcebat honorem*,
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Ære & cornipedum curſu ſimularat equorum.
At Pater omnipotens *denſa inter nubila telum*
Contorſit, non ille faces nec fumea tædis
Lumina, præcipitemquè immani fulmine adegit. Virgil Æneid. 6

Quod ſi Salmoneus coronam Jovis Olragineam intuitus eſſet, ſine dubiô

biô *JOVEM* imitari volens, se totum ad clementiam, *BENIGNITATEM*, mansuetudinemquè composuisset.

Suet. in Calig. At solam in *Jove* contemplans *Oleam Caius Cæsar Caligula*, non imitari *Jovem*, sed se *Jove* præstantiorem arbitratus est, cùm enim in homines genus omne crudelitatis exercuisset, humanitate sic depositâ, ut exclamaret,

Senec. l. 3. de irâ c. 19. *Utinam populus* Romanus *unam cervicem haberet*, inquit *Seneca*, *ut scelera sua tot locis & temporibus diducta in unum ictum, & unum diem cogeret.* Cùm inquam adversus homines quidquid sibi libitum fuisset, perpetrare sibi licitum esse diceret ex eôdem *Suetoniô*, *OMNIA MIHI ET IN OMNES LICENT*, fas quoque sibi se parem majoremquè *Deô* facere putavit. Caius Cæsar

Id. l. 1. de irâ c. 16. *iratus* Cœlo, *quòd obstreperet* Pantomimis, *quos imitabatur studiosiùs quàm spectabat, quodquè commessatio sua* fulminibus *terreretur, ad pugnam vocavit JOVEM. Quanta dementia fuit? Putavit aut sibi noceri ne à JOVE quidem posse, aut se nocere etiam* Jovi *posse.* Quin & *Olympico Jovi Romam* delato caput abscidit, suumquè in illius locum suffecit, *Latialemquè* se

Suet. in Calig. *Jovem* voluit appellari, quam non hominis impudentem feritatem diù non est passus impunitam scelerum vindex *Deus*, nam paulò post à *Tribunis* suis triginta tribus confectus vulneribus interiit, dum ab illô signum juxta militiæ consuetudinem peterent, atque *JOVEM* dedisset, unde manifesta *Jovis*, hoc est *Dei* punitio patet, nam *Jovem* hoc est *Juvantem patrem Deum optimum maximum* venerabantur antiqui.

In libris Reg. Hebræorum. Quibus exemplis ita propositis, dicam quòd Reges populi sui Deus OLIVARUM *Oleô* voluerit inungi, unde *Christi* & *Messiæ*, hoc est uncti dicerentur, ut eâ ratione duntaxat in memoriam sibi revocarent, *BENIGNITATIS*, clementiæ, mansuetudinisquè populo demonstrandæ gratiâ, à Deô se primùm electos, Christosquè fuisse. Quin & sapienter *Pindarus* annotavit

Pind. od. 7. Olymp. apud antiquos ex *Oleâ* sceptra fuisse, quibus admonerentur cum mansuetudine non autem in virgâ ferreâ subditas à Deô sibi nationes regendas esse, nam ut suprà monui, semper ab omnibus (quibus innotuit) gentibus, *BENIGNITATIS* symbolum semper habita fuit *Olea*, quapropter ut omittam à Poëtâ jure meritô vocari mitem *Oleam*,

Ovid. Metam. 7 *Arenti ramô jampridem mitis* OLIVÆ
Omnia confudit.

Chrysost. de non committen. Eccles. Dei. Dicam ad rem nostram à *Chrysostomô*, quod ubi Reges accipiuntur à populis, in consuetudinem abiesse, ut homines Regibus iisdem ramos OLIVARUM protendant, κλάδους ἐλαίων τοῖς βασίλευσι, hancquè unicam addit ille rationem, quòd arbor *Oleæ* tùm misericordiæ, tùm humanitatis ἐλέου καὶ φιλανθρωπίας verissimum symbolum habeatur. Atque inde factum arbitror, licet aliquis

Thuanus hist. l. 17. casu fortuitô contigisse putet, *ut Carolus quintus Imperator* semper *Augustus, Hispaniarumquè Rex* maximus, ubi semetipsum ultrò, motu propriô, suâ sponte ac voluntate, animôquè libenti deposuit, sequè abdicavit omnimodâ potestate, Hæredemquè *Philippum* filium suum instituit, omniaquè regnandi jura in celeberrimis frequentissimisquè *Hispaniarum* comitiis transtulit in eundem, Inde factum inquam arbitror, ut ad *Pinciam* in OLIVETANA valle *Regiam* se potiùs quàm aliò contulerit, ibiquè commoratus fuerit aliquandiu, ut *Philippus secundus* OLIVETORUM tàm multorum consideratione, quorum in mediô *Regia* sita fuisset, mansuetudinis, quâ populos sibi commissos regere par esset, in suâ ad regnum institutione primariâ seriò diligenterquè ponderaret.

Atque utinam Reges omnes, Principes, Monarchæ vicina sibi semper haberent OLIVETA, quæ tùm eos ad mansuetudinem hortarentur continuò,

tùm

tùm ab inhumanitate, crudelitate, ferociâquè deterrerent.

Cùm autem *Neroni* mortalium omnium, ne dicam Imperatorum, crudeliſsimo, per annos plurimos immanem, feram, inauditamquè crudelitatem vicinum exprobraſſet OLIVETUM, tandem per inauditum anteà poſt hominum memoriam ab orbe conſtitutô *miraculum*, *prodigium*, *portentum*, *monſtrum*, ab ejus conſpectu ſe ſuſtulit, & alterum in locum, pluſquàm belluinam ejuſdem ſævitiam diutiùs ferre non valens, aufugit. Huc vos appello rerum *memorabilium* omnium, *Prodigiorum*, *monſtrorumquè* totius orbis Scriptores. Anne unquam poſt homines natos factum tale quidpiam vidiſtis, legiſtis, audiſtis uſpiam, aut aliquando? Certè non credo. Credo equidem, quod ſuprà retuli, tàm verum quàm quod veriſsimum, at ſimile quidpiam alterum uſquam aut unquam accidiſſe non credo. Sed quâ fretus authoritate dicet aliquis, rem adeò mirandam, quæquè fidem omnem ſuperare videatur confirmare putas. Huic aſſentior non modò, ſed etiam fidem facio ex circunſtantiis omnibus, quæ factum aliquod viris vel ſapientiſsimis perſuadere ſoleant, atque ut non ampliùs expectationem tuam oratione ſuſpenſâ tenere videar, lector benevole, ancipiti, dubiô, incertô, ſollicitô animô te diutiùs hærere non patiar. Enimverò monitum priùs te velim, ut ſedulò conſideratequè ſingula dicti facti circunſtantiarum omnium momenta perpendas & expendas, quas ubi factum propoſuero, cogitationi, contemplationi, animadverſioniquè tuæ permittam. Nil te moror igitur, conſule ſuper eâdem re naturalis *Hiſtoriæ* ſcriptorem *Plinium*, atque ipſiuſmet verba, prout jacent, hìc habe. *Super omnia quæ unquam audita ſunt, erit prodigium in noſtrô ævô* Neronis *principis ruinâ factum in agrô* Marrucinô, Vectii Marcelli *è primis* Equeſtris *ordinis* OLIVETO *univerſô viam publicam trangreſſô, arviſquè inde è contrariô in locum* OLIVETI *profectus*. Dum autem hoc *Plinii* teſtimonium æquâ ponderabis animi lance lector, ad opus inchoatum, longiùs interim noſtra provehetur oratio.

Plin. natural. hiſt. l. 17. c. 25

Quòd igitur Victores principeſquè, per *Oleam* indicata deceat clementia, manifeſtum etiam nobis apparet ex *Hercule*, qui ex *Oleâ* ſilveſtri *Clavam* factam habuerit τὸ ῥόπαλον ἦν κότινον, quâ nobis indicare ſine dubiô voluit magnanimus *Heros*, ut cum animi magnitudine, *Heroicâ* fortitudine, victoriâquè clementiam, manſuetudinemquè ſemper conjungendam eſſe doceamur, nunquamquè *Clavâ*, niſi quando neceſſarium prorſùs eſt, & non niſi coacti tandem utamur.

Pauſan. in Corinth. l. 2.

Atque hanc mentem fuiſſe *Rudolphi* nomine primi, *Germani Cæſaris* vigeſimi ſeptimi, à quô duxit originem potentiſſima domus *Auſtriaca*, mentem inquam hanc fuiſſe generoſiſſimi, fortiſſimi, victoriſquè plurimis glorioſiſsimi Principis hinc nobis apparet, quòd hic haberet in inſigne brachium armatum manu tenens ramum *Oleæ*, & *Clavam* decuſſatim junctam, cum epigraphê, *UTRUMQUE LUBET*, quaſi per hôc omnibus Imperii *Germanici* ſubditis ediceret, me totum ad nutus & ad voluntates veſtras fingam & accommodabo dilecti, quod ſi velitis humanitate regi, benevolentiâquè, en veſtris reſpondens *Olea votis*, manſuetudinem omnem, facilitatem, lenitatem, comitatem omnem adpromittit. Quòd ſi vos ita delectet ſeveritas, ut detrectetis Imperium, legibuſquè cum pervicaciâ nuncium remittatis, vobis à *Clavâ* cavendum eſſe denuncio.

Charion in Rudolpho anno Chriſti 1273.

Salomon Neuge Bavar. Heroic. Symb.

Non ex *Oleâ* ſylveſtri *Clavâ Commodus*, nec huic juncta uſus eſt *Oleâ* longè teterrimus omnium *Imperator*, qui penè crudelitate *Neronem* æquavit, de quô refertur ab iis qui veram ipſius vitam conſcripſerunt, eum ſe *Jovis* filium *Herculem* vocari voluiſſe, atquè ſibi quandoque *Leonis* pellem adaptaſſe

Herodian. l. 1. Suid. in commod.

armaſſequè *Clavâ* manus, quâ multos homines, cum immanitate pluſquàm belluinâ ludens interficeret, atque ut tanquam pro *Diis* pugnare videretur iiſdem crura anguium ad inſtar diſtorquenda curaſſe, *Clavâque Gigantum* corpora, ſic enim illos appellabat miſerandum in modum confregiſſe, quô factum eſt, ut à ſuis tàm immanem tàm inhumanam carnificinam abhorrentibus, volente *Deô* fauces ipſius, furciferi ad inſtar, laqueô fractæ fuerint.

Sed abeant in malam crucem hæc monſtra, quippequi fera potiùs quàm homines dicendi ſint. Magnanimos Principes iſtis valere juſſis adeamus.

Annales omnes Franc.

Habemus in noſtris *Galliarum* annalibus *Philippum Pulchrum* altiore prædituм animô *Principem*, qui cùm à *Bonifaciô Octavô Pontifice Romanô*, ſacrô devinctus, eſſetquè percuſſus anathemate, atque ab eôdem *Galliarum Regnum Alberto Auſtriaco Germanorum Imperatori* donatum eſſet, at quô jure diſputent *Sorboniſtæ*, Regiſquè ſubditi ab obedientiâ, jurejurandô, fidequè Regi præſtitâ ſoluti; Qui cùm eôdem tempore ab *Anglis* appeteretur tùm in *Linguadocô*, tùm in *Neuſtriâ*, duplici eôquè valentiſſimô exercitu; Qui & *Belgas* per idem tempus rebelles, armatoſquè ſentiret, quiquè præterea *Germanorum Imperatorem* haberet hoſtem; Cùm inquam, tàm innumeros hoſtes, tamquè potentes, ſibiquè tàm infenſos tùm domi, tùm foris *Philippus* agnoſceret, hoc in ſignum ſuæ μεγαλοψυχίας, μεγαλοθυμίας, μεγαλοφροσύνης, μεγαλογνωμοσύνης animi magnitudinis propemodum divinæ tantis malis, præſertim inteſtinis remedium hoc unum inquam invenit, ut inſigne ſuum, nudum videlicet gladium in *Oleæ* ramô pictum decuſſatim, palam exponeret, quod ei fœliciter adeò cecidit conſilium, ut plurimos *Oleâ* continuerit, reliquos verò ſic domuerit gladius, ut in omnibus quas reportavit *Philippus* victoriis, ab *Oleâ* nunquam ſeparatus fuerit. Hoc autem unum victoribus omnibus tanti Principis exemplô ſpectandum eſt, ut nunquam diſtrictum habeant gladium, quin eidem *BENIGNITATIS Oleam* adjungant. Victoreſquè *Romanos* in exemplum ſibi proponant:

Typot divin. & Human. Symb.

Juſt. Lipſ. comment. in Tacit.

Nam apud mortalium omnium tunc temporis maximè politicos *Romanos*, ne victores rebus præclarè geſtis elati, tandem humanitatis obliviſcerentur, ſtatim ab obtentâ victoriâ, quæ *Romæ* fuit ad *Circum maximum* à victore locabatur ædes *Herculis* OLIVARII; *Herculis* ædes, quaſi omnia alia ædificia indigna forent eô, qui penè par eſſet *Herculi* fortitudine; *Herculis* ædes OLIVARII, quia victori neque de die, neque de nocte nullum prorſùs opponi debet objectum quod non eidem *Herois* maximi fortitudinem OLIVARIAM, *BENIGNAM*, clementemquè continuò prædicare poſſit.

Quamobrem ne ſe longiùs *BENIGNITATIS* ramus iſte propaget, principibus author ſum, Victoribus autem præcipuè, ut hanc illi pareneſin, monitionemquè meam æqui boniquè faciant, eâdemquè ſibi conſulant proſpiciantvè. Suadeo enim, ut ſuos erga ſubditos, vel utantur moderatione, vel ut eorum ſenatum ſive comitia ſoli ſine lateronibus nunquam ingrediantur, nam & primo *Romanorum* Regi, *Romæquè* fundatori *Romulo*, & primo *Romanorum Imperatori Julio Cæſari*, licet invictiſſimis, propter inhumanitatis tamen ne dicam *Tyrannidis* ſuſpicionem, violentæ mediô in *Senatu* manus allatæ ſunt.

Audi quid de *Romulô* dicat rerum *Romanarum* fidelis ſcriptor, ferunt *Romulum* à ſuis civibus propter ejus inhumanitatem & arrogantiam interfectum, atque à *Patriciis in curiâ, Cœlô tonante necatum*, & ne cadaver ipſius compareret, fruſtatim à *ſenatoribus* diſcerptum eſſe, elatumquè ſub togis, clamquè terrâ obrutum, atque ut ipſius cædem populum cælarent, mentiti

mentiti ſunt cœlô tonante illum involutum nube ex ipſorum oculis evanuiſſe, atque à patre ſuô *Marte* in cœlum abreptum. ὑπὸ τοῦ πατρὸς Ἄρεως ἁρπασθῆναι, cùm autem in *Senatores Romæ* populus idcircò tumultuaret atque moveretur, rem ut ſe habebat ſuſpicans, *Julius Proculus adfuit*, jurejurandô confirmans viſum à ſe *Romulum*, qui *Deum* ſe diceret, & ſic ab omnibus vellet honorari, ſiquidem autem hìc maximô neceſſitudinis vinculô junctus *Romulo* fuerat, propterea ſedata plebs dictis ejus fidem adhibuit, atque ita decretô *Senatus* in *Deos* relatum *Romulum* eſſe conſtat. Porrò tanta fuit in *Romulô* fortitudo animiquè magnitudo, ut ſeptem hoſtium millia variis in pugnis manu propriâ ἰδίᾳ χειρὶ dicatur occidiſſe. Atque hæc quidem de *Romulô*.

Dionyſ. Haliçô origin. Rom. l. 2.

Plut. in Romul.

De *Julio* dicere non multùm intereſt, quod lippis atque adeò tonſoribus eſt notiſſimum. Nam mediô in *Senatu* tribus & viginti plagis confoſſus victor orbis interiit. Cujus corpus cum per forum elatum, vulneribuſquè laceratum plebis multitudo conſpexiſſet, veluti furibunda per totam urbem *Cæſaris* diſcerptura parricidas ubiquè diu fluctuavit, quàm ut *Senatus* iterum conciliaret, *Divinos Cæſari* decrevit honores, arreptâ hinc occaſione, quòd *Cometa* per continuos ſeptem dies poſt *Julii Cæſaris* necem fulſiſſet, unde vulgo nec non imperitæ multitudini facilè perſuaſêre SENATORES *Julii Cæſaris animam eſſe*, huncquè eâ de cauſâ in *Deorum* numerum retulêre, atque in *Denarii Romani* parte alterâ *Cæſaris* effigiem percuſſêre, in alterâ cum *templô Veneris Cometam*, *Romæ* autem in templô *Veneris* in unô totius orbis locô Divinos ideò *Cometæ* delatos honores conſtat, quæ Poëtis luxuriandi nec non amicos *Cæſaris* conſolandi, præbuerunt anſam.

Id. in Jul. Cæſ.

Suet. in Jul. Cæſar.

Dio Caſſius hiſt. Rom. l. 45. Lambinus in Horat.

Naſcimb. in Virgil.

Naſcetur pulchrâ Trojanus *origine* Cæſar,
Imperium Oceano, *famam qui terminet* Aſtris,

Virg. Æneid. 1.

Virgilius ait. At *Horatius.*

--Micat inter omnes
Julium *ſidus*, *velut inter ignes*
Luna *minores.*

Horat. l. 2. Car. od. 12.

Pelignus autem Poëta.

Hæc anima interea cæſô de corpore rapta
Fit jubar, *ut ſemper* Capitolia *noſtra*, *forumquè*
Divus *ab excelſâ proſpectet* Julius *ædè*,
Flammiferumquè trahens ſpatioſô limite crinem
Stella micat.

Ovid. metam. l. 15.

Cæſar igitur, Senatus in mediô, qui pluſquàm decies hoſtium centena millia in ardore pugnæ victor, triumphanſquè generoſè confecerat, ſolus inermiſquè miſerandum in modum à ſuis victus barbarè laniatur.

Hæc alia inter innumera Principibus à me ſelecta ſunt exempla duo, ut illi ſenatui ſuo, concilio, comitiis niſi moderationis in ſuos OLIVARIÆ ſine ſcrupulô conſcii ſibi ſint, ſe ſolos credere vereantur.

QUod ſi vera foret ea quæ multis retrò ſeculis in ſapientum plurimorum animis diu viguit *Pythagoræ Metempſycoſis*, non ſine validâ ratione poſſem opinari *Principis Heroum Herculis* animam in OLIVARIUM tranſmigraſſe: Cùm enim mortalium omnium fortiſſimus, rerumquè geſtarum gloriâ *Præſtantiſſimus* habitus fuerit *Hercules*, ſed præſertim quòd in victoriis tàm innumeris moderationem ſemper adhibuerit, clementiam, humanitatemquè, ipſius exiſtente *Clavâ* ex OLEAGINEA materiâ, veriſſimô *BENIGNITATIS* quô nobiliſſimus *Heros* ſuis in victoriis uti ſoleret indiciô, laboribus autem abſolutis, nunquam ampliùs *Herculem* uſum eſſe *Clavâ* manifeſtum eſt: Verùm conſtat eandem ab *Heroe* clementiſſimô, poſt ſuas victorias immediatè in *Trœzeniorum* urbe ad ſtatuam *Mercurii* depoſitam eſſe, ubi per non vulgare *Prodigium* denuò progerminarit, priſtinum virorem receperit, arborquè denuò facta fuerit. Quin & ab *Hercule* plantatam ferunt *Calliſtephanum Oleam* in *Olympiis*, ex quâ *victoribus Athletis* coronæ fierent. Quibus illi diſcerent ſuis in bellorum meditationibus, humanitatem plurimùm decere *Victores*. Quid enim aliud per Deum immortalem in tàm innumeris OLIVARII Victoriis quàm OLIVAM ipſam, *BENIGNITATEM* ſcilicet, manſuetudinem, clementiamquè reperimus? Ecquis eſt, prodeat audacter, qui vel cum aliquâ veritatis umbrâ poſſit affirmare, quenquam ab OLIVARIO, aut OLIVARIO jubente niſi in ipſô ardore pugnæ cæſum unquàm fuiſſe. Quod ſine dubiô maximè *Heroicam Divinamquè* propemodùm clementiam arguit, immò totùs novit orbis, iis omnibus qui contraria ſecuti fuerunt arma, generalem amniſtiam, *præter victorum ferè omnium in bellis preſertim civilibus conſuetudinem*, ab OLIVARIO per clementiam pluſquàm *Heroicam* omnibus ferè ſeculis inauditam, conceſſam eſſe.

Pauſan. in Corinth.

Cæl. l 25 c. 16.

Quò quiſque eſt major, magis eſt placabilis ira,
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni;
Pugna ſuum finem, cùm jacet hoſtis, habet,

Ovid. l. 3. Triſt. Epiſt. 5.

In quô fortitudinem OLIVARII ſummæ conjunctam humanitati mirere. Commendatur ab omnibus *Alexandri Macedonis* animi magnitudo, nec non clementia; ſed ſi conſideres victoriam ejus in *Thebanos*, ſine dubiô contrariam

trariam indues opinionem; nam illos penitùs occidit, vendiditquè reliquos, urbemquè *Græciæ* nobiliſſimam funditùs everſam æquavit ſolo, *Soliquè Pindari Poetæ familiæ pepercit*, nullâ habitâ ratione quod *Hercules*, ad cujus facta lachrymaretur, ex hâc civitate præſtantiſſimâ fuiſſet oriundus, atque magnus *Pelopidas*, *Epaminondaſquè* patris ipſius *Philippi* ſocius. Quòd ſi pariter expugnationem *Tyri* conſideres, certè crudelem *Alexandrum* arbitraberis, nam hâc tùm per totum terrarum orbem celeberrimâ captâ civitate, innumeras *Tyriorum* ſtrages edidit, duo juvenum millia variis per totam civitatem patibulis erectis *Tyrannicè* ferociterquè admodùm carnificis ad inſtar ſuſpendit, quos tamen ob fortitudinem ſuam bellicam amicos humanitate ſuâ parare ſibi debuiſſet, ſexum denique fœmineum captivum abduxit. Præterea in *Indiarum* urbe clariſſimâ, in quâ vulneratus fuit, quam ab eô lanienam exercitam arbitraris? Vide in ſingulis urbis vicis, plateis, compitis, ingentes cadaverum acervos, cum enim *INDI* extraneo ſe fortiter oppoſuiſſent, ambitioni furibundi juvenis immolati ſunt. Diodor. l. 17.

Quid dicam de *Cæſare*? Cujus poſt victorias ita mendaciter prædicetur clementia. Perlege *Ciceronis* Orationes pro Rege *Dejotarô*, pro *Ligariô*, pro cæteris, videbis ab illius victoriâ finitô bellô civili minimè conceſſam ab illô *Pompeianis amneſtiam*: Evolve *Cæſaris* ejuſdem ſcriptos manu propriâ codices, reperies ab hôc innumeros, poſt victorias obtentas, ſine ullâ neceſſitate cæſos eſſe; Ut nihil dicam de virorum decies centenis millibus, quos in acie dicitur occidiſſe. Referam hìc aliquid quod vulgare non eſt. Cum *Cloboam*, jam *Virdunum* ad *Lotharingiæ* fines ſitum, *Cæſar* obſideret, illiuſquè cives ſtrenuè ſe defendiſſent, eorum urbem partim in colle ſitam *Virodunum* appellavit, *hoc eſt virorum montem*, atque ſuô in diſceſſu, ne rebellare poſſent, Civium illius fortiſſimis, robuſtiſſimis, valentiſſimis quibuſque brachium dextrum cum immanitate pluſquàm barbarâ, ad pontem in inferiori civitate juſſit amputari, qui etiamnum hodiernâ die vulgari ſermone *PONT A BRACHIBUX*, quaſi Pons Brachiorum ob id illìc appellatur. Hi ſunt amice lector ex clementiſſimis, qui omnibus retrò ſeculis unquam extiterint, atque ab omnibus ob humanitatem commendantur. Virduni Chron.

Hìc antiquiſſimæ politiæ factum jocoſum, clementius tamen *Cæſaris* factô commemorare placet, quô videant *Imperatores* moderni quantâ prudentiâ junctâ clementiæ præditi fuerint *Imperatores* in antiquitate remotiſſimi. Si quis igitur rationem indagare velit cur apud *Ægyptios* olim mulieres ambularent in forô, cauponariam exercerent, alia publica miniſteria peragerent, atque muniis, quæ communiter ad ſolos ſpectare viros hìc animadvertimus, illìc ſolæ fungerentur, viri verò domum ſervantes textoriam exercerent: Hujus rationem inde petat, quòd cum *Seſoſtris Ægypti Rex* viros tam amplæ regionis frequentiſſimos belli coſiſſimoſquè, ne rebellarent, vel conſpirarent impedire vellet, non tamen è mediô tollere vel mutilare: Hos ſic effœminare meditatus eſt, illorum opera mulieribus, mulierum illis aſſignando, ita ut non ſolum armis privarentur, ſed etiam propter eam animorum remiſsionem, fortitudinem avitam amitterent. Quapropter hos glabros eſſe, illas promittere crinem, hos capitibus onera portare, illas humeris, hos ſedentes, illas erectô corpore mingere, ſimiliaquè plurima lege ſancitâ promulgarit. Sed omiſsis *Ægyptiis*, Nymphodor. ad fin. Her. & Her. in Euterp.

Si dicam *Syllam Romæ Dictatorem*, diu poſt finita bella civilia quæ fuerant ipſi *Octavioquè* in *Cinnam* & *Marium*, ſi dicam inquam quòd *Sylla* poſt obtentam victoriam, armis utrinque poſitis, innumeros tamen occiderit, ita ut ſemel ſex *Romanorum* civium millia in *Circô maximô* per ſuos ſicarios jugu- Plutarch. in Sylla.

Senec. de Clem. l. 1. c 2.

lari jusserit ex *Plutarchô*, ex *Senecâ* septem millia: Quantum commendabitur inde lenitas Olivarii, qui ne unum quidem extra conflictus ardorem opprimi voluerit?

Si dicam *Marium Imperatorem magnanimum, nec non prudentißimum*, quippequi septies *Consul*, cùm *Romam* triumphans rebus omnibus illìc pacatis ingressus esset, *Lateronibus* suis edixisse, ut eos omnes quibus ipsum salutantibus manum aut salutem non dedisset, continuò cæderent. Sed ipsissima *Augustini* verba perpende. *Post victoriam* Marii *cives* Romani *in ipsius oculis continuò feriebantur, quibus salutantibus dextram porrigere noluisset.*

Augustin. de civit. Dei. l. 3. c. 27.

Tacit. annal. l. 3.

Talem civilibus in bellis plerumquè finem habere solent victoriæ, quarum moderatio longè difficillima est, ut de cæteris nihil dicam, finitis enim bellis victores ubi nulla vis opponitur, innumeros cædere vulgò solent.

Wasbourg. l. 7.

Num *Mahometes* ille secundus Octingenta & septuaginta quatuor virorum millia, extra omnem pugnæ aleam animô sedatô jussit interfici?

Bellum Tartaricum.

Quid crudelius *Tartarorum* victoriis, qui regiones devictas ita vastant integras, ut post aliquam victoriam eximiam partam, ducenta virorum millia, qui non pluisquàm oves nocere possint, jugulare soleant?

Histor. Turc.

Num fractô primùm *Bajazethe, Sebastam gloriosam Otthomannici sedem Imperii*, cum inauditâ crudelitate, verequè plusquàm belluinâ sic *Tamberlanes* evertit, ut tùm viros omnes lanii ad instar in partes innumeras dissecuerit, tùm in mulieres innumerosquè pueros simul in unum locum, eumquè vastissimum congregatos, suum immiserit equitatum, atque immanem in illos lanienam exercuerit?

Num ad *Ochi Regis Persarum* ferinam immanitatem cœlum ipsum horret, ad quem primariæ nobilitatis *Sidoniorum* centum juvenes accedentes jaculis jubet omnes configi? Quingentos verò Civitatis *Sidonis principes*, ramos Olivarum supplicatorios præ se ferentes, quibus illum ad humanitatem flecterent, jaculis pariter omnes trajecit, quod videntes *Sidonii*, ne in tàm sævi *Tigridis* potestatem inciderent, se pariter omnes suis in ædibus cum conjugibus & liberis & universâ substantiâ combusserunt.

Diodor. l. 16.

Cambriæ Chronic.

Sed quid necesse habeo istius quô de agitur aliunde, quam ab hâc insulâ petere probationes? Extant etiamnum in vestris bibliothecis passim Annales *Cambriæ*. Quid? Nonne devictâ in *Gallia* per *Maximum Tyrannum Armoricâ*, atque datâ *Conano Cambro* propter fortitudinis illius bellicæ, rerumquè pro *Maximô* strenuè gestarum mercedem, num *Conanus* inquam, advocatâ postmodum *Cambrorum* Coloniâ, incolas *Armoricæ* sine ullô discrimine trucidavit omnes ad unum?

Hos victoriarum effectus, finesquè posui tibi ante oculos ideò lector benevole, ut *BENIGNITAS* & humanitas Olivarii tibi magis ac magis appareat, nam *contraria juxta se posita clariùs elucescunt.*

Ad Attic. l. 7. Epist. 5.

Atenim audio nonnullos verba *Tullii* mussantes, *Ex victoriâ cùm multa mala, tùm certè* Tyrannis *existit.* Certus sum quòd in Olivarii victoriis id nullô modô locum habere potest, si enim *Tyrannorum* facta consideres, clementissimum, amantissimumquè *PATRIÆ PATREM* Olivarium certô certiùs fatebere.

Lib. 2. Chron. Car.

Verum est quòd partâ victoriâ *Tyrannidem Marius* exercuit, nam *Romam* profectus trucidavit illìc optimos, & præstantissimos quosque *principes, primoresquè Romanos.* Postea verò quàm *Tyrannus Romanorum* alter *Sylla, Romam* reversus esset, trucidavit omnes quibus *Marii* gladius pepercerat. Cùm enim *Sylla* pugnaret in *Mithridatem* in *Asia*,

Plutar. in Mario.

Aſiâ, ſeditioquè *Romæ* tunc temporis inter *Octavium* & *Cinnam* orta fuiſſet, atque ſe *Cinnæ Marius* adjunxiſſet, *Romanos* minimè reſiſtentes ad ſatietatem uterque trucidavit, *Mariuſquè* ſuis hanc dederat militibus teſſeram, ut quoſcunque ſalutantes non appellaret, nec ſalutem redderet, continuò jugularent; Unde *Plutarchus* meô quidem judiciô, generoſiſſimum, nec non ſuis in victoriis humaniſſimum *Regem Epirotarum Pyrrhum*, injuſtè ſuis in parallelis, cum *Mariô* crudeliſſimô *Tyrannô* comparavit.

Poſt victoriam *Lacedæmoniorum* in *Athenienſes*, *triginta tyrannos* illis præfecêre, qui pro ſuô quilibet arbitratu ſine ullâ ne dicam umbrâ juſtitiæ, vel innocentiſſimos quoſque ſingulis diebus, nullâ aliâ de cauſâ, niſi ut aut ipſorum fortunas, & facultates ſibi liberiùs aſſumerent, aut ſuam humanô ſanguine ſitim explerent, variis ſuppliciorum generibus morte crudeliſſimâ mactare ſolebant; Et quod feritatem omnem ſuperare videtur, cùm *Athenienſium* pluſquàm dimidia pars, rebus ſuis omnibus *Tyrannorum* libidini permiſſis ad exilium ſpontaneum varias in *Græciæ* civitates, tanquam ad *Azylum* vitæ ſuæ conſervandæ cauſâ confugiſſent, edictô proclamarunt *Spartani*, ut civitates omnes, quæ profugos *Athenienſes* haberent, vinctos *triginta Tyrannis* remitterent. Quibus obtemperarunt omnes metu potentiæ *Laconum*, exceptis *Thebanis Argiviſquè*, qui profugos humaniter acceperunt. Hìc autem obiter moneo, ab inſulſâ, ſtolidâ & Imperitâ *DEMOCRATICA* multitudine profectum, quòd *Athenienſes* exciderint Imperiô *Græciæ*, atque ſic à victoribus *Lacedæmoniis* excepti fuerint, cùm *Alcibiadem Imperatorem ſuum*, quòd nimiam potentiam haberet eô ſolô nomine per ingratitudinem inauditam miſiſſent in exilium. Hic enim tàm fortis, tàm fortunatus, tàm prudens, tàm humanus fuit Imperator, ut adverſus *Lacedæmonios* efficeret quidquid vellet: Solô enim illius auditô nomine congredi veriti, pugnam declinabant, cùm ſemper in illos victor extitiſſet. *Athenienſes* igitur ſe ſatis idoneos arbitrantes, ut ſuum conſervarent Imperium, ob virtutis tantæ mercedem *Alcibiadem* amandant in exilium, cumquè periclitarentur admodum, atque res ipſorum in ſtatu deterrimô forent, revocant *Alcibiadem* ab exiliô, quibus cùm ſummam iterum gloriam peperiſſet, *Græciaquè* totius *Imperium*, iterum veriti fortiſſimi viri potentiam, eundem *ingratiſſimarum Rerumpublicarum* de more mittunt in exilium. Cumquè res eorumdem deploratæ, ruinæquè proximæ forent, cogitant de revocandô *Alcibiade*; Sed *ſerò ſapiunt Phryges*, antequàm enim conſilium illud ſuum exequi potuerint, & imperiô, & libertate privati ſunt. Miſer autem *Alcibiades* exul, ab amicô *Lacedæmoniorum* ex inſidiis necatus eſt: Hunc enim plurimùm victis *Athenienſibus* verebantur exulem licet *Spartani*, virum enim hunc ſolum aptum illis *Imperium* eripere, ſuiſquè reſtituere opinabantur omnes. Si *Tyrannidem* itaquè paſſi ſunt *Athenienſes*; id erga ſuum *Imperatorem* ingratitudini, vindictæquè ob id *Divinæ* tribui manifeſtum eſt. Diod. l. 14.

Quandoquidem autem *Lacedæmoniorum* feci mentionem, hoc addam. Cùm ſeditionibus inteſtinis *Byzantini* poſteà *Conſtantinopolitani* laborarent, *Thraceumquè* finitimorum bellô fatigarentur, à *Spartanis* petunt *Imperatorem* reipſâ *Tyrannum* nomine *Clearchum*, is enim ad *Sacrum* quoddam *Epulum* magiſtratus urbis invitans, omnes ad unum trucidavit, præterea *triginta Byzantinis Principibus* laqueô fauces fregit, interfectorumquè omnium bona ſibi vendicavit: Opulentiſſimos denique *Byzantinos* falſis gravatos crimnibus, partim rapuit ad ſupplicium, partim in exilium amandavit, eorum omnium facultatibus ſuum in fiſcum redactis. Viden inteſtinorum bellorum compoſitorem egregium, *Præclarumquè ovium cuſtodem lupum!* Id. ibid.

Tyran-

Id. lib. 20. *Tyrannus* fuit licet ſe *Regem* nominarit *Agathocles*, hic enim *Quingentos Syracuſanorum Principes* exceptos conviviô ad unum omnes occidit, ut autem pecunias extorqueret à *Syracuſanis*, qui corporis humani referret effigiem, *ÆNEUM* fabricavit *LECTUM* κλίνην χαλκῆν ab unaquaque parte clauſtris obſeptum, in hunc autem inſerebat quos cruciare vellet, ignequè ſubjectô vivos adurebat.

In Ver. act. 6. Cic. *Tyrannus* fuit *Agrigenti Phalaris*, qui clauſorum in *ÆNEO TAURO* ſubjectis flammis vi doloris expreſſos gemitus, taurinos imitari mugitus exultabat.

Diod. lib. 4. *Tyrannus Thraciæ Rex Diomedes*, qui ſuos *EQUOS* humanis innocentum carnibus, ſanguinequè ſaginaret.

Ovid. met. l. 6. *Quid quòd* THRACES *EQUOS humanô ſanguine pingues,*
Plenaquè corporibus laceris præſepia vidi,
Inquit Poëta.

Ælian. l. 14. c. 22. *Tyrannus Tryſus*, qui legem ſuæ regionis incolis poſuit, ut nemo cum alterô, neque privatim neque publicè, ſub pœnâ capitis miſcere ſermones auderet, quod miſeris ſine dubiô graviſſimum extitit. Itaquè oculorum, manuumquè geſtibus, & nutu animi ſenſa mutuò ſignificabant: Sed hæc etiam *Tyrannum* commovebant, , quòd exiſtimaret ſilentium quoque propter varietatem geſtuum, mali quidpiam ſibi moliturum eſſe. Proinde & illud lege ſuſtulit; Quidam in forum profectus eſt fervidè *LACHRYMANS*, quô auditô *Tyrannus* accurrit, ut etiam *LACHRYMAS* prohiberet.

Suet. in Calig. *Tyrannus Caligula*, qui tàm multos innocuos etiam per jocum occiderit, cupiveritquè ut *Populus* Romanus *unam cervicem haberet*, quam unô duntaxat ictu poſſet amputare.

Du Haillan de ſtatu & ſucceſſu rerum Francix, *Tyrannus Franciæ Rex Ludovicus undecimus*, qui nemini ſervaret fidem, ſed vel occultè, vel apertè per libidinum ſuarum miniſtros, eos omnes vitâ privaret, quos ſibi non addictos eſſe vel ſine ullâ ratione ſuſpicaretur.

Suet. in Neron. *Tyrannus Nero*, qui præter innumeras injuſtiſſimaſquè proborum cædes, urbem *Romanam* variis in locis per animi recreationem incendit, quod per ſex dies integros, ſeptemquè noctes continuas optimam urbis partem incendium, cum infinitâ propemodùm generis omnis jacturâ, flammis abſumpſit, dum ille ex editâ turri proſpectans, diverſô flammarum colore, variâquè pulchritudine lætaretur.

Ex iſtis inquam ſimilibuſquè *Tyrannorum* actionibus, ſole clarior apparet OLIVARII clementia; Nemo enim eſt quantumvis infenſiſſimus hoſtis OLIVARII, qui non illum humaniſſimum, urbaniſſimum, *BENIGNISSIMUM*, atque inter *BRITANNICOS* omnes maximè *COMEM* fateatur, licet id ab eô politicè fieri multi prædicent, ut ſuâ duntaxat manſuetudine ſubditorum ſuorum affectus ad ſe *veluti ferrum Magnes* rapere poſſit. Quôcunque tandem fine *BENIGNUS* ſit OLIVARIUS, minimè laboro, nam de factô conſtat, etiam apud illius hoſtes, quòd clementiſſimus exiſtat. Quod ſatis eſt ut illum à *Tyrannide* plurimùm abhorrere doceamur. Nam ſanæ mentis nemo prorſùs illum *Tyrannum* eſſe judicaverit, cujus nullum unquam *Tyrannicum* factum ullus arguere jure potuerit, ſi quis enim adeò demens exiſteret qui tantâ quanta poſſit eſſe maxima principem manſuetudine præditum, *Tyrannum* vocaret, longè potiori jure diem noctem, *Lucem* tenebras, nivem nigram, ſapientem dementem appellaret.

Cùm autem tùm à *Deô*, tùm ab hominibus hoc *Imperium* ut ſuprà demonſtravi,

monſtravi, propter nationum, quibus præeſt, utilitatem, *Imperatorum* omnium quicunque fuerint ab orbe conſtitutô clementiſſimo repugnanti reluctantiquè pro viribus, quod toti patet orbi, datum ſit hoc inquam *Imperium* OLIVARIO. Quânam quæſo ratione poſſet in illum cadere *Tyrannis?* Quem nec uſurpatorem, nec crudelem, nec in quenquam injuſtum, niſi brutô ſtolidior, alieniſquè bonis ſupra modum mœrenti dementior, exiſtimare nemo poſſit.

Addam aliquid amice lector, quod ſi ſeriâ, ſerenâ, nulliſquè paſſionum obductâ nubibus mente conſideres, te profectò rapiet in admirationem, OLIVARIUMquè humaniſſimum, *BENIGNISSIMUM* maximequè *HEROICUM PRINCIPEM* ubique te prædicare coget. Teipſum quæſo collige, atque tempus illud memoriâ recole, quô bellum maritimum *Batavos* inter & *Anglos* deſæviret. An à *Batavorum* quôpiam, qui tùm degebant hìc plurimi, ditiſſimiquè, vel obolum unum eripuerit OLIVARIUS? Prodi in medium audacter, & impune quiſquis in contrarium teſtari volueris, certus ſum teſtabitur nemo, ubi differentiam in eô Principum aliarum nationum ferè omnium, nec non OLIVARII manifeſtè poſſis animadvertere. Qui dum ex nationibus aliquos, in quas bellum gerunt vel declarant, ſuis in Dominiis reperiunt, omnes ipſorum facultates ſine ullâ aliâ formâ juſtitiæ ſuum in fiſcum illicò, quod jam in *Anglos* probant *Hiſpani*, redigere ſolent. Neq; hôc tantum, ſed & in vincula tanquam vilia mancipia conjiciunt eoſdẽ, quoad ſui in quos bellum geritur pro ipſis pretiũ redemptionis perſolverint. Nondum abſolvi, nam ubi bellum vel declararint, vel declarare multi principes voluerint, ſtatim eos omnes, qui ſint ex illis in quos bellum meditantur, vel eorum fautores miſerandum in modum velut hoſtes infenſiſſimos jugulare ſolent. Atque ut hujus rei fides fiat exemplis.

Cùm in *Mithridatem Regem Ponti* meditarentur expeditionem *Romani*, negotiantes ſuis in Dominiis cives *Romanos* centum & quinquaginta mille unô eodemquè die *Mithridates* jugulavit. Cumquè *Romani* forent *Chriſtiani*, *Coſrhoes Perſarum Rex* ab *Imperatoribus Romanis* deficiens, ſuis in terris nonaginta *Chriſtianorum* millia trucidavit. Plut. in Syl. Agath. l. 4.

Cùm *Petrus Arragonum Rex* annô *Chriſti* milleſimô ducenteſimô octuageſimô ſecundô *Siciliam* invaderet, *Siculis* imperavit, ut per totam *Siciliam* *Gallos* omnes cum ſuis conjugibus & liberis occiderent, ita ut *Die ſacrô* Paſchæ *cum primùm veſperi campana audita foret, ubique* Galli *nullô ſexus diſcrimine habitô cæderentur, quâ in re adeò certè ſævitum eſt, ut etiam mulieres* Gallicô *compreſſu prægnantes cæſæ dicantur, hinc tritus ille ſermo cùm quis multorum interitum exoptat VESPERAS SICULAS commemoret ex PLATINA.* Sed Dei vindictam citò *PETRUS ARRAGONIUS* expertus eſt, nam *Philippus Audax Franciæ Rex* ipſius exercitum, *Pyrennæis* trajectis delevit, ipſumquè pariter interfecit. Omnes Franciæ Annales ubi de Philippo Audice. Car. an. Chriſti 1282.

Cum *Genuenſes* pararent à *Gallis* defectionem, ad annum *Chriſti* milleſimum quingenteſimũ ſextum, *Gallos* ſimiliter omnes ſecum degentes interfecêre, quos tamen per vim *Ludovicus* duodecimus recepit, illiſq; perhumaniter condonavit. In hiſt. Ludov. Duod. Franc. Reg.

Innumera ſimilia ubique ferè gentium poſſem hìc attexere, quibus illarum plenæ ſunt *Annales*, plenæ hiſtoriæ, plena chronica. Cùm autem iſta ſufficiant, ut pluſquàm *Heroïca*, penè dixi *Divinam*, OLIVARII *BENIGNITAS* innoteſcat orbi; Quâ, non velut alii Principes, qui ſimilibus in occaſionibus belli tempore vitam extraneis eripere ſolent, *Batavos* ſervavit illæſos & incolumes; Quâ, non catholicorum licet Monarcharum ad inſtar, incarceratos hìc illos eſſe permiſit; Quâ, non ad aliorum normam, ne quidem ab illis obolum extorſit; Quâ, liberos illos non minùs quàm *Anglos*, etiam eô tempore, quô cum ſuis crudele bellum gerebatur, eſſe voluit, ſed quod ſummum *BE-*

NIGNITATIS attingit apicem, eoſdem ſingulis hebdomadis per literas cum ſuis, perinde ac ſi belli ſuſpicio nulla foret, agere tractarequè ſiverit.

Huc vos appello mortalium omnium clementiſſimos, dicite liberè, utrum generoſius, magis *Heroicum*, vel humanius poſt hominum memoriam viſum, auditum, aut actum unquam ſit aliquid.

Neque verò in iſtis tantùm OLIVARII *BENIGNITAS* innoteſcit, ſed à bellis, totam ſuam ille curam, totam induſtriam, vigilias omnes, omnes denique cogitationes ſuas in *artium laudabilium* reſtaurationem, *Legum* reparationem, *Angliæ* denique fœlicitatem ſatis apertè publicequè conferre videtur, ita ut velut *Hercules alter* finitô bellô *Clavam* in *Mercurii* ſinum repoſuerit, quam ſine dubiô poſt aliquod tempus germinare, floreſcere, fructuſquè ſuaviſſimos *Britanniæ* toti producere, ſi vitam Deus annuat, comperiemus.

Ex quibus omnibus facillimè potes inferre, lector benevole, quàm *HEROICUS* ſit OLIVARIUS, quantam huic Nationi fœlicitatem *BENIGNITAS* ejuſdem adpromittat: Siquidem *Viri fortes poſt victorias ſemper in pace modeſti ſint*; Atque *Clementia ornamentum Imperiorum certiſſimaquè eorumdem ſalus exiſtere ſemper & ubique videatur.*

Caſſiod. in Epiſt.

Senec. de Clementia l. 1. c. 2.

Pſal. 113.

Imulachra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum: Os habent, & non loquentur; Oculos habent, & non videbunt; Aures habent, & non audient; Nares habent, & non odorabunt; Manus habent, & non palpabunt; Pedes habent, & non ambulabunt; Non clamabunt in gutture ſuo. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis, Propheta regius ait. Igitur monogrammi gentium Dii, ſimulachra, Deorum umbræ, ut ſuam in mortales *MISERICORDIAM* exprimerent, fruſtrà tamen *Oleâ* coronari velle delira finxit antiquitas. Quânam enim per *Deum immortalem* ratione, metalla, ſtipites, arborum trunci, umbratiles picturæ, erga mortales ullâ tangi moveriquè *Miſeratione* poſſint? quorum *Miſerias* non ſentiant, non videant, non audiant, tantùm abeſt ut cogitare valeant, unde hæc ab illis expectanda ſola *MISERICORDIA* eſt

Pier. l. 53. Cæl. l. 12.

Diva ſolo fixos oculos averſa tenebat.

Cùm enim infenſiſsimis fuſôquè multô ſanguine *Troes*, *Græciquè* pugnarent ad *Trojam* animis, moturæ *Palladium* ad *MISERICORDIAM*,

Intereà

Interea templum non æquæ Palladis *ibant*
Crinibus Iliades *paſsis*, Peplumquè *ferebant*
Suppliciter triſtes, & tunſa pectora palmis,
Diva ſolo fixos oculos averſa tenebat.

Virgil. Æneid. l. 1.

Et licet nobiles, miſeræquè *Trojanorum Heroinæ*,
Amplexæquè tenent poſtes, atque oſcula figunt,
Attamen totum iſtud fruſtrà,
Hìc Hecuba, *& gnatæ nequicquàm altaria circum*
Condenſa Divùm *amplexæ ſimulachra tenebant.*
Nam paulò poſt
Exceſſère omnes adytis, ariſquè relictis
Dii *quibus* Imperium *hoc ſteterat.*

Sed quì poſſint excedere *Numina*, quæ nequaquam ambulare valeant? quæ ſi cadant, ſemet erigere non poſſint? Anne dicetur *Palladium* exceſſiſſe, quod tamen furatus eſt *Ulyſſes*? Quomodò *Trojanos* liberaſſet ab incendiô, quod ſeipſum à flammis ni ſubreptum, ablatumquè fuiſſet, & incendiô perire neceſſe fuerat? Quamobrem *MISERICORDIÆ* nihil ab illis, *Oleâ* licet arbore *MISERICORDIÆ* coronentur, expectandum eſt, ligentur quantumlibet ne abeant, excedant, erumpant, evadant.

Ridiculum ſanè eſt antiquorum proverbium *Deos laneos pedes habere* inde ſumptum ex eruditiſsimô *Conſule Romanô*, quòd ſuos laneis *Deos* alligabant vinculis, ne ab ipſis ad hoſtes aufugerent, & ex conſequenti non privarentur eorumdem, quâ continuò mortales indigent, *MISERICORDIA*. Unde *pater Deorum Saturnus*, à ſuis cultoribus *per totum annum laneô vinciri fune*, atque *Die ſibi feſtô tantummodò ſolvi conſueverat.* Cùm autem *Alexander Macedo, Tyrum* cingeret obſidione, per ſeptem menſes continuos, quibus obſeſsi fuêre *Tyrii*, verentes ne *Deus* ſuus *Apollo* migraret ex urbe, catenis aureis *ſimulachrum* illius in baſi devinxêre, οἱ δὲ τύριοι δεισιδαιμονήσαντες χρυσᾶις σειρᾶις περιέδησαν τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ξόανον τῇ βάσει ἐμποδίζοντες ὡς ὥοντο τοῦ θεοῦ τὸν ἐκ τῆς πόλεως χωρισμόν. Porrò captâ *Tyrô* catenas *Apollini* detraxit aureas *Alexander*, vinculaquè cætera, huncquè *Deum Philalexandrum* Amicum *Alexandri* juſsit deinceps appellari ὁ δὲ βασιλεὺς τοῦ μὲν Ἀπόλλωνος τὰς χρυσᾶς σειρὰς, καὶ τὰ δεσμὰ περιελόμενος παρήγγειλεν ὀνομάζειν τὸν θεὸν τοῦτον Ἀπόλλωνα φιλαλέξανδρον. Notum eſt quòd *Athenienſes* elaboratas à *Dædalô Deorum* ſuorum imagines, ne ad illius inſtar evolarent, trabalibus clavis, cardinibus, ferrôquè plurimô ſiſtere firmarequè ſolerent. Certum pariter eſt quòd *Lacedæmonii Victorias*, *Palmas*, *Trophæa*, continuoſquè *Triumphos* ſibi ipſis per id ſemper adpromittentes, *Deum* ſuum *Martem*, manicis, compedibus, ferreiſquè catenis, graviſsimiſquè, miſerandum in modum vinxerunt, colligarunt, conſtrinxerunt, penequè oppreſſerunt. Ut non dicam ab *Athenienſibus*, *Victoriam* ſine alis ἀνικ ὄντων πτερῶν Νίκην, ne ſcilicet ab illis avolaret, ſervatam eſſe.

Macrobius Saturnalium l. 1.

Diodor. l. 17. Parte 1.

Neſmond. in Sacrament. juſtitiæ. Remonſt. 1. c. 12.

Pauſan. in Laconicis.

Apage ſexcentas id genus ineptias, cæcitatemquè vel *Cymmeriis* tenebris horribiliorem. Tune adeò veſanus, demens, ſtolidus, vecors es, ut ab eô, Divinam, quam eidem affingis *MISERICORDIAM* & auxilium expectes, cujus tota, quantacunquè eſt potentia ne *laneos* quidem *funes* diſſolvere, rumpere, ſecare queat? O Cæcitatem inauditam! O Dementiam incredibilem! O pluſquàm Belluinam ſtoliditatem! O ſtupiditatem pluſquàm ſaxeam! Unus *Deus* noſter *MISERICORS* eſt, unus *MISERICORDIARUM PATER*, unus dignus *Oleâ* quæ ſit ex *Ambroſiô Divinæ MISERICORDIÆ* certiſsimum & indicium & inſigne.

Amb. lib. de arca.

Qui-

Qui propter ſingularem in pauperes benevolentiam ἐλεημοσύνην *Eleemoſynarii* ſive *MISERICORDIS* nomen invenit, refert quòd cùm degeret in *Cyprô*, atque vix annum decimum quintum attigiſſet, huic in ſomniis per viſum adſuerit aliquando *MISERICORDIA* miræ pulchritudinis *Oleaque* ramis coronata puella, quæ ſe *Dei Primogenitam*, atque apud eundem omnimodâ valentem potentiâ prædicaret, hâcquè tùm viſâ, tùm auditâ *miſerationi* ſe poſteà totum addixiſſe. Ergo *MISERICORDIÆ* Divinæ ſymbolum eſt *Olea*, cujus liquorem *MISERICORDIARUM pater Deus* in *Hebræorum*, ut ſuprà vidimus, inſtitutis, ad res ſanctiſſimas, *ad Divinæ MISERICORDIÆ celebrandam memoriam, augendamquè in animis benignitatem voluit adhiberi.* Superiùs enim in religionem oſtendente ramô demonſtravimus, in lege veteri nullam offerri *Deo* conſueſſe *Victimam*, vel *Pacificam* vel *Holocauſtum*, niſi determinata ab ipſômet *Deô* OLIVARUM *Olei* certâ menſurâ, pro ratione *Sacrificii* frequentaretur. Atque, ut ſileam in pluribus *Eccleſiæ Romanæ Sacramentis*, ad hodiernum uſque diem OLIVARUM *Olei* frequentem uſum eſſe, quibus veluti canalibus *Dei MISERICORDIAM* in fidelium animas dimanare mordicùs aſſerant, accurateque defendant.

Leont. in vitâ S. Joan. Eleemoſyn:

Chreſol. in anthol. ſacr. part. 2

Controverſia non eſt quin ea, quæ de mortalium ſapientiſſimô *Salomone* ſacra perhibet hiſtoria, veriſſima ſint, quòd ſcilicet *fecit in intrioru templi poſtes de lignis* OLIVARUM *quadrangulatos, & in ingreſſu* Oraculi *fecit duo oſtiola de lignis* OLIVARUM, *poſteſque angulorum quinque, & duo oſtia de lignis* OLIVARUM, *& fecit in* Oraculô *duos* Cherubin *de lignis* OLIVARUM *in mediô templi interioris* ad ſignificandum hominibus, veram religionem, *MISERICORDIA Divinâ* prorſùs inniti, atque in templum ingreſſum, ſeu in populi Dei ſelectorumquè numerum adſcriptionem, à *MISERICORDIA Divinâ* penitùs dependere. *Domine in multitudine MISERICORDIÆ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad Templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

Penult. Reg. c. 6

Pſalm. 5. 7.

Præterea, non poteſt in diſceptatione verſari, quin OLIVARUM *Oleum* ad concinnandas in templô lucernas jugiter, ut illæ ſemper arderent in conſpectu dominatoris terræ, Deus in templum deferri præceperit. Unde ab vigilantiſſimô paſtore non minus ſapienter quam piè dictum eſt, *Quod* OLIVÆ *liquor, ante omnipotentis* Dei *oculos, quaſi MISERICORDIÆ fructus lucet.* Unde prætereà factum *Imperatoris primi Chriſtiani*, ſpecie licet generoſum, neutiquam mihi probatum eſt, qui natali *Chriſti* die, in omnibus templorum *Romæ* lampadibus *Balſamum* comburendum ſanciverit: Quaſi verò *Balſamum* apud homines carius OLIVARUM *Oleô*, apud *Deum* Nobilius vel pretioſius eſſet, qui tantopere delectetur *MISERICORDIA*, quamquè ſuis operibus omnibus anteponat. Cùm autem templa fuerimus ingreſſi, videamus & illìc priſcorum *Chriſtianorum* mulierculas adytorum cancellos, nec aliô fine, quàm ad *Divinam MISERICORDIAM* provocandam OLIVARUM *Olei* profuſione duntaxat expreſſam, ungere ſolitas. Quod non apud *Chriſtianos* tantùm, ſed & apud *Ethnicos* factitatum legimus, qui ad *Jovis Olympici* pedes, quô *MISERICORDIAM* ipſius implorarent, OLIVARUM *Oleum* effuderunt.

Exod. 27. Levit. 24.

S. Greg. magn. Homil. 20. in Evangel.

Garaff. l. 3 ſum. Theol. ſect 8.

Theod. quæſt. 83. in Geneſ.

S. Epiphan. hæreſi poſt adventum Chriſti 44.

Porrò *MISERICORDIÆ* ſymbolum *Oleum* eſſe, & ſi dicere mihi liceat, aliquô modô cauſam, ſic in omnium animis inſitum eſt, ut templa etiam in locis ubi creſcerent *Oleæ* longè convenientiùs ædificari *Chriſtiani* veteres facilè ſibi perſuaſerint, quod ut opinor exemplum *Chriſti* dum in terris degeret ſibi poſuerunt ob oculos, qui ſæpiùs in montem OLIVARUM oraturus aſcendebat, unde poſt *Agni Paſchalis* commeſtionem *Euchariſtiæque Sacramentum inſtitutum* pridie quàm moreretur, *Egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in*

Nicep. h. Calliſt. hiſt. Eccleſ. l. 8. c. 5.

Luc. 22. 22.

montem

montem OLIVARUM; Ubi *poſitis genibus orabat*; Ubi *factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*; Ubi captus, & ligatus propter ſuam in genus humanum *MISERICORDIAM*, *Agonis* illius ſive certaminis ultimi ſequenti die finiendi poſuit initium: Unde ſpectantibus ſuis aſcendit in *Cœlum*, unde poſtremò judicabit orbem. *Ecce dies Domini venient dicit Dominus, & ſtabunt pedes ejus in die illâ ſuper montem* OLIVARUM *qui eſt contra* Jeruſalem *ad orientem.* Quiquè & ipſemet *Olea* ſit, ſeu radix *Oleæ* nimirum *Eccleſiæ*, in quam gentium *Oleaſter* inſitus eſſe per infinitam *MISERICORDIAM* ſuam ab orbe ferè totô verè cognoſcatur. Sed audi quid eàdem de re tùm doctè, tùm ſubtiliter, tùm eleganter profert *Auguſtinus. Ego ſum* Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, *hoc inquit nomen mihi eſt in æternum, non quia æternus eſt* Abraham, *& æternus* Iſaac, *& æternus* Jacob, *ſed quia* Deus *facit illos æternos poſteà ſine fine, habuerunt quippe initium, ſed finem non habebunt. In* Abraham, Iſaac, & Jacob *totam* Eccleſiam *ejus cogitate, omne ſemen* Iſrael *cogitate, omne autem ſemen* Iſrael, *non ſolum quod eſt in carne, ſed etiam quod eſt ex fide.* Apoſtolus *enim gentibus dicebat, ſi ergo vos* Chriſti, *ergo ſemen* Abrahæ *eſtis, ſecundum promiſſionem hæredes. Benedicimur ergo omnes in* Deô Abraham, & Iſaac, & Jacob. *Arborem quidem benedixit quandam, eamquè* OLIVAM *creavit, ſicut dixit* Apoſtolus *ipſos* Patriarchas *ſanctos, unde efloruit populus* Dei, *ſed hæc arbor* OLIVÆ *putata eſt, non amputata, & inde ſuperbi rami fracti ſunt, ipſe eſt* Blaſphemus *& impius populus* Judæorum, *manſerunt tamen rami boni & utiles, nam inde* Apoſtoli *fuerunt, & cum ibi rami utiles relicti eſſent, per* Dei *MISERICORDIAM inſertus eſt &* Oleaſter *gentium, cui dicit* Apoſtolus, *tu autem cum eſſes* Oleaſter *inſertus es in illis, & particeps pinguedinis* OLIVÆ *factus es. Noli gloriari adverſus ramos. Quòd ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. Hæc una arbor eſt pertinens ad* Abraham, *&* Iſaac, *&* Jacob, *& quòd plus eſt, magis ad* Abraham, Iſaac, *&* Jacob *pertinet* Oleaſter *inſertus, quàm rami confracti, illi enim per fragmentum jam non ibi ſunt,* Oleaſter *autem ibi erat, & ibi eſt, illi per ſuperbiam frangi meruerunt, iſte per humilitatem inſeri meruit, illi amiſerunt radicem, iſte tenuit eam. Cùm ergo audiſtis* Iſrael Dei, Iſrael *pertinentem ad* Deum, *inde nolite vos facere alienos,* Oleaſter *quidem fuiſtis, ſed* OLIVA *eſtis particeps pinguedinis* OLIVÆ. Hæc aliaquè multa de infinitâ *Dei* per OLIVAM erga genus humanum *MISERICORDIA* cum *Eloquentiâ* non vulgari prodit *Auguſtinus.* Ex quibus cùm ſancti ſinguli (*quos autem per* OLIVAM *niſi MISERICORDES accipimus*) ſinguli ſint OLIVÆ rami, ſequitur ſanctos quoſlibet *MISERICORDES* eſſe, quos à ſcripturis *oleam* appellari ſcripturæ volunt interpretes *Propter MISERICORDIAM*, *hanc enim ſignificat* Olea, *Nam ſanctorum propria virtus eſt MISERICORDIA, hinc* Salomon *duos* Cherubim *fecit ex lignô* OLIVARUM, *eoſquè poſuit in* Oraculô, *ut ſignificaret MISERICORDIAM ad* Cœlum *ducere.*

Luc. 22.

Act. 2.

Zachar. 14.

Rom. 11.

De Auguſt. Enarratione in Pſalm. 134.

Galat. 3.

Rom. 11.

Greg. Magn. in Evang. hom. 20.

A Lap. in Jerem. 11.

Ergo petamus à *Chriſtô MISERICORDIAM* amice lector παρὰ τοῦ χριστοῦ ἔλεος, ut tandem aliquando poſsimus ei cum ramis OLIVARUM occurrere, μετὰ κλάδων ἐλαιῶν, ſiquidem OLIVA *MISERICORDIÆ* ſignum eſt; αἱ ἐλαῖαι γὰρ σύμβολόν εἰσι τοῦ ἐλέους. Ergo iterum *MISERICORDIÆ* ſtudeamus quia *MISERICORDIA eſt ſumma* Chriſti *lectio, &* Chriſtus *hâc in lectione præ cæteris examinabit* Scholares *ſuos in die diſtricti judicii, dicens, eſurivi, & non dediſtis mihi manducare*; *Sitivi, & non dediſtis mihi potum*; *Hoſpes eram, & non collegiſtis me*; *Nudus, & non operuiſtis me*; *Infirmus & in carcere, & non viſitaſtis me,* Diſcoli *qui neſciunt hujus lectionis MISERICORDIÆ verſiculum, in æternum ſentient ſine pietate flagellum, quia dicitur judicium*

S. Doroth. doctrin. 5. περὶ τῆς ἁγίων ὑπερβολῆς.

D. Bonav. diæta. 7. lib. diet. ſalut.

Matt. 25.

ſine MISERICORDIA *ſiet illi, qui non fecit* MISERICORDIAM.

Et hæc ſatis ſuperquè ſunt, ut quis per *Oleam* Divinam ſanctorumquè *MISERICORDIAM* manifeſtè judicare poſſit, nunc videamus quì & ad alios *Oleæ* MISERICORDIA derivetur. Atrociſſimum ſcelus eſt *Homicidium*, & ita fœdum, ita grave, ita nefarium, ut vix ullô ſuppliciô poſſit expiari, itaquè horrendum ut continuis conſcientiæ ſtimulis, veluti totidem furiis *Homicidæ* lacerentur, quæ neque dies nequè noctes illos quieſcere, vel reſpirare ſinant. Et tamen O ſummam *Olearum* vim! O maximam *Olearum* MISERICORDIAM! In OLIVARUM mediô quieſcere, pacatequè degere tàm nefarii criminis reus poteſt. Cùm *Hegeſiſtratus Epheſius* civili nece perpetratâ, *Delphos* aufugiſſet, *Deum* ſciſcitatus illic eſt, ubinam locorum ſedem quietè ponere poſſet, reſpondit *Apollo*, ubi ruſticos frondibus *Oleæ* coronatos ducere choreas viſurus eſſet. Quod cùm in *Aſiæ* regione quâpiam *Hegeſiſtratus* animadvertiſſet, Urbem ibi condidit, quam ab *Oleis* & à MISERICORDIA pariter *Eleam* vel *Eleuntem* appellavit, ἐλαία enim OLIVA eſt, ἔλεος autem MISERICORDIA. Quâ in urbe tranquillè pacificequè reliquos vitæ dies maximâ cum fœlicitate, non ſine grandi MISERICORDIA tranſegiſſe memoratur.

Plut. in fin. paral. Thucidid. l. 8. Herod. l. 6.

Atque ut in eâdem *Oleâ* MISERICORDIÆ vis magis appareat, finge tibi animô & cogitatione Regem potentiſſimum, infenſiſſimum, furioſiſſimum, ſicariiſquè ſtipatum undique, qui vel ad ſolum illius nutum cuilibet eripere vitam honori maximo ducant. Quòd ſi quiſquam ad illum in eundem gravis peccati reus cum *Oleæ* ramô velit accedere, ab illo MISERIDORDIAM obtinebit, nam ut vult oris aurei Doctor, proferunt Regibus *Oleæ* ramos homines, κλάδους ἐλαιῶν, quòd hæc arbor MISERICORDIÆ ἐλέου ſymbolum, ſeu hieroglyphicum habeatur, cujus oſtenſô ramuſculô, Reges iidem moveri ſoleant, quòd ſcilicet eô genere plantæ MISERICORDIAM, humanitatemquè nec obſcurè quidem proferentes, eandem commemorare videantur, διὰ τοῦ φυτοῦ ἐλαίου αὐτοὺς ἐλέου ἐν φιλανθρωπίας ἀναμιμνήσκοντες.

Chryſ. homil. de non commit. eccleſ. Dei

Idem de incomprehenſib. Dei natur. hom. 3.

Hic antequam finiam, quæ controverſiæ nonnihil habeat, & ad animi cognitionem pulcherrima, & ad conſiderandam ut par eſt religionem neceſſaria, perdifficilis ſuboritur dubitatio, undenam fit ut *Chriſtus* ex OLIVETI monte rediens adulterium mulieri condonarit, *Deus* autem in *Sacrificiô* pro peccatô peculiari mandatô rejiciat OLIVARUM *Oleum*. Quid an Deus ille MISERICORDIARUM *Pater*, per *Oleam* expreſſam *MISERICORDIAM* peccatori denegarit? A quâ tamen falſæ *Divinitates*, cultores ſuos nunquam excluſêre, Nam in *Oleæ* primùm illìc productæ, ſignìquè *MISERICORDIÆ* gratiam, in *Athenienſi* forô *MISERICORDIÆ* quam præ *Græcorum* cæteris ſuprà dictam ob rationem colunt *Athenienſes*, extructa fuit *Ara*. Ἀθηναίοις ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐστιν ἐλέου βωμός. Quid inquam *Deus*, *ille Deus* cujus natura bonitas, benignitas & *MISERICORDIA*, OLIVARUM *Oleum*, quod tamen in omnibus aliis admittat, in Sacrificiô pro peccatore, & peccatore populi ſui, tanquam ab eô *MISERICORDIAM* excludens apertè repudiet? Hic grande aliquod latet *Myſterium* lector benevole. Atque ut de adulterâ nihil dicam, quam ne lapidibus obrueretur permiſit abire *Chriſtus*. Aïo *Taurorum* omnium, *Vitulorum*, *Arietum*, *Ovium*, *Agnorum*, *Caprorum*, *Turturum*, *Columbarum*, *Paſſerum*, omnium *Hominum* effuſum ſanguinem, *Sanctorum* omnium opera omnia, *Beatæ Virginis*, immò *Angelorum* ſi forent iidem corporei, ſingultus omnes, gemitus, lachrymarum ab illis profuſarum maria plurima, atque adeò per totam æternitatem, ne quidem pro unicô peccatô ſatisfacere poſſe. Siquidem majeſtatem infinitam *Dei* lædat peccatum, hæc autem ſuperiora finita

Lorin. in Pſ. 51.

Pauſan. in Attic.

ſint

ſint omnia. Unde compenſatio ex æquô, quod in verâ ſatisfactione requiritur, dari ratione nullâ poteſt. Unde ulteriùs omnes *Chriſtianorum Theologi*, omnes ad unum, VERBI DIVINI INCARNATI INCARNATIONEM HYPOSTATICAM *ex hypotheſi peccati, neceſſariam fuiſſe deducunt.* Unde *Petrus* 1 Petr. 1. *Non corruptibilibus aurô vel argentô redempti eſtis, ſed pretioſô ſanguine quaſi* Agni immaculati Chriſti, *& incontaminati.* Unde prætereà *Paulus, Non eſtis veſtri,* 1 Corinth. 6. *empti eſtis enim pretiô magnô.*

Hìc concionari non eſt animus. Poſitis igitur ita ſuperioribus, ut ad propoſitum revertar. In *Holocauſtô* ex divinô præceptô, pro ratione animalis oblati certa OLIVARUM *Olei* menſura determinata fuit, nam ex *MISERICORDIA* Divinâ fit, quòd tantam *MAJESTATEM* agnoſcamus, laudemus, colamus, veneremur. In *Hoſtiis Pacificis Olei* ſimiliter liquor adhibebatur, quia & *MISERICORDIÆ Divinæ* acceptum referre debemus, quòd *Deo BENEFACTORI NOSTRO* gratum ſignificemus animum, atque beneficiorum illius quantulaſcunquè poſſumus gratias, & agamus & habeamus, at in *Sacrificiô pro peccatô* vetat uſum OLIVARUM *Olei Deus*, quia *Sacrificium* id genus, ſeu potiùs umbra *Sacrificii*, de ſe non erat aptum, ut pro peccatô ſatisfaceret, nec ex conſequenti *MISERICORDIAM Divinam* obtineret; Quam ſatisfactionem *MISERICORDIÆQUE* largitionem *AGNI IMMACULATI CHRISTI* nimirum Sacrificiô reſervatam fuiſſe manifeſtiſſimum eſt. Qui cùm eſſet ipſemet *OLEA* quemadmodum ſuperiùs attigimus, ejus Divinô ſuccô, ſanguine videlicet, unum hoc *Sacrificium* pretium & valorem ad Divinam peccatori *MISERICORDIAM* obtinendam habuiſſe nemo *Chriſtianus* revocavit unquam in dubium. Quod autem ſuccus OLIVÆ ſanguis ejuſdem æſtimetur, audi laudatos ab eruditiſſimô neotericô ſanguinem OLIVÆ fundentes Poëtas, *Nicandrum* ἔαρ ἐλάιης, *CALLIMACHUM* ἔαρ ἐλάιης, *NEMESIANUM*. Salmaſius Plin. exercitat. in Caii Jul. Solin. Polyhiſt Part. alter.

Nam dum Pallas amat turgentes Sanguine *baccas.*

Alios apud eundem citatos reperies.

Interim finio cum *Davide, Ego autem ſicut* OLIVA *fructifera in domô* Dei, Pſal. 51. licet OLIVÆ ad inſtar plurimos bonorum operum fructus & pœnitentiæ præſertim ferre coner, abſit tamen ut in illis ullô modô confidam, nam *ſperavi in MISERICORDIA* Dei *in æternum.*



Ferebant

Plutarch. in Nicia.

FErebant olim *Athenienſes Diis* maximè charum *Niciam*, quòd ab illis tàm præclarum nomen accepiſſet, cùm enim in ſignificatione ſuâ *Græcâ* victorem *Nicias* denotet, arbitrati ſunt *Athenienſes Imperatorem* illum ex tanti nominis omine ſemper ab hoſte victoriam reportaturum. At longè *Deo* charior in appellatione ſuâ ferri debet OLIVARIUS, cujus in nomine tanta tàmq; vera contineantur, quanta in cujuſquam *Monarchæ* nomine capta nondum conſpexit orbis. Nam præter victorias, ut de cæteris, de quibus ſuprà, ſileam, *MISERICORDIAM* ipſam Imperatorum victorumquè præſertim maximè propriam, peculiaremquè *DEI* virtutem veriſſimè continet OLIVARIUS, poſt victorias enim innumeras, adeò fuit ille *MISERICORS*, ut quemadmodum ſuprà dixi, neminem unquam niſi certaminis in ardore percuti voluerit, & quod miſerationis caput eſt, omnibus, qui contraria ſecuti fuerant arma, non modò condonavit, ſed etiam ut dignitates illi ſuas retinerent conceſſit, immò ut ad eaſdem nova fieri poſſet acceſsio, niſi per rebellionem abuterentur OLIVARII gratiâ. Extraneos autem, quos captivos plurimos habuit, tantâ *Miſeratione* proſecutus eſt, ut eoſdem ſalvos & incolumes ſine ullô redemptionis pretiô liberos dimiſerit, tantâ denique *MISERICORDIA* præditus fuit in *Anglos*, ut liberè carceres iis, qui ſolvendo non eſſent aperuerit, & eos quibus carceres rapinarum ſuarum erant *azylum*, è carceribus ejecerit, ut eâ ratione creditores innumeros, miſerrimoſquè ab incarceratorum oppreſsione manifeſtâ liberaret; A quibus quandiu degerent in carcere, ſua repetere non poſſent, extra carcerem recuperarent, ſuam ad extremum in corrigendis multis legibus erga Nationem hanc *MISERICORDIAM* Divinâ quâdam ratione ſupra modùm eſtendit, nam hìc ab obtinendâ juſtitiâ pauperes ante multa ſecula penitùs arcentur, mediocriſquè fortunæ viri, tùm propter neceſſariam in proſequendô jure pecuniarum vim ingentem, quibus iſti non abundent, tùm propter innumeras plurimis in legibus dilationes, quæ multas hominum vitas ad illarum finem aſſequendum requirere videantur, tùm propter novos continuoſquè negotiorum fluctus ſibi invicem cum maximâ litigantium perturbatione ſuccedentes.

Cancellaria per Olivarium regulata.

Unde in OLIVARII Decreti promulgatione nuper editâ, de regulandâ ſupremæ curiæ Cancellariæ juriſdictione, veriſsimè, rectiſsimequè cumquè ſingulari judiciô tribus verbis eâ de re cauſæ redduntur, ut ſcilicet quilibet cum minori ſollicitudine, anguſtiâ, negotiorumquè turbâ, cum minoribus ſumptibus & expenſis, cumquè dilatione minori quàm antea, jus ſuum quantum compendioſè fieri poſsit aſſequatur. Unde præterea fit, ut per legum quàm aggreditur aut correctionem, aut innovationem in omnes *Angliæ* ſubditos, maximam quæ poſsit eſſe *MISERICORDIAM* demonſtrare videatur OLIVARIUS.

Agapetus Diaconus Juſtiniano Imperatori.

Ex quô veriſsimè quadrare poteſt in illum *Agapeti* dictum iſtud *Imperatori Juſtiniano*, βασιλεῖ Ἰουστινιανῷ. Honore quôlibet ſublimiorem cùm habeas dignitatem, *Imperator*, eum profectò ſummô debes honore, reverentiâ ſummâ, nec non adoratione maximâ venerari, qui te tali dignatus eſt amplitudine, quoniam is juxta ſimilitudinem cœleſtis regni, καθ' ὁμοίωσιν τῆς ἐπουρανίου βασιλείας quod ſolus ille gubernat, terrenæ poteſtatis ἐπιγείου δυναστείας regimen tibi conceſſerit ut in Imperiô tuô pertinacem & temerariam ſævitiam, inclementiam, immanitatem ferinam averſeris, ſed te Deo ſimilem exhibeas, Deum præ te feras, Deum imiteris; In hôc autem præcipuè Deum imitaberis, ἐν τούτῳ δὴ μάλιστα τὸν Θεὸν μιμήσῃ, ut nihil, quâ Deus præ cæteris ſuis attributis enixè delectatur, *MISERICORDIA* pretioſius exiſtimes, ἐν μηδὲν ἡγεῖσθαι τοῦ ἐλεεῖν πρότιμώτερον.

Neque

Neque enim vir quiſpiam præclarus eſſe poteſt, nèdum bonus Imperator, *ut inquit alter, qui cum cognitione rei militaris ferinam quandam immanitatem commiſcuerit, quoniam non carnifices aut Tygres mittuntur ad laniandos inermes & ſubjugatos, ſed ad ſubjugandos obſtinatos, & reſiſtentes hoſtes.* Qui cùm ſe rationi ſubjecerint, *Imperatoriſquè* victoris *MISERICORDIÆ* commiſerint, aliorum criminum expertes, procul dubiô *MISERICORDIAM Imperatoris Heroici* debent experiri, *Chriſtianiq;* præſertim, cùm ad *Chriſtianos* omnes, præſertim autem ad *Imperatores*, qui *MISERICORDIÆ* plura nanciſcantur objecta, Divinum iſtud effatum *Chriſti* pertineat, *Eſtote MISERICORDES ſicut & pater veſter cœleſtis MISERICORS eſt.* Quantum fieri poteſt igitur ad *MISERICORDIAM* ſe totum prudenter tamen componere debet *Imperator*, atque etiam aliquô modô *juſtitiæ* limites in condonando ſine cujuſquam injuriâ prætergredi, *Cùm MISERICORDIÆ virtutes omnes honorabiliter cedere non recuſent.*

Natal. Com. hiſt. l. 12.

Luc. 6.

Caſſiod. in Epiſt.

QUO fit, ut in hôc, qui mihi tamen in plurimis arrideat, *Senecam* audiendum eſſe non cenſeam, dum *Deos* in exemplum principibus conſtituit, per hoc enim licet contra ſuam mentem, principes omnes exuit humanitate, nec non *MISERICORDIA*: Nam in *Diis MISERICORDIÆ* nihil prorſùs eſt, ſed mera crudelitas, meraquè barbaries. Num *Dianæ* ſanguine humanô *Scytæ* ſacrificare ſolebant? Num eidem *Dianæ Taurica* regionis accolæ advenas præſertim *Græcos* immolabant? Quò cùm errabundus ob paricidium acceſſiſſet *Oreſtes*, atque foret immolandus, aufugit raptâ Deæ brevi leviquè ſtatuâ, cumquè in *Aricia*m *Latii* non procul à *Româ* deveniſſet, illamquè conſecraſſet ibidem, eandem *Romani*, ob illius crudelitatem in ſacrificiis humanis defeſſi, *Laconibus* poſteà conceſſêre. Apud quos *Dianæ* quidem *Orthiæ* ſignum, quod *Pauſaniæ* eſſe illud ipſum à *Barbaris* ademptum ſatis perſpicua produnt indicia. Nam qui *Deæ* ſacra facerent, ad jurgia & rixas mox etiam ad cædes mutuas convertebantur, cumque ad ipſam *Aram* occumberent multi, reliquos ſubita morbi vis abſumebat, unde acceptum *Oraculum*, *Aram* illam humanô ſanguine aſpergere oportere, ἐπὶ τοῦτο γίνεται λόγιον ἅιματι ἀνθρώπων τῷ βωμῷ ἀιμάσσειν. Quare cùm ante ſorte duceretur immolandus, θυομένου δὲ ὅντινα ὁ κλῆρος ἀπελάμβανε ſacri ritum *Lycurgus* ad puberum plagas tranſtulit, λυκοῦργος μετέβαλεν ἐς τὰς ἐπὶ τοῖς ἐφήβοις μάστιγας. Undefit, ut hôc etiam ritu nihilô ferè minùs ſanguine humanô *Ara* imbuatur. Sacris autem præeſt fœmina, quæ dum cæduntur pueri, ſignum præfert, quod eſt alioqui propter brevitatem leviſſimum, Verùm ſi quibus cædendi negotium datum eſt, cum quôpiam eorum qui cæduntur *Ephoeborum*, vel ob ſpeciem, vel ob natalium claritatem agant parciùs, tunc eouſque ſignum aiunt grave fieri, ut *Sacerdos* illud ſuſtinere nequeat τότε ἤδη τῇ γυναικὶ τὸ ξόανον γὰρ βαρὺ, καὶ οὐκ ἔτι ἔυφορον, illa verò *Sacerdos* in cædentes cauſam confert, ſequè eorum culpâ queritur onere tantô opprimi, adeò *Taurica* illa *Diana* hominum ſanguine delectatur, atque hæc quidem de crudeliſſimô *Dæmone Pauſanias.*

Seneca de Clementia l. 1. c. 5.

Palephat. in hiſt. deor.

Vereder. in imagin. deor.

Pauſan. in Laconicis.

Aliud Sacrificii genus *Diis inferis* accipe. *Perſicum* eſt defodere viventes, inquit hiſtoriæ parens, περσικὸν τὸ ζώοντας κατορύσσειν. Nam & *Ameſtrin Xerxis* uxorem, jam provectæ ætatis, audio quatuodecim *Perſarum* illuſtrium liberos vivos defodiſſe, ad referendam pro ſe gratiam illi *Deo*, qui ſub terrâ degere perhibetur.

Her. in Erato.

Accipe non minùs crudeles immolationes. Cum *Agathocles Carthaginem*, deletis *Pœnorum* copiis obſideret, ſibi *Saturnum* infenſum eſſe cauſabantur, quòd cùm ſuperiori tempore filiorum præſtantiſſimos huic Deo ſacrificarent, pueros deinde clàm emptos, & enutritos ad ſacrificium mitterent. Hæc igitur graviſſima peccata ſua ſine morâ fatentur; atque corrigunt, nec

Diodor. l. 20.

non ducentos ex præcipuâ nobilitate delectos pueros Sacrificiô publicô immolant, διακοσίους μὲν τῶν ἐπιφανεστάτων παίδων προκρίνοντες ἔθυσαν δημοσίᾳ. Erat autem apud eos *ænea Saturni ſtatua*, quæ manus ſupinas extendebat, ita ad terram inclinatas, ut impoſitus illis puer devolveretur, & in voraginem ignis plenam rueret. Unde fabula quæ ex priſcâ apud *Græcos* famâ traditur, quòd ſuos tollat è mediô liberos *Saturnus*, παρὰ τοῖς Ἕλλησι μῦθος παραδιδόμενος, ὅτι κρόνος ἠφάνιζε τοὺς ἰδίους παῖδας.

Anton. Mendoz. in relat. novi orbis: Addam quod ipſâmet immanitate ſit immanius aliquid. *Mexicani Diis ſuis, Dæmonibus* ſine dubiô, quotannis ad viginti millia hominum immolare ſolebant, atque in urbe *Mechoacam Carnifex* Deus illius, quidquid civibus eſſet gratiſſimum, uti ſponſam dilectam, vel infantem ſpecioſum, offerri ſibi poſtulabat, quâ de cauſâ indigenæ loci tàm truculentum peroſi Deum, Chriſti fidem obviis ulnis ultrò ſunt amplexi.

Theatr. orbis. Quin & in urbe *Mexicô*, *Mexicanæ* provinciæ celeberrimâ, cujus in unâ plateâ ſingulis diebus pluſquàm ſexaginta millia vendentium ementiumquè conſpiciuntur, fiunt *Idola* ex farinâ, humanôquè ſanguine compacta, quibus plurima hominum corda, ex viventium corporibus extracta, ſingulis diebus offerunt.

Virg. Æneid. 2. Notum eſt omnibus *Virgilianum* iſtud,

Sanguine placaſtis Ventos, *& virgine cæſâ*
Cumprimum Iliacas Danai *veniſtis in oras*,
Sanguine quærendi reditus, animâquè litandum
Argolicâ.

Corn. Exod. 19 Ex Paral. Plut. Sileo, quòd cùm peſtis *Spartæ* graſſaretur aliquando, monuerint *Oracula*, mali vim ceſſaturam, ſi quotannis nobilem virginem aliquam immolaſſent.

Prætermitto malè quondam audiiſſe regionis iſtius incolas, quòd *Diis* ſuis advenas, hoſpiteſquè ſuos immolarent.

Horat. lib. 3. carm. ode 4. *Viſam* Britannos *hoſpitibus feros*,
Inquit *Horatius*.

Non dico varias apud nationes, penequè omnes, leges *Diabolicas* inſtitutas eſſe, quibus *Diis* devoverentur homines, quos ſacros appellarent, quoſquè diutiùs vitâ frui nefas eſſet, ex quô ſemel ſacri fuiſſent. Accipe quid eâ de re ſentiat doctiſſimus civitatis *Romanæ Conſul Macrobius*, ipſiuſmet verba

Macrob. Saturnal. l. 3. c. 7. referam. *Non alienum videtur, de conditione eorum hominum referre, quos leges ſacros eſſe certis* Diis *jubent, quia non ignoro, quibuſdam mirum videri, quòd cùm cætera ſacra violari nefas ſit, hominem ſacrum jus fuerit occidi. Cujus rei cauſa hæc eſt, veteres nullum animal ſacrum in finibus ſuis eſſe patiebantur, ſed abigebant ad fines* Deorum, *quibus ſacrum eſſet; Animas verò* Sacrorum *hominum, quos* Græci ζωάνας *vocant*, Diis *debitas exiſtimabant, quemadmodum igitur, quod ſacrum ad* Deos *ipſos mitti non poterat, à ſe tamen dimittere non dubitant, ſic animas quas ſacras in* Cœlum *mitti poſſe arbitrati ſunt, viduatas corporè, quamprimum illô ire voluerunt, diſputat hoc* Trebatius *religionum librô nonô.* Atque hæc quidem *Macrobius*.

Per quæ omnia manifeſta videtur omnibus *Deorum* antiquorum crudelitas, barbaries, immanitas, laniena, carnificina, I *MMISERICORDIA*.

Lev. c. 18. & 20. Unus autem *Deus* noſter, cujus natura bonitas, clementia, benignitas, manſuetudo, *MISERICORDIA*, talia prorſùs abhorret, abominatur, rejicit ſacrificia.

Unde *Principes*, *Imperatores*, *Monarchæ*, qui verum colunt Deum, hunc imitantur in bonitate, manſuetudine, *Moderatione*, *MISERICORDIA*, partis præſer-

præſertim victoriis. Quod ſine dubiô facis OLIVARI, quemadmodum id actiones illæ tuæ *Heroicæ* de quibus ſuprà, tàm apertè tamquè clarè loquuntur, ut etiam illas orbis univerſus audierit, OLIVARIUMQUE te verè nominatum, hoc eſt *MISERICORDEM*, elatâ voce jam ubivis gentium omnes prædicare non ſinant.

Unde prætereà nemini mirandum videri debet, ſi Deorum cultores, partis victoriis, tàm crudeles, tàm barbari, tàm immanes fuerint, dum enim victas excarnificarent, mactarentquè plebes *Diis ſuis*, quos in hoc æmularentur, earum gratiſſima fore putabant ſacrificia, quas tanquam illis *Sacras* devoviſſent.

Neque ſolùm *Diis*, ſed amicorum *Manibus*, captivorum aliorumquè jugulatorum animas mittere ſolebant, Unde captâ *Trojâ*, formoſiſſima *Priami* filia *Polyxena*, quæ quondam adamata fuerat ab *Achille*, ad *Achillis* tumulum *Manibus* ipſius à filiô *Pyrrhô* jugulatur, immolaturquè. De quâ *Hectoris* uxor ait *Andromache*,

O fœlix una ante alias Priameia *virgo*,
Hoſtilem ad tumulum Trojæ *ſub mœnibus altis*
Juſſa mori. Virg. Æneid. 3.

Nunquid occiſô *Pallante Evandri Arcadum* regis filiô dum corpus illius cum quantô poterat apparatu funebri remiſit ad patrem *Æneas*, pompæ multos addidit qui jugularentur *Manibus* ipſius *inferiæ*?

Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, *cæſô ſparſuros ſanguine flammas.* Id. ib. l. 11.

Nunquid *Scytarum Imperatores*, innumeros principum ſuorum vitâ functorum Manibus immolant? Num ante paucos annos *Theinmingus Tartarorum Imperator* ducenta *Sinarum* millia ſanguine ſibi proximè juncti cæſi *Manibus* immolavit? Num annô *Chriſti* milleſimô ſexcenteſimô vigeſimô quartô *Baſſa Abaza Mahometæ Manibus*, quem inſtar *Dei* colebat, ſexaginta *Janiſſariorum* millia, à quibus vivis pellem detraheret, *devoviſſe* legitur. Bellum Tartar. Hiſt. Turc. Baud. l. 19. c. 1.

Hæc inquam innumeraquè ſimilia *Deus noſter* abhorret, dequè illis dicere verè poteſt, *MISERICORDIAM volo, & non ſacrificium*: Huic etenim nequaquam arridet ferinô more vitam hominibus eripi. Unde & tale judicium in homicidii rea bruta fert ipſemet. *Si* Bos *cornu percuſſerit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes ejus*, indignus quippe, qui veniat in cibum inquit *Joſephus*. Oſeæ 6. Matth. 9. Exod. 21.

Præterea ſic chari *Deo* ſunt homines ut matri filii, quem ideò vir eruditione plurima clariſſimus μητροπάτωρα nominat, quòd pater materquè ſimul exiſtat, pater dum illis neceſſaria provideat, mater dum illos affectu tenerrimô complectatur. Unde ſibi plurimum à *Metropatore Deô* timere debent, qui ſine ullâ cauſâ neceſſitatequè, propter meram ipſorum cupiditatem, ſuperbiam, humaniquè ſanguinis ſitim, ambitioni ſuæ tàm multos hominum milliones immolarunt. Clem. Alex. ſtromat. l. 5.

Quid *Metropatori* dicturi ſunt *Anthropophagi*? Quid priſci, natium virorum à vivis abſciſſarum, papillarum ſimiliter mulierum commeſtores *Scoti*? Quid dicturus eſt *Thraciæ Rex Diomedes*, qui carnibus humanis ſuos ſaginabat *Equos*? Quid *Amida Tunenſis* ille *Rex Africanus*, qui *Canes* ſuos hominum, qui ſibi non placerent, carnibus enutriret? Quid *Vedius* ille *Pollio*, qui *Muræni* ſuis impinguandis vivos homines devorandos objiciebat? D. Hier. cont. Jovinian. l. 2. D. Ghryſt. in ſerm. Pentecoſ. Diodor. l. 4. Hiſt. Turc. l. 14. c. 13. Baud.

Cum cœnaret D. Auguſtus *apud* Vedium Pollionem, *inquit* Seneca, *fregerat unus ex ſervis ejus* Cryſtallinum, *rapi eum* Vedius *juſſit*, & Muræna *objici*, Senec. de ir. l. 3. c. 40.

quas

quæs ingens Piſcina *continebat, evaſit è manibus puer,* & *confugit ad* Cæſaris *pedes, nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret, ne eſca fieret; Motus eſt novitatis crudelitate* Cæſar, *et illum quidem mitti*; Cryſtallina *autem omnia coram ſe frangi*
Plin.l.9.c.23. *juſſit, compleriquè* Piſcinam. De quô & ipſe *Plinius*, Vedius Pollio Eques Romanus *ex amicis* Divi Auguſti, *vivariis* Murænarum *immergens damnata mancipia, non tanquam ad hoc feris terrarum non ſufficientibus, ſed quia in aliô genere totum pariter hominem diſtrahi ſpectari non poterat.* Quid *Romani* dicturi ſunt *Imperatores Auguſtiſſimi*, qui ſuis in *Amphitheatris* recreationis populorum gratiâ tàm multos miſeros à feris laniandos exponebant? Quid cum ſuô *Taurô* crudeliſſimus *Phalaris*? Quid cum *Lectô* ſuô æneô dicturus
Cicer.in ver. Diodor.l.20. *Agathocles*? Quid ſanguinis humani fluviis delectatus *Annibal*? Quid deniquè *Nini*? Quid *Xerxes*? Quid *Alexandri*? Quid *Cæſares*? Quid *Mahometes*? Quid *Imperatores* cæteri, qui ſanguinis humani profudêre *Maria*?
Senec.de ira, l.2.c.5.

Quod ſi vindictam clamabat in *Cain Abelis* effuſus ſanguis, quantus ad *cælum*
Gen. 4. in truculentiſſimos *Imperatores* illos tàm immenſi profuſionis ſanguinis clamor exiſtet?

Sed iſtis omnibus vindictæ *Divinæ* permiſſis, quæ cum OLIVARIO relationis nihil habere poſſunt, quemadmodum ſuprà vidimus, ſiquidem non tantum *MISERICORDIÆ* nomen, ſed omen & effectum OLIVARIUS habeat.

Propterea lepidum hìc aliquid ſubjungere placet. *Rufus Romanus Senator* ſalutem dicens *Julio Cæſari*, cum ex *Italiâ* in expeditionem quandam diſcederet, ait, quòd omnes *Tauri Vituliquè* Civitatis *Romanæ* vicini cuperent ut
Senec.de benefic.l.3. nunquam rediret in *Italiam*. Cùm ſimiliter *Marcus Antoninus* in *Barbaros* profectus eſſet, per vicos & plateas civitatis multæ ſchedæ hunc in modum exaratæ *Taurorum Alborum Italiæ* nomine repertæ ſunt. *BOVES ALBI MARCO CÆSARI SALUTEM, Si viceris periimus.* οἱ λευκοὶ βόες Μαρκῷ Καίσαρι, ἂν σὺ νικήσεις ἡμεῖς ἀπωλόμεθα.

Timeant *Imperatorum* victorias per me licet *Tauri, Boves, Vituli, Verveces, Agni, Caprei*, non ut quidem *Diis* immolentur, ſed ut victor exercitus nonnihil relaxet, nec non exhilaret animum, indulgeat genio, poſtquè tàm multos exantlatos labores largiùs aliquantulum epuletur. Satiùs enim eſt, ut illos *BOVES* reformident quàm homines, quos cum omni manſuetudine, moderatione, *MISERICORDIA*, decet accipi.

Terpſicore Her. Neque ut finiam, hic audiendus eſt *Mileſiorum Tyrannus Thraſibulus*, ad quem cum Rex *Corinthiorum Periander* fidum ſibi quendam ablegaſſet, ut ab eô rationem exquireret, quâ pulcherrimè tutiùs gubernare poſſet, ex urbe legatum *Thraſibulus* in prædium quoddam eduxit, per quod ambulans detruncabat, abjiciebatq; quamcunq; videbat ſuper alias extantem ſpicam, donec ſegetem formoſiſſimam vaſtarit, ſicquè prædium totum pervagatus nullô verbô redditô nuntium remittit, ὑποθέμενος ἔπος οὐδέν quod cum Periander intelleXiſſet, ſtultiſſimè ferociſſimequè, licet is ex ſeptem *Græciæ Sapientibus* unus eſſet, eminentiſſimos quoſque *Corinthiorum* interemit.

Plutarch.in Demetrio. Longè ſatiùs & tutiùs eſt æmulari *Demetrium Antigoni* qui cùm jam ſecundâ vice deficientes *Athenienſes* obſidione cinxiſſet, atque ad deditionem ſine ullis conditionibus coegiſſet, omnes in forum advocavit, quod undiquè cinxit armatis. Qui cùm nihil aliud præter mortem expectarent, leniter verbis caſtigatos dimiſit; Atque per hanc *MISERICORDIAM*, in ſummam cum illis rediit amicitiam.

Quod exemplum *MISERICORDIÆ* generoſiſſimô, invictiſſimô maximequè

mequè Heroicô dignum *Imperatore*, iis omnibus proponi debet, qui cùm victoriam aliquam reportarint, ſic in victos crudeliter inſoleſcunt, ut reliquos totô vitæ tempore ſemper hoſtes habeant, qui nullam rebellandi prætermittant unquam occaſionem, quos tamen *Imperatoris* MISERICORDIA ſibi comparare, fidoſquè deinceps continere potuiſſet.



OPtandum eſſet, amice lector, ut *Rerumpublicarum* omnium gubernatores, publicô ſtipendiô junioribus inſtituendis idoneos providerent Grammaticos, qui non illos in rudi, ſolâquè verborum cognitione ſuperficie tenus duntaxat, ſed in eorumdem interpretatione peculiariter erudirent: Singulis enim diebus paſſim, plerumque, nec ſine dedecore contingere videmus, ut eô defectu *Grammaticæ*, *Philoſophi*, *Theologi*, *Juriſperiti*, *Medici*, in diſputationibus, iiſquè publicis, maximô cum ardore, vehementiâquè ſuſceptis, integros verboſâ cum loquacitate, contentionequè garrulâ, dum toti ſint in verbis, ſine ullô fructu dies terant integros, & tandem ingruente nocte fateri cogantur, totam diſputationem in diſceptatione, controverſiâquè nominum poſitam eſſe: Propterea veram nominum *Etymologiam* in litigioſæ cujuſlibet concertationis initiô cenſeo præponendam, ut vel ab ipſômet primordiô, quâ de re dicendum, agendum, tractandum, diſſerendum, diſceptandum, decertandumve ſit, quilibet agnoſcat.

Atque ut opinionem meam non in ſolâ ſpeculatione ſitam eſſe confirmem, hanc in praxim actutùm redigere placet, quamobrem in orationis iſtius exordiô, quid *JUSTI* nomine ſignificetur ſeriô conſiderandum eſt, docet enim divinus *Plato*, quòd δικαιοσύνη *JUSTITIA* δικαίου σύνεσιν *JUSTI* intelligentiam importet, quid autem ſibi δίκαιον *JUSTUM* velit, difficile cognitu? αὐτὸ δὲ τὸ δίκαιον χαλεπόν. Porrò quid illud eſt, quod *JUSTUM* appellare ſolemus? Niſi quod eſt ſuæ regulæ, ſeu menſuræ congruens, cohærens, conveniens, coaptatum, adæquatum; Unde *JUSTA* dicitur ulna, quæ ſimilem aut potiùs æqualem habet extenſionem partibus omnibus, quas ad illam neceſſarias ordinavit *Politia*, unde & *JUSTAM* amphoram vini dicimus, cùm vinum adæquatur perfectè eidem menſuræ, quam ad id magiſtratus inſtituit. Dicendum idem eſt de *modiis*, *ponderibus*, *pretiis*, aliiſquè *Menſuris* *Reguliſquè* Plato in Cratylo.

Politicis, quæ *JUSTA* dicuntur omnia, ſi à primâ ſuâ regulâ ſeu menſurâ, valore, vel inſtitutione *Politicâ* non deficiant, nec eandem excedant. Unde patet quòd *JUSTUM* maximam habeat latitudinem, *JUSTUS* enim panis eſt, conſtans ſuâ farinæ *Menſurâ*, vel pondere decretô; *JUSTUM* pretium quod æquale eſt rei valori; *JUSTUM* horologium, quod *Solis* motui nec non *Æquinoctialis* aſcenſioni ſuper *Horizontem*, quantum fieri poteſt exactè, reſpondet: *JUSTA* veſtis, quæ neque brevior, neque major eſt quàm par ſit, nec amplior, aut contractior, ſed aptata corpori veſtito perfectè congruit; *JUSTA* pœna quæ delicti gravitati conſentanea ſit, unde *pœna Talionis, Dens pro dente, oculus pro oculô*, & ſic de cæteris innumeris, quæ pluribus hìc attexere ſupervacaneum omninò foret.

Ut itaquè Justus dicatur homo, de moribus loquor, partibus omnibus, quibus, ſi mihi ſic loqui fas eſt, Justari debet, debet neque ſine defectu, neque cum exceſſu, tribuendo cuique præciſè quod ſuum eſt, plenè cumulatequè reſpondere. Unde cùm ex *Ambroſiô* Justitia ſit *quæ det cuilibet quod ſuum eſt*, atque ex *Bernardô*, nihil ſit aliud eadem Justitia, quàm *reddere unicuique quod ſuum eſt*, ſi vir quiſpiam cuilibet abſolutè quòd ſuum eſt, neque plus, neque minus tribuat, Justitiam habiturus eſt, à quâ Justus extra omnem dubitationis aleam nominabitur. Tenetur autem homo quilibet, ut Justus propriè dicatur, reddere Deo, hominibus aliis, ſibi ipſi quod ſuum eſt, & ſi vel in unô quopiam aberrat Injustus eſt, nam in *Philoſophiâ* morali ab omnibus refragante nemine vulgò receptum eſt hoc *AXIOMA, BONUM EX INTEGRA CAUSA, MALUM EX QUOLIBET DEFECTU:* Atque *ut in* Citharâ *ſi vel unica* Fides *deſcrepat, concentus & harmonia tota perit, ſic JUSTITIA ſi in unô aliquô delinquat.*

Ambroſ. 1. de Offic. Bern. in Epiſt. Lipſius in centur. 2 ad Belg. Epiſt. 39.

Primùm igitur erga *Deum* tribus modis exercetur *JUSTITIA*: Vel propter ejus excellentiam, & eminentiam, unde naſcitur *RELIGIO*: Vel propter illius in homines beneficia, unde *GRATITUDO*: Vel propter culpas, & imperfectiones hominum, unde *POENITENTIA.*

Deinde tribus pariter modis in homines eadem colitur *JUSTITIA*; conſideratur enim an *SUPERIORES* illi ſint; An *ÆQUALES*, an *INFERIORES*, *tribus ergo tribue quæ ſua ſunt*, *SUPERIORI*, *ÆQUALI*, *INFERIORI.* Bern. in Epiſt.

Debes igitur *SUPERIORIBUS* ſi *naturâ SUPERIORES* illi ſunt, quales *Parentes, PIETATEM*; Si *Electione*, quales *Magiſtratus* & *Heri* ſive *Domini, OBEDIENTIAM*; Si *liberalitate* propter aliquod ab iis collatum in te beneficium, *GRATITUDINEM.* Debes *ÆQUALIBUS*, ſi beneficentiâ tales ſint, *AMICITIAM*, quæ ex veteri proverbiô aut *pares invenit aut facit*; Si ſint ſimpliciter *ÆQUALES*, *ÆQUALITATEM*, *VERITATEM*, *FIDELITATEM.* Debes *INFERIORIBUS HUMANITATEM*, *AMOREM*, *CURAM*, *AUXILIUM.*

Denique tripliciter ſimili ratione in teipſum uteris *JUSTITIA*: Si *corpus moderatè* cures, ſi *Animum* excolas *Cognitione* ſaltem *neceſſariâ*, ſi *Animum* eundem dignis homine *Virtutibus exornes.*

Quæ omnia dum ritè præſtiteris, *JUSTUS*, & meritò quidem evades. Ut autem ſuperiora compendiô breviquè definiam epitomê, *JUSTITIA Perfectionem, ſanctitatem, virtutum denique omnium aggregationem continet*, atque complectitur, unde *Poëta*,

JUSTITIA in ſeſe virtutes *continet omnes.*

Et *Chriſtus* ipſemet, *Niſi abundaverit JUSTITIA veſtra pluſquàm* Scribarum, *&* Phariſæorum, *non intrabitis in regnum Cœlorum.* Atque idem alibi; Matt. 5.

Atten-

Attendite ne JUSTITIAM *veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Ex quibus omnibus JUSTITIAM pro *perfectione, ſanctitate, coacervationeque virtutum* uſurpari nemo non videt. Matt. 6.

Jam verò per OLIVAM JUSTITIAM eandem, *perfectionem, ſanctitatem* deſignari ex *Jeremiâ* pluribus oſtenditur, ubi de *Eccleſiâ*, ſive de *ſanctis* loquens ait; OLIVAM *uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocavit dominus nomen tuum.* In quem locum aiunt interpretes, *Sancti comparantur* Oleæ *ob ſoliditatem virtutis, lignum enim* Oleæ *nec tempeſtas, nec caries, nec vetuſtas labefactat.* Deinde ob fertilitatem bonorum operum, eſt enim *Olea* fœcundiſſima, unde *Propheta Regius*, *Ego autem ſicut* OLIVA *fructifera in domo Dei.* Hinc & *Apoſtolus* ait, *Gentes* ex *Oleaſtro* ſterili, in bonam & fertilem OLIVAM inſertas eſſe. Tertiò ob *Pinguedinem gratiæ, Devotionis* & *charitatis ſanctorum maximè propriam.* Tùm ob id, quòd OLIVÆ folia nunquam defluunt, ſed ſemper virent, in *ſanctis* enim nunquam deperit ſed continuò viret *virtutis* pulchritudo, unde ait *Propheta, Erit quaſi* OLIVA *gloria ejus.* Tùm propter *Pacem*, cujus ſtudioſiſſimos *ſanctos* eſſe compertum ſatis eſt; Ad extremum *Miſericordiæ* gratiâ, quæ maximè ſanctis, ut ſuprà vidimus conveniens *virtus* eſt. Denique propter id, quòd OLIVA foliis exiguis & pallidis, ſed uberi fructu denotat ab oſtentatione non tantùm *ſanctos* alienos eſſe, ſed etiam internæ *Virtutis* JUSTITIÆQUE ſolidò paſci fructu, nam *Symbolicè* docet OLIVA *fructum frondibus, commoda Pompæ, utilitatem ſplendori* longè præponendam. Quis enim OLIVAM exilem, & velut abjectam cuivis ingenti *Platano*, aut *Quercui* luxurianti frondibus non anteponat? Iidem exponentes iſtud *Apocalypſeos, Hi ſunt duæ* OLIVÆ, *& duo candelabra in conſpectu domini terræ ſtantes*, notant OLIVAM *ſymbolum eſſe ſanctitatis & ſanctorum.* Proferuntquè quas ſuperiùs obiter attigi rationes eaſdem, adduntquè *quòd* Sanctorum virtus *nunquam marceſſit.* Quocirca de ſanctâ Virgine OLIVA ſic *Poëta Chriſtianus* cecinit. Jerem. 11. Cornel. hic. Pſal. 51. Rom. 11. Oſeæ 14. Apoc. 11. A.Lapid.hic.

Poſſe tuum ne Virgo time marceſſere nomen,
Et Cælo & Terris ſemper OLIVA *viret.*

Quocirca perfectiones eaſdem OLIVÆ, ſanctorumquè proprias ſub APOSTATA JULIANO ad annum *Chriſti* trecenteſimum ſexageſimum ſecundum, *Martyribus Joanni Pauloquè*, viris zelô, ſanctitate, virtutumquè omnium ſplendore clariſſimis *Romana* tribuit *Eccleſia*, dum ait, *Iſti ſunt duæ* OLIVÆ, *& duo candelabra lucentia ante dominum.* Addit *Theodoretus* in citatum antea *Jeremiæ* locum, OLIVAM *uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocavit dominus nomen tuum.* Addit inquam, Deum hôc præconiô ad virtutum ſanctitatem, JUSTITIAMQUE populum *Judaicum* invitaſſe, quin & interpres idem OLIVAM in JUSTORUM ſimilitudinem, his verbis à *Davide* produci contendit, *Ego autem ſicut* OLIVA *fructifera in domo Dei.* Licet vir alioqui doctiſſimus hunc eundem *Davidis* locum in *Eccleſiaſticorum* gratiam totum exponat, David *ſic myſtica tuba canit virtutis viros undiquè floridos, & undiq; fructuum copiâ redundantes, Ego ſicut* OLIVA *fructifera in domô Dei. Ubi ſine dubiô perſonam induit* Pontificum, *& hominum* Aris *&* Templô *dicatorum, quos propriè in domô Dei habitare dixeris.* Quaſi verò *ſancti* JUSTIQUE reliqui, quia non degant in *Templis* ad domum Dei eam ob rem pertinere non poſſint. Maneat igitur ratum, ſtatutum, decretum, firmum, atque immobile, per OLIVAM *JUSTOS, ſanctos, virtute præditos* ab ipſomet *Deô* veriſſimè deſcribi, ſignificari, declarari, demonſtrari. Theod. in 11 Jerem. Id.in Hab.3. Pſal.51. Creſol in anthолog.ſacr.c.1. ſect.4.

Superioribus adde quod in rem eandem abundanti doctrinâ, atq; optimarum artium ſtudiis neotericus quidam ait, *Per* OLIVAM *poteſt intelligi vir* JUSTUS, *perfectus* Berchor. 1er. moral.dict.

perfectus, ſeu bona perſona quacunque, OLIVA *enim habet*

In { *Radice Amaritudinem,*
Lignô Fortitudinem,
Foliis Pulchritudinem,
Ramis Latitudinem,
Duratione Longitudinem,
Erectione Celſitudinem,
Fructificatione Plenitudinem.

Quæ ſeptem capita plurimis adaptans *JUSTO* verbis, ſcriptô proſequitur ordine, quæ tibi lector omnia quamvis per otium conſideranda relinquam, ex ſecundô nihilominus pauca, prout jacent illìc, referenda judico. *Comparatur vir JUSTUS* OLIVÆ *propter fortitudinem,* OLIVA *enim lignum habet valdè ſolidum, & quaſi imputribile, & ideo de lignis* OLIVARUM *facta fuerunt duo* Cherubim *in templô* Salomonis. Huc accedit, nec abs re quidem ſubtiliſſima ſapientis *Angli Bedæ Venerabilis* opinatio. Quærit enim unde factum fuerit, ut OLIVA oblatum in ligna detrectarit *Imperium*, ſicquè reſpondet, quòd OLIVA *JUSTITIAM, ſanctitatem, Spiritus ſancti gratiam, & pacis unctionem ſignificat, at ligna ſylvæ ſunt homines vani & vagi, æternô incendiô præparati, his ergo meritò noluit* OLIVA *regnare.* Viden quomodò paſſim commendetur ab omnibus *Olea* tanquam arbor *JUSTITIÆ, Sanctitatis, Virtutis, Perfectionis.* Viden quòd cum diſcinctis *Nepotibus*, perditis *Ganeonibus, Decoctoribus* luxurioſis, impuris *Helluonibus*, proditoribus *ſycophantis*, facinoroſis *ſicariis, reprobis* omnibus nihil habere velit OLIVA commercii, nihil ſimilitudinis, relationis nihil. Viden deniquè quàm ſit ſanctorum, purorum, impollutorum, *JUSTORUM* amatrix arbor, inſons, innocens, pura, *JUSTA*, mimineque contaminata, quemadmodum in *Thebaidos* poematis multi notaverunt.

Penult. Reg. 6. Beda quæſt. in c. 6. Judic.

Statius Theb. 12

Aſtitit ille quidem ramis inſontis OLIVÆ.

Atque ut facilius animadvertas amice lector, quantùm *Innocenciæ, puritatis, caſtitatis* amica ſit eadem *Olea*, quæſo ut eorum tibi memoriam refrices, quæ in *Religionis* ramô de *Oleæ ſanctitate puritatequè* diximus, vidimus enim illìc OLIVAS non niſi à *ſanctis puriſquè* OLIVANTIBVS decerpi ſolitas, iiſque jure jurandô adactis ſe nequaquam adulterinô concubitu pollutos, aliter enim annô ſequenti fructus valde modicus expectandus erat. Cùm autem experimentô *Græci* cognoſſent damnandam nonnullorum *hypocriſin*, qui ſe *ſanctos, mundoſquè* ſimularent, *Olearum* fœcunditati plurimùm obfuiſſe, propterea ſtatuerunt ut non niſi à *puris, innocuis, incorruptiſquè virginibus Oleæ* colerentur, quòd illis fœliciter adeò cecidit conſilium, ut *Oleæ* poſteâ maximâ cum hominum ſatisfactione feraciſſimæ fuerint. Atque ut hoc à verô nequaquam abhorrere tibi videatur amice lector, lege diligenter atque adeò cum admiratione ex *Varrone Romanorum* doctiſſimô, quòd ſi *Hircus*, (ſic impurum animal, *ut illud peccatis omnibus* Iſraelitarum *oneratum cum variis imprecationibus in ſolitudinem abigi mandarit Deus* :) Si inquam, *impudicum* & *immundum* animal *Hircus* ſurculos ex *Oleâ* comedat, quòd illa ſine dubiô ſterilis evadet. Oleam *ſi lambendo* Caprô *linguâ contigerit depaveritquè, primô germinatu ſterileſcere author eſt* Marcus Varro.

Cœl. antiq. lect. l. 12.

Plin. l. 15. c. 8.

Ex quibus omnibus manifeſtè colligere potes amice lector, OLIVAM eſſe *Puritatis*, *JUSTITIÆ*, *Sanctitatiſquè* receptum ab omnibus *Hieroglyphicum.*

Verùm objiciet aliquis ex *Baruc*, qui non in *Hebræô* canone, ſed in *Editione vulgatâ* reperitur, *Impurum amorem, obſcænitatem meretriciam, lenocinium*

nium ex *Oleâ* comparari, quod ex ſequentibus verbis apertè ſatis habetur: *Mulieres circundatæ funibus in viis ſedent, ſuccendentes oſſa* OLIVARUM, *cùm autem aliqua ab ipſis attracta ab aliquô tranſeunte dormierit cum eô, proximæ ſuæ exprobrat: Quòd ea non ſit digna habita ſicut ipſa, neque funis ejus diſruptus ſit.* Baruc 6.

Per OLIVARUM oſſa, duros nucleos, & quaſi oſſeos intelliges, quæ ſint in OLIVIS tritis & contuſis quaſi ſordes, furfures, & excrementa, hæc enim apud *Athenæum* ſunt πιτυρίδες, θλασσόι furfuracei coloris OLIVÆ tritæ & contuſæ, cùm igitur fæcibus oſſeis, & veluti furfuraceis OLIVARUM excrementis ad *Philtra, Veneficia, Sortilegia, Magiam, impudicæ mulieres* quaſi *Dæmoni Sacrificantes* uterentur, nihil inde quod aſſertionem noſtram deſtruat inferri poteſt. Athen. l. 2. c. 14

Nam apud nationes benè moratas, & præſertim *Hebræos* ſemper OLIVA fuit *Miſericordiæ, Pacis, Amicitiæ, Concordiæ, Supplicationis, ſpei, Precum, Religionis, JUSTITIÆ, Virtutis, Sanctitatis indicium*, quod nullô pactô de fæcibus, excrementis, ſordibus, oſſibus OLIVARUM intelligendum eſt. Similibus enim, cùm OLIVÆ *ſanctitatem* polluere nec auſit, nec poſſit, delectatur *Dæmon*, unde *Meretriculæ Diobolares* arte *Diabolicâ* & *incantationibus* dum OLIVARUM excrementa prælô contuſa comburerent, precabantur ut ſic viri prætereuntes ipſarum cremarentur amore, ne diu ſine ſcortatore conſiderent amaſiô. Demum ſic in cineres oſſa dicta redacta ſpargebant in ventum, & reliqua quæ docet *Theocritus* à *Babyloniis* cæteras dediciſſe nationes. Igitur hìc *Idololatriæ* manifeſtâ fœditate quærit ab *Hebræis Baruc*, an ſit ille Deus, cui quaſi lenoni ſtupra, ſtupriquè pretia contra legem veri Dei gentiles offerunt. *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domô Domini Dei tui, quicquid illud eſt quod voverint, quia abominatio eſt utrumquè apud Dominum Deum tuum.* Pier. lib. 53. Theocrit. in Pharmaccutriâ Deuteron. 23.

Cuiquè non OLIVAS nec purum OLIVARUM liquorem, ſed tantùm earumdem oſſa, ſordes excrementa dedicent atque conſecrent. Quæ omnia ut ſuprà monui, poſitionis noſtræ veritatem nullatenùs imminuunt, ſed potiùs augere videntur.

Quæ cùm ita ſint, ut unde incepit hic finiat diſcurſus, ſiquidem *JVSTITIAM* in virtutum omnium exercitatione ſitam eſſe ex ipſomet *Chriſtô* vidimus: *Niſi abundaverit JVSTITIA veſtra pluſquàm* Scribarum *aut* Phariſæorum *non intrabitis in regnum Cælorum.* Matt. 5.

Ex quô tàm manifeſtum eſt quàm quod manifeſtiſſimum, quòd opera bona ſint ad ſalutem adulto maximè neceſſaria. Non quæro quomodô, ſive ſint conditio tantùm ſine quâ non, ut loquar cum Philoſophis, ſive ſint aut medium, aut iter, aut via per quam ad cœlum neceſſariò debeant incedere ſalvandi, ſive cauſa ſint illa ſalutis, non per ſe quidem, ut voluit ad annum Chriſti trecenteſimum trigeſimum *blaſphemus ille Conſtantinopolitanus Epiſcopus Neſtorius, unde Neſtoriani*, qui *Chriſtum* hominem tantùm non verò Deum ex *Mariâ* natum aſſeruit, poſtea verò ei ex meritô *Divinitatem* eſſe collatam. Soer. l. 7. c. 32.

Nec etiam per ſe, ut voluerunt *Hæretici Prædeſtinati, Cataphryges* & *Pelagius Anglus* quorum omnium duplex hic error in conciliô generali *Milevitanô* ad annum *Chriſti* quadringenteſimum octavum damnatus eſt. Primus fuit. *Poteſt homo in hâc vitâ præceptis Dei cognitis ad tantam perfectionem JVSTITIÆ ſine adjutoriô gratiæ ſalvatoris per ſolum liberæ voluntatis arbitrium pervenire, ut etiam neceſſarium non ſit dicere* DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA. Concil. lib.

Alter *Hæriticorum* eorumdem error damnatus eôdem in conciliô ſic habet. *Illud ne nos inducas in tentationem, non ita intelligendum, tanquam divinum adjutorium poſcere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, quoniam hoc in noſtrâ poſitum eſt poteſtate, & ad hoc implendum ſola ſufficit hominis voluntas.* Repudiatis igitur iſtis erroribus, ut ad inſtitutum redeamus, non diſputo qualiter ad ſalutem neceſſaria ſint opera, ſive tanquam

conditio ſine quâ non, ſive tanquam medium, iter, via, per quam ad cœlum eundum ſit, ſive tanquam ſalutis cauſa non per ſe quidem, ſed quatenus conjuncta ſunt operibus *Chriſti*, à quibus elevata vim totam ſuam, efficientiam, energiam, pretium, meritum habent, unde dictum *Auguſtini*, *DVM CORONAT OPERA NOSTRA, CORONAT MERITA SVA.* Non inquam hæc omnia diſputo, ſum enim ex iis unus, *Qui malim ſentire compunctionem, quàm ſcire ejus definitionem.* Hìc tantùm monitum te jubeo lector benevole quicunque ſis, ut operibus bonis ſtudeas, nam *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.* Concionatoribus autem *verbi Divini Præconibus, Eccleſiaſtis, Myſtiſquè omnibus*, cujuſcunque *Religionis* illi ſint, qui ſæpe velut obducti nubibus iracundiæ, nec non *Andabatis cæciores* neſcientes quid oppugnent aut evertant, ſuis in exedris, opponente ſe nemine, fulgurant, tonant, fulminant cùm fervore, ne dicam furore, non moderatò ſatis, cùm *Dei Spiritus ſit in aurâ leni, Eccleſiaſtis* inquam, ſum author, ut ipſorum dicta priùs ad limam quàm ad linguam ferantur, eaquè non negent vel deſtruant eorumdem facta. Propterea dirigam ad illos, non ex *Apollinis* Tripode, non ex *Manticâ Phliaſiarum* domô, non ex *Cavernâ Trophonii*, ſed ab ipſômet ore *Dei* prolatum *Oraculum.* *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.*

Thom. à Kemp de imitatione Chriſti.

Matt. 7.

Matt. 5.



Aturæ Genius ſapientiæquè candidatorum ſine controverſiâ princeps *Ariſtoteles*, ait in *Politicis* civitatem, ſeu *Rempublicam longè meliùs optimô virô, quàm optimâ lege Gubernari*: Ratio eſt, quia probabile eſt eum, qui potens eſt in Republicâ virtuteque præditus, Deum quendam eſſe inter homines, ὥσπερ θεὸν ἐν ἀνθρώποις εἶναι τὸν τοιοῦτον. Præterea *ridiculum arbitratur in tales ubicunquè locorum ſint ferre leges, cùm ipſimet ſint lex, atque ex ſuô ipſorum arbitriô cæteros jure gubernari conveniat*, κατὰ τοὺς τοιούτων οὐκ ἔστι νόμος, αὐτοὶ γάρ εἰσι νόμος.

Politic. l 3.

Ibid. c. 13.

Et certè cùm ipſi Deo quodammodò ſimiles exiſtant, qui ſit *LEX ÆTERNA*, nulliquè legi ſubdi poſſit, par eſt illos, qui temporales leges exiſtant, legi nulli temporali ſubjici. Cùm enim illi Monarchæ ſint, ſimiles in hôc

Agapetus Juſtiniano Imperatori.

hôc Deo ſunt, qui totum ſolus adminiſtret orbem, quæ gubernandi ratio optima ſine dubiô præſtantiſſimaquè omnium, cùm ad ipſiuſmet Dei regimen propiùs accedat, unde contra philoſophos ethnicos diſputans de mundi opificiô *Chriſtianus Scholaſticus Zacharias*, exprobrat illis ſuam ignorantiam, qui *Deorum* non cœleſtium at ſceleſtorum multitudinem ſtatuant nunquam ad *Homericam* converſi ſapientiam, μηδαμοῦ πρὸς τὴν Ὁμηρικὴν ἐπιστρέφοντες σοφίαν, quâ ſanxit multorum imperium nocere, unius verò principatum eſſe præſtantiſſimum. Zacharias ſcholaſticus Chriſtianus de opificio mundi

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς. Homer. Iliad. β

Non bonum multorum Dominatio, unus Dominus ſit, unus Rex. Principatum autem popularem inconditum, turpiſſimam *Rerumpublicarum* omnium adminiſtrandi rationem, δημοκρατίαν δὲ τὴν ἄτακτον καὶ ἀισχίστην τῶν πολιτειῶν. *Ariſtocraticam* autem ſive mixtam, præſertim in magnis *Imperiis* ſemper eſſe tumultuantem, nunquam ſedatam, & tranquillam, unde *Monarchiam* reguminum omnium optimum enuntiat.

Cùm autem *Ariſtoteles* virum bonum bonâ lege meliorem eſſe decernit, ſine dubiô de JUSTO loquitur, nam ex *Tulliô*, JUSTUS *eſt quem bonum virum dicimus*: Atque JUSTITIAM eam eſſe definit, *Ex quâ unâ virtute boni viri appellantur.* Ait præterea JUSTITIAM eſſe maximè commendabilem, *In quâ virtutis ſplendor eſt maximus, ex quâ boni viri nominentur*, denique *Fruendæ JUSTITIÆ cauſâ videntur olim benè morati Reges conſtituti.* 3 Politic. 1 Offic. 2 Offic. 1 Offic. 2 Offic.

De *INJUSTIS* non hìc eſt ſermo, nam ex *Auguſtinô*, *Rex cùm eſt INJUSTUS* Tyrannus *eſt.* Cùm enim *Rerumpublicarum* gubernatores cùm Deô ſimilitudinem quandam hìc habeant, *Deus* autem *Optimus Maximus* ut Divine diſputat Divinus & ipſe *Plato*, nuſquam & nullô modô *INJUSTUS* ſed quàm *JUSTISSIMUS* exiſtat, Θεὸς ὐδαμῆ ὐδαμῶς ἄδικος ἀλλ' ὡς οἷόντε δικαιότατος, atque nihil in totâ rerum univerſitate reperiri poſſit quod ad Dei ſimilitudinem propiùs accedat quàm vir *JUSTISSIMUS*, καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ ὁμοιότερον ὐδὲν ἢ δικαιότατον. Propterea *Monarchæ Rerumquè Publicarum* ſupremi gubernatores *JUSTISSIMOS* eſſe convenit, qui *Dei Vicarii*, vivaquè ſint in adminiſtratione populorum, imago Dei. Auguſt. l. 2. de Civitate Dei, c. 20. Plato, περὶ τῆς ἐπιστήμης.

Εἰκὼν δὲ βασιλεὺς ἐστι ἔμψυχος θεοῦ. Menander.

Qui ad *JUSTITIAM* adminiſtrandam *Judices* prioribus temporibus appellati ſint ut conſtat ex librô *Judicum* populi Dei. Item ex primô *Samuelis*, cui natu majores in *Iſrael*, *Conſtitue nobis* Regem, *ut* Judicet *nos, ſicut & univerſæ habent Nationes*, & paulopoſt, *Erimus nos quoque ſicut omnes gentes, &* Judicabit *nos* Rex *noſter.* Liber Judic. Samuelis ſive Regum l. 1. c. 8

Audi quì apud *Ethnicos*, *Reges* eſſent *Judices*, atque ut *JUSTITIAM* adminiſtrarent, eligerentur. Septingentis ante natum *Chriſtum* annis vir apud *Medos* ſapiens *Dejoces* ſeu *Arphaxad*, cùm ſe *Medi* vindicaſſent ab *Aſſyriorum* ſervitute, qui quingentis & viginti annis *Aſiam* ſuperiorem obtinuiſſent, ſic demum in illos regnaſſe perhibetur. *Dejoces* igitur apud ſuos clarus erat ob ipſius æquitatem probitatemquè, cujus JUSTOS probatoſquè mores cùm ſibi ponerent ob oculos populares ſui *Medi*, *Judicem* illum controverſiarum ſuarum ſuô in vicô conſtituunt, cùm autem idem obtinendi principatus ſolam rectitudinis JUSTITIÆQUE viam agnoſceret, rectum ſe, æquumquè præbuit. Unde factum ut apud ſuos maximam obtinuerit laudem, tantamquè, ut omnes etiam *Medi* aliorum locorum ad ipſum pro dirimendis controverſiis confugerent, qui cùm ſe negotiis oppreſſum animadverteret, ſic ampliùs, ex conſultô videlicet, *Judex* eſſe noluit, breviquè factum Clio Hered.

eſt,

eſt, ut latrocinia, cæteraquè ſcelera viguerint apud *Medos*, quibus ut obviarent unô ſenſu decrevêre *Medi*, ut *Rex* ipſorum eſſet *Dejoces*, ipſiſquè quinquaginta & tribus annis imperavit, ſive per id tempus *Judicavit* eoſdem. Atque ut taceam illud quod ſatis notum eſt, celeberrimum *Salomonis* Judicium, trecentis ad minimum annis ante *Dejocis* ætatem.

Demetr. Plutarch.

Sciunt omnes quòd quadringentis poſt *Dejocis* ætatem annis cùm importuna qnædam *Anus* quereretur apud *Philippum Regem Macedoniæ*, nec eam, quia diceret ſibi tunc temporis ipſius vacare negotio per otium non licere, vellet audire, ſubjecit illicò vetula, *ERGO REX ESSE NOLI* μὴ βασίλευε. Quô auditô ſtatim *Rex* ab inchoatô deſiſtens itènere, perhumaniter acceſſit ad vetulam, ejuſquè negotiis actutùm vacavit, adeò certum eſt ex omni antiquitate *Reges juſticiarios* atque Justos ſaltem *Politicè* eſſe debuiſſe. Unde leges ubique ferè locorum etiam hodiernâ luce à *Regibus*, *Imperatoribus*, *ſupremiſque principibus* latas eſſe conſtat, non quidem pro ipſis, qui *vera vivaque ſubditorum ſuorum lex* exiſtant, ſed pro illis, quos in adminiſtratione Justitiæ veluti ſuos *Coadjutores* populis proponere ſolent. Unde præterea *Tullius*, *Verè dici poteſt* Magiſtratum *eſſe* legem loquentem, legem *autem* mutum Magiſtratum. De quô & rectè cecinit Poëta,

Tull. 3. de legibus.

Buchlerus ſuis in ænigmatis.

Lex *ceu* Rex mutus, Rex *ceu* lex viva *gubernat*.

Cùm itaque principatus obtinendi vera primaquè ratio tùm à Deô tùm ab hominibus inſtituta Justitia fuerit, ejuſdem certè conſervandi rationem prorſùs eandem exiſtere neceſſe eſt.

Eam ob rationem ſapientiſſimi quique certatim in id pedibus accedere videntur. Audi rerum *Hungaricarum* eâ de re teſtem idoneum, Justitia *ſola* Rempublicam & Imperia *ad ſocietatem omnem munit*, & *ſervat*. Ait autem in illâ *myſticâ* cœnâ ſapientum *Athenæus*, quòd princeps erga Deum & homines Justa faciens *Imperium* conſervet, τὰ δίκαια πρᾶττων πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους καὶ θεούς. Cæteros inter producere maximè *Politicum* eſt animus, *Omnes* inquit, *qui boni rerum æſtimatores extiterint facilè conjicient* Rempublicam *illam in quâ perverſa* judicia *fiunt*, *diu ſtare non poſſe*. Nam ut ait *Politicus* alter, Reſpublica, *ſive ſit inſtitutio civitatis*, *ſive res populi*, *niſi JVSTE gubernetur*, *non habenda eſt neque* Reſpublica, *neque civitas*, *neque populus*. Quod divinè admodum *Tullius* his verbis explicat, *Quæ eſt enim civitas? Omniſnè conventus ferorum & immanium? Omniſne etiam fugitivorum*, *ac latronum congregata unum in locum multitudo? Certè negabis. Non igitur erat illa tùm civitas*, *cùm* Leges *in eâ nihil valebant*, *cùm* Judicia *jacebant*, *cùm mos patrius occiderat*, *itaque pulſus civitate non ſum*, *quæ tùm nulla erat*. Addit Auguſtinus *Remota JVSTITIA quid ſunt* Regna, *niſi magna* Latrocinia? *Quia & ipſa* Latrocinia, *quid ſunt niſi parva* Regna? *Eleganter & veraciter* Alexandro *illi magno*, *quidam comprehenſus* Pirata *reſpondit*, *nam cùm* Rex *idem hominem interrogaſſet*, *quid ei videretur ut Mare haberet infeſtum*, *ille liberâ contumaciâ*, *quid tibi*, *inquit*, *ut orbem terrarum? Sed quia id exiguô navigiô facio*, *vocor LATRO*, *quia tu magna claſſe*, *IMPERATOR*.

Bonfinius l. 3. rerum Hungaricarum.

Athen. deipnoſophiſt. l. 12.

Oſor de Reipublicæ inſtitutis l. 7.

Hieron. vida de dig. reip. l. 2.

Tullius in Paradoxis.

Aug. de civit. Dei l. 4. c. 4.

Ratio autem quia *JVSTITIA* ſervet Imperia perdat *INJVSTITIA*, hinc petitur, quòd ſine ſubditorum ſuorum affectu, benevolentiâ, ſtudiô, principes niſi perditiſſimi ſint *Tyranni*, regnare diu non poſſint. Hæc animadverte in *ANGLORVM Auguſtiſſimô Rege Carolô*, ut de cæteris benequè multis ſileam, qui, cùm in illum ſubditorum ſuorum tàm in *Angliâ*, quàm in *Scotiâ* nullus exiſteret amor, propenſio nulla, benevolentia nulla, & regnô & vitâ privatus eſt. Nihil autem eſt quod magis fidem, fiduciam, amorem, benevolentiam, ſtudium populorum in ſuum principem excitet, quàm ejuſdem

Plutarch in Catone uticenſis.

dem illis manifeſta *JVSTITIA*. Quod ſic veriſſimè proſecutus eſt vir non minùs *Politicus* quàm ſapiens. *JVSTITIA virtus eſt, quàm fides populorum maximè ſequitur, nec enim habent in honore IVSTOS, quemadmodum FORTES, neque admirantur quemadmodum SAPIENTES, verùm etiam amant, atque eis confidunt.*

Igitur ut de te tandem dicam aliquid OLIVARI, *Heroicam Martiamquè FORTITVDINEM* tuam tui laudant, omnes ubique deprædicant, in cœlum extollunt, colunt, venerantur: At Divinam quâ te præditum norunt *SAPIENTIAM*, ſuſpiciunt & admirantur: Denique propter ſummam, quâ nobilitaris *IVSTITIAM*, amore te ſummô, benevolentiâquè complectuntur, tibi fidunt, in te confidunt, in te, *diſcolis paucis, invidiſquè nonnullis exceptis*, ſimul omnes acquieſcunt.

Primùm, quòd Principatus iſtius quem obtinet, non ſit uſurpator injuſtus OLIVARIUS, ut ſeditionis inteſtinæ fautores arbitrantur, ſatis ex ſuprà dictis patet, cùm huic & à Deô, & ab hominibus ad quos legitima Principis ſupremi ſpectabat electio, ritè præfectus fuerit.

Quod autem OLIVARII JUSTITIA huic à Deô conceſſa, hunc ad tantum honoris gradum apud omnes evexerit inde manifeſtum eſt, quandoquidem exercituum multorum *Imperator* in milite nunquàm ullum actum *INIVSTITIÆ* quâvis ratione permiſerit. Cùm enim *IVSTITIÆ* fundamentum primum ex opinione *Politici* maximi ſit, *Vt ne cui noceatur, deinde communi utilitati ſerviatur*; Utrumquè hoc OLIVARIUS ſervavit exactiſſimè. Primùm enim exercitus illius adeò fuit ordinatus, contra cæterorum exercituum conſuetudinem, ut præter ſua ſtipendia ne quidem vel unum teruntium à quôquam unquam extorſerint, neque vel pullum *Gallinaceum* ab ullô *Paganô* ceperint, fœminam nullam rapuerint, meretricem ne quidem unam tantùm abeſt ut earum *Legiones* ſecum abduxerint: Ut unô verbô complectar, tàm moderatus, tàm *JUSTUS*, tàm *Sanctus* OLIVARII fuit *exercitus*, ut poſt homines natos nullum in totô terrarum ambitu talem extitiſſe facilè mihi perſuadeam. Cic. Offic. 2.

Deinde ſic utilitati communi ſervivit, ut nullis propterea laboribus pepercerit, extremum fortunæ diſcrimen obierit, ſuum amicorumquè ſanguinem, vitamqnè ipſam per multos annos ſine ullâ ferè intermiſſione continuis diutiniſquè periculis expoſuerit, & tandem, quod utilitati publicæ *fælix, fauſtum, fortunatum* in omnes annos conſequentes eſſet, facinora multa, præter omnium expectationem præſtiterit.

Præterea ſiquidem JUSTITIA eſt etiam ex *Tulliô*, *Quæ ſuum unicuique diſtribuit*, atque JUSTITIÆ diſtributio hæc eſt ex eôdem, *In commune* JUSTITIA *dicitur erga* Deum RELIGIO, *erga* Parentes PIETAS, *vulgò autem* BONITAS, *creditis in rebus* FIDES, *in* moderatione *animadvertendi* LENITAS, AMICITIA *in* benevolentiâ *nominatur*, Ex iſtis omnibus quæ ſigillatim tractabimus, OLIVARIUM *JUSTISSIMUM* eſſe profectò convenit. Id. 3. de natur. Deor. Id. 5. de finib. 2. ad Heren. 2. de Invent. In partition. Orator.

Nam primò cùm *JUSTITIA* dicatur erga *Deum RELIGIO*, de ferventi ipſius in hanc ardore patet, cùm enim eſſet *Imperator* ſingulis ipſemet diebus multas horas in ſuis cùm Deò colloquiis, quod & nunc efficit, inſumebat, ſuos ipſe milites, ad cultum divinum, ad *RELIGIONEM*, ad mores *Chriſtianis* militibus dignos identidem hortabatur. Cumquè rerum potitus animadverteret à diverſis nationis iſtius juxta *conſcientiam* tamen ipſorum diverſâ *Deum* coli ratione, ne quis in ſuô *Deum* colendi modô, ſeu *RELIGIONE*, quæ jam publicò recepta fuiſſet hìc in *Angliâ*, ne quiſquam inquam, in profeſſione ſuæ *RELIGIONIS* impediretur edixit, ita ut hìc omnes ſic jam pacificè fraternequè degant, quaſi omnium foret una *RELIGIO*.

Quòd ſi ſuperioribus addamus *Sabaudorum Proteſtantium* miſerias orbi toti ſatis conſpicuas, ſic OLIVARIUM moviſſe, ut quâvis ratione tulerit illis opem, tùm indicendo de induſtriâ per omnia dominationis ipſius loca diem humiliationis, in quibus omnes pro fratrum ſuorum calamitatibus Deum flecterent: Tùm ſuis facultatibus extremam illorum inopiam ſublevarent, tùm multa ſterlinarum librarum millia per litteras *Collybiſticas* ad eoſdem præmittendo, tùm ad Regem Chriſtianiſſimum in ipſorum gratiam ſcribendo, tùm ad ſupremum miſerorum illorum *Principem*, nec non ad vicinos *Helvetios*, qui tantæ crudelitatis rationem expoſcerent generoſos ablegando.

Deinde cùm *JUSTITIA* ſit erga *Parentes PIETAS*, ſi conſideremus *obſervantiam* OLIVARII, *PIETATEM*, nec non honorem exhibitum ætate provectæ, anniſquè gravi *Parenti*, quæ ſummæ dignitatis à Deô conceſſæ filio, ſpectatrix per aliquot annos, ex benedictione ſupremi numinis extiterit, ſi conſideremus inquam OLIVARII in *matrem obſervantiam* ad extremum hujus diem, quem ſatisfaciendo naturæ nuper egit, num & ex hôc capite *JUSTISSIMUM* OLIVARIUM arbitrabimur.

Tertiò cùm *JUSTITIA* vulgò *BONITAS* æſtimetur, ſi de *BONITATE* ſermo ſit, mores illius caſtigatiſſimos, unde *BONITAS*, inſpiciamus, ſine ullâ dubitatione *temperantiorem principem, verecundiorem, modeſtiorem, humaniorem, ſedatiorem*, magiſquè perturbationes animi *refrænantem* in totò rerum ambitu neminem reperiemus; Sed cùm de *BONITATE*, quæ ſit eadem *Æquitas* ſeu *JUSTITIA*, ſuprà laudatus author agat, *Æquitas* autem efficiat, ut cuique quod ſuum eſt tribuatur, propterea *BONUS*, *Æquus*, & *JUSTUS* eſt OLIVARIUS, qui *Cancellariam Angliæ*, ad quam provocantes per multa ſecula, unde continuò fortunis illi ſuis à quibus jus ſtaret excideren̄t, quemadmodum in *Imperii Germanici cancellariâ Spiræ* fieri ſolet, lites protrahere poterant, *Cancellariam* inquam *Angliæ* cum illius abuſibus, magnô totius *Angliæ* commodô, bonorum omnium approbatione, gratulationequè, pauperum gaudiô, ſubſidiô, præſidiôquè reformavit, legibuſquè novis, æquiſſimis, iiſquè adverſantibus dilationibus, expenſis, moleſtiiſquè innumeris ſic adornavit, ut in gubernatione ſuâ locum habere noPetrus Bleſenſ. luerit OLIVARIUS, quod vir eruditus aliis in regionibus pridem deploravit. *Juriſperitorum eſt hodie jura confundere, lites ſuſcitare, tranſactiones reſcindere, dilationes innectere, ſupprimere veritatem, fovere mendacium, quæſtum ſequi*, æquitatem *vendere, inhiare actionibus, verſutias concinnare.*

Quartò cùm *JUSTITIA creditis in rebus FIDES habeatur*, ab eô tempore, quô quaſi per vim reluctantiquè datus eſt OLIVARIO adminiſtrandæ *Reipublicæ* clavus, ſic eam rexit, ut confuſa tunc in *Angliâ* licet, perturbataquè viderentnr omnia, tanquamquè ad antiquum revoluta *Chaos*, cœleſtia quippe, terreſtria, maritima ſimul inordinata miſtaquè, ad optimum tamen omnia redegerit ordinem, conciliatis ad mutuum amorem concordiamquè, non ſine divinâ *prudentiâ*, *Religionis* diverſæ cultoribus, compoſitis in mari cum honore utilitatequè *Angliæ* diſcordiis innumeris, extinctis in terrâ bellis civilibus, ſeditionibuſquè plurimis, conditis pro cujuſque tuendo *jure* legibus efficaciſſimis, principum externorum omnium pro cujuſlibet dignitate, magnificè honorificequè juxta majeſtatem *Anglicam* legatis accipiendis, quæ qui præter OLIVARIUM unum hâc in confuſione, perturbationequè rerum *Anglicarum* omnium præſtare potuiſſet neminem agnoſco.

Quinto cùm *JUSTITIA ſit in* moderatione *animadvertendi LENITAS*, Hìc duo conſideranda veniunt; Primum *ANIMADVERSIO* ipſa, ſecundum *LENITAS* in eâdem.

Quòd in *animadvertendo JUSTUS* ſit OLIVARIUS patet, nam in *inſtrumen-*

tô regiminis Homicidiis voluntariis gratiam à ſe datum iri nullam, coram *Deô* nec non hominibus proteſtatur. Unde cum nuper per teſtes legeſquè nationis iſtius *Homicidii* reus, capite damnatus eſſet extraordinarii *Luſitanici legati* frater, nunquam adduci potuit unquam Olivarius ut illum dimitteret. Sine dubiô *JUSTUS* recolebat princeps comminationem Dei per *Prophetam* ad *Achab Regem Iſrael, Hæc dicit Dominus, quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tuâ, erit animâ tuâ pro animâ ejus.* Recolebat ſine dubiô quod in *Annalibus Franciæ* de ſanctô *Ludovicô* legerat eruditus princeps, Quòd cùm ipſe *Ludovicus nonus Franciæ Rex* preces ex *Davidis* pſalmis funderet ad Deum, atque ad illum quidam capitalis criminis rei gratiam precatus interveniſſet, Rexquè tanquam aliud agens annuiſſet eandem, ſtatim verò ubiprimum in *Davidis* verſiculum hunc incidiſſet, *Beati qui cuſtodiunt* Judicium *& faciunt JUSTITIAM in omni tempore*, & virum & gratiam revocavit, hâc aureâ *JUSTOQUE* dignâ principe prolatâ ſententiâ, *Principem, qui poteſt punire crimen, nec punit, non minùs coram Deô reum eſſe, quàm ſi perpetraſſet illud:* Pietatis *autem opus eſſe, non* Sævitiei *JUSTITIAM exercere.* Quin & inter *Ethnicos*, veriſſimè ſapientiſſimequè dixit *Seneca*, quòd *nec pinguior mactari victima Deo poſſit, quàm homo ſceleratus.* Licet autem ſuprà *Miſericordem* probaverimus Olivarium, didicit tamen ab *Auguſtinô*, quòd *aliquando ſit MISERICORDIA PUNIENS, & CRUDELITAS PARCENS*, quòd ſiverum ullatenùs eſſe poteſt, in *Homicidiis* profectò voluntariis locum habere debet. Qui enim punit *Homicidas Miſericors* eſt in illos, qui ſine dubiô ab ſceleratis iſtis vitâ privarentur, Qui autem parcit iiſdem in multos innocentes crudelis exiſtit, cùm *Sacrorum* hominum manibus vitam ſit illis erepturus.

Instrumentum regiminis Ang.

Lib. penult. Reg. c. 20.

Annales Franc. in Ludov. nono Pſal 105.

Cornel. in num. ex Senec.

Aug. Epiſt. 64.

Hìc non abs re fore arbitror eorum quæ ab *Regibus* olim *Ægypti* in reorum punitionem ſuoquè regno perutilem fierent, Olivario refricare memoriam. In *Ægypti* confiniis, *Arabiæ* nec non *Æthiopiæ* vicinus quidam locus *auri* fodinis abundabat, ad quem *Ægypti Reges* ob maleficia damnatos bellôquè captos, atque in calumniis circumventos ad aurum fodiendum compedibus religatos relegare ſolebant, tùm ut pœnas de reis ſumerent, tùm ut magnos eâ ratione ſibi quæſtus facerent, quô detruſi propemodum infiniti continenter in opere perſeverarent, nec per dies, nec per noctes totas ullâ conceſſâ quiete, omniquè aufugiendi copiâ ſtrictè intercluſâ, idquè ſine intermiſſione ad ſeveri præfecti nutum verberaquè peragerent, ex illis nemini corpus curare liceret, nulla venia, nulla omninò remiſſio, neque ægroto, neque mutilato tribueretur; Neque ſenilis ætas, neque muliebris infirmitas quicquam excuſaret, omnes inflictu plagarum ad urgendum opus adigerentur, quoad Ærumnarum mole ſubacti laboribus immorerentur. πάντες δὲ πληγαῖς ἀναγκάζονται προσκαρτερεῖν τοῖς ἔργοις μέχρις ἂν κακουχούμενοι τελευτήσωσιν ἐν ταῖς ἀνάγκαις.

Diod. bibliotb. lib. 3.

Quòd ſi votis Olivarii Deus annuat, ut *Auri Argentive* fodinas aliquas reperire poſſit, quàm longè præſtantius, utilius, & humanius eſſet, tàm multos ætatis perfectæ viros, eoſquè robuſtiſſimos, qui in omnibus *Angliæ, Scotiæ, Hyberniæquè* locis, *Judicum* conſeſſu quôlibet, ad crucem ob cauſas non adeò graves, propter leve furtum quodpiam, neceſſitatis gratiâ forſan admiſſum rapiantur, eos inquam ad aliquot annos *Aurifodinis*, cuſtodibus adhibitis, ad vitam illorum ſuppeditatis neceſſariis addicere, quoad punitionis ſuæ tempus emeritum haberent, quô expletô in *Anglorum* aliquâ *Coloniâ* liberi permanerent, hâc enim ratione longè graviùs punirentur, quàm ſi frangerentur illis fauces laqueô, tùm etiam maxima *Reipublicæ* per id utilitas exiſteret, atque ad extremum tùm in illos *Miſericordia* fieret, eoſdem poſt emeritum ſuum tempus ſufficienter punitos libertati priſtinæ reſtituendo, tùm ab hâc

Natione

Natione Dei vindictam arcendo, non tàm infinitos *Americæ* populos eosquè innocentiſſimos *Aurifodinis Hiſpanorum* ad inſtar vivos infodiendo, qui multos *Americanorum milliones* paucorum annorum ſpatiô, ut eorum operâ potirentur aurô, miſerè vitâ privarunt.

Enimverò ut orationis noſtræ filum retexamus, hâc in acceptione quintâ ſuperiori *JUSTITIÆ*, duo propoſuimus, *JUSTITIAM* tùm in *PUNITIONE* conſiſtere, tùm in *Punitionis moderatione*, ſive *LENITATE*, de primô hactenus, ad ſecundum progr edior.

LENITAS igitur in *Punitione* ſatis oſtenſa fuit adhuc ab Olivario, plurimis enim qui conjuraſſent in ipſius vitam, poſteaquàm per aliquot dies in carcere detenti fuiſſent, condonavit, aliis à judicibus ignominioſam mortem juxta leges inflictam in leviorem magiſquè honorificam immutavit, aliis plurimis ob leves cauſas in ergaſtula conjectis, ſine cujuſquam tamen injuriâ carceres aperuit, quæ licet ſic *Angliæ* toti conſpicua ſint, ut diutiùs in illis immorari neceſſarium non arbitrer.

Maxm. Serm. 58. Attamen ut Olivarii *LENITAS* magis plana fiat, in principum extraneorum *Puniendi* ſeveritate paulô longiùs exſpatiabor. Cum *Perſicæ Monarchiæ* fundator *Cyrus* omnium hominum Injustissimos eos arbitraretur, qui non uterentur *legibus*, atque divinus *Plato* ſine *legibus* homines à feris nihil omninò diſcrepare voluerit, affirmetquè *Ariſtoteles* hominem, licet à *Naturâ* præſtantiſſimus ſit, ſine *lege* tamen omnium deterrimum animalium eſſe, χωριζθὲν νόμου χείριστον πάντων τῶν ζώων, cenſeantquè omnes quòd ſit In Legibus Populi Salus; propterea in *legibus* cuſtodiendis maximam adhibuerunt antiqui *ſeveritatem*. Hìc nonnullas referam, ut eorum in *Puniendo* rigor & *ſeveritas* appareat.

Plato. 4. de legibus. Arist. Politic. l. 1. c. 2. Cicer. de legib. 3.

Ælian. l. 2. c. 37 *Lex* fuit apud *Locrenſes*, ut ſi quis vel ægrotus, vel à morbô convaleſcens, etiamſi perfectam recuperaſſet ſanitatem, niſi *Medicô* jubente vinum bibiſſet, afficeretur capitali ſuppliciô.

Diod l. 1. Apud *Ægyptios*, ſi qui *Medici*, *medicinæ leges* ab omnibus *Medicis* per multorum ſeculorum experientiam compilatas non ſervent, etiamſi curent ægrotum, capitis judicium ſubeunt, θανάτου χρίσιν ὑπομένουσι. Nam medendi rationem obſervatam diuturni temporis uſu, & ab optimis artificibus ordinatam, paucos ingeniô & ſolertiâ ſuperaturos *Legiſlator* cenſuit, peſsimè ſine dubiô cum *Empyricis* noſtris ageretur, ſi tàm Justa *Lex* apud nos hodie reviviſceret.

Ælian l. 6. c. 5 *Athenienſes* miſſos in *Arcadiam Legatos*, quoniam aliâ viâ quàm imperatum erat, profecti fuerant, tametſi rem benè geſsiſſent, tamen morte mulctarunt.

Id. ib. c. 3. *Lacedæmonii Iſadam puerum*, quem *lex* nondum ad pugnam vocabat, quoniam exiliens *Gymnaſiô* ſtrenuum ſe præſtiterat coronâ donaverunt, quoniam verò nondum ætate per *legem* poſtulante in hoſtes irruerat, pœnâ affecerunt ἐζημίωσαν.

Urania Her: Idem à *Xerxe* factum eſſe legimus, cùm enim ab expeditione *Græcâ* vectus navi cum multis Perſarum principibus repeteret *Aſiam*, ille tempeſtate ſubortâ, *Navarchum* an ſpes foret aliqua ſalutis interrogat, quô nullam reſpondente niſi navis exoneraretur, *Rex* ad *Perſarum principes* converſus quærit num aliqui *Regiæ* ſalutis curam haberent, protinùs adoratô *Rege* quamplurimi deſilierunt in mare, ſicquè ſalvus rediit in *Aſiam Xerxes*. Ubiprimum autem littus attigit, fertur *Navarchum*, quòd *Regem* ſalvaſſet, aureâ donaſſe coronâ, ἀνορθῶσαθαι χρυσέῃ στεφάνῃ, quòd autem *Perſarum* plurimos perdidiſſe, huic caput à cervicibus abſcidiſſe, ἀποταμεῖν τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ.

Quis

Quis non defleat *Epaminondæ Thebani* calamitatem, qui cùm *Græcos* omnes fortitudine *Imperatoriquè* muneris ſolertiâ ſuperaret, filium unicum *Steſimbrotum*, qui quòd contra mandatum *Imperatoris* patris ſui, quod in militia *lex* eſt, cum hoſtibus *LACEDÆMONIIS* pugnaſſet, victoriamquè retuliſſet, in virtutis præmium à patre capite plecti juſſus eſt. Paraſ. Pluſ.

Annon pariter *Manlius* ille *Torquatus* exercitus *Romani* fortiſſimus nec non prudentiſſimus *Imperator*, filium ſuum, quòd contra ſuum edictum pugnaſſet ab hoſte victorem redeuntem *virgis cædi, ſecuriquè percuti juſſit?* Unde fluxit proverbium, *MANLIANA IMPERIA*, *Severa* nimirum. Saluſt. in Catilin. Val. l. 6. c. 9. Tit. Liv. l. 8. Hiſtor. Rom. Gell. l. 9. c. 13. Front. l. 4. c. 1. Tit. Liv. l. 2. Dion. Halicar. l. 5.

Ut de *L. Juniô Brutô* primô *Romæ Conſule* nihil dicam, qui everſâ *Regum Tyrannide*, *Romanos* ſic in libertatem aſſeruit, ut *FILIUM UTRUMQUE* cum eô diverſa ſentientem, capitali ſuppliciô palam affecerit.

Cùm *ATHENIENSIUM* præſtantiſſimi clariſſimiquè duces navali pugnâ fregiſſent *Lacedæmonios*, maximâ reportatâ victoriâ navali quâ unquam *Græci* cum *Græcis* dimicaſſent, quòd fluctuantes mortuos non ſepeliviſſent, quia reliquias hoſtium perſequi priùs expedire putarent, ut bello finem imponerent, à plebe revocati ſunt omnes viri *Laureati*, multiſquè *Trophæis* nobilitati, digniquè propter fortitudinem *immortalitate*, capitequè per *INJUSTISSIMUM PLEBISCITUM* ſunt omnes condemnati, quorum jacturâ poſtmodum in ſervitutem redacti meritò fuerunt *Athenienſes*. Plutarch. in Poplicola: Valer. l. 5. c. 8 Oroſ. l. 2. c. 6. Diodor. l. 13.

Num legiſlator *Athenienſis Draco* ſuas *leges* non atramentô ſed ſanguine ſignavit? Omnes enim noxas capitali ſuppliciô perſecutus eſt, ita ut otioſi quique, vel qui olus, vel poma ſubripuiſſent, æquali cum *ſacrilegis*, quod eidem *legum* authoritati contravenirent, morte mulctarentur. Solon Plutarc.

Quid dicam de *Siculorum Rege Dionyſiô*, qui ſeditioſos mille pedites hunc in modum puniverit? Hos enim pugnæ tempore primis in ordinibus conſtitutos ab equitibus ubi pugnari cœptum eſt deſeri juſſit, quô factô ad unum omnes ab hoſtibus cæſi fuêre. Diod. l. 14.

Moderatius hîc ponam aliquid, magiſquè *politicum*; Sub finem bellorum civilium quæ *Religionis* diverſitas in *Galliâ* pepererat, cum illîc *Galli* conſilium inirent, quâ ratione *Proteſtantium* exercitus non nocerent, immô prodeſſe poſſent, cùm inquam Principum *Galliæ* conſilium, *Bartholomæicam*, in Proteſtantes *crudelitatem* abhorreret, in hanc ferè omnes abiêre ſententiam, ut *Proteſtantium* copiæ locarentur in *Hiſpanorum* limitibus confiniiſquè, certum eſſe quòd nunquam cum *Hiſpanis* conſentirent, qui fratres ipſorum per inquiſitionem flammis addicerent. Quòd ſi victoriam ab *Hiſpanis* referrent atque terras illorum vi nonnullas ſubigerent, quòd illis eædem terræ ſervandæ præberentur, *Proteſtantes* enim inter *GALLUM* & *Hiſpanum* fore muri validiſſimi propugnaculiquè inexpugnabilis ad inſtar: Si autem cæderentur ab *Hiſpanis*, quòd tandem illis libera foret *Gallia*. Unde videmus quòd ab illô tempore *Gallorum* exercitus à *Proteſtantibus Imperatoribus* plurimi gubernati fuerint. Annales Franç.

Sextò & ultimò, ſiquidem *JUSTITIA AMICITIA in* Benevolentiâ *nominatur*, patet & ex hôc poſtremô capite *JUSTISSIMUM* Olivarium eſſe, nam Albioni toti manifeſtum eſt eos omnes cujuſcunq; conditionis tandem illi ſint qui benè cupiant Olivario, benè velint eidem, unde benevolentia, quòd illos omnes ſingulari proſequatur amore, cum enim amor ex Justitia requirat amorem, atque nihil ſit aliud amare quam velle bonum, neque per quandam velleitatem, ſed efficienter illud reipſâ procurare, ſatis evidens eſt huic nationi quòd amicos ſuòs Olivarius, benè cupientes ipſi, benequè volentes ad ampliſſimas quaſquè dignitates, & meritò quidem juxta cujuſlibet aptitudinem

in hôc ſecutus ſummorum principum omnium exemplum, evexerit, ſibiquè pares quodammodò fecerit: nam *AMICITIA* juxta tritum illud adagium, *AUT PARES INVENIT, AUT FACIT.*

His omnibus Olivarii de *JVSTITIA* paulò fuſiùs explicatis, reſtat ut huic ad finiendum aptem, immutatô ſolô *Regis* in Olivarium nomine, verba *Cypriani*, Olivarii *JVSTITIA pax eſt populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris, ſerenitas maris, terræ fœcunditas, ſolatium pauperum, hæreditas filiorum, & ſibimetipſi ſpes futuræ Beatitudinis.*

Cyprian. de 12. abuſ.

Omnibus penè retrò ſeculis, conſuetudo vetus, moſquè priſtinus jamdudum apud Nationes omnes invaluit, ut illæ Regiones, quæ maximè feraces, uberes, fœcundæ, fertiles eſſent, dicerentur *FOELICES, fortunatæ, beatæ.* Hinc *Arabia* propter bonitatem, ubertatem, agrorumquè fœcunditatem, propter tantam tamquè incredibilem generis omnis *Aromatum* copiam, vim, facultatem, propter admirabilem rerum omnium abundantiam *FOELIX* à *Geographis* omnibus, atque etiam ab orbe totô nuncupatur. Hinc *occidentales inſulæ principium & finis orbis*, in quibus non in *Aſoribus*, nequè in *Gorgadibus* orbis terreni deſignatores, definitores, diſtributores, primum locant *Meridianum*, à fructuum affluentiâ multiplici *Fortunatarum* nomen invenêre. Hinc *Atlantides Beatæ, Beatorumquè* dictæ ſunt *inſulæ*, quòd illìc pingue ſolum arte nullâ cultum generis omnis ſuaviſſimos, uberrimoſquè fructus otioſæ multitudini continuò præberet. Unde cum ſuâ totâ *vatum* progenie *Poëtarum* pater *Homerus Campos* ſtatuit illìc *Elyſios*, in quibus ſedes ſuas Domiciliaquè *Beati* delegerint. Ut non dicam ab agrorum fertilitate Campaniam Italicam *FOELICEM* eſſe nominatam.

Plin. l. 6. Ptolom. l. 5. Strab. de ſit. orb.

Propter rationem eandem, arborum *Olea* nobiliſſima, fœcundiſſimaquè meritò *FOELIX* appellatur,

Idem ter ſocios purâ circumtulit undâ,
Spargens rore levi, & ramis FOELICIS OLIVÆ.

Virg. Æneid. 6.

Ubi notant interpretes, dici ramos *FOELICIS OLIVÆ*, hoc eſt *FOELICITATEM* facientis, propter ubertatem & pacem, in quibus regionum terrena fortuna, *FOELICITAS, beatitudo*, ſi qua poſſit in orbe reperiri, conſiſtere

tota

tota videtur, ut addam *Turnebi* explicationem, qui fructiferam, fructuoſam, fructibus abundantem *FOELICEM* appellat Olivam. Atque ut tibi patefiat amice lector hanc abundantiæ *FOELICIS* interpretationem, veram, genuinam, & germanam eſſe, *Virgilius* idem *Oleaſtrum* infœcundam arborem videlicet, ſterilemquè, *INFOELICEM* appellat. Quòd igitur *Olea*, fertilitatis, abundantiæ, *FOELICITATIS*, quæ ſunt omnia *Synonima*, ſignum apertum exiſtat, inde patet, quòd divinus ille mundi creator, qui cœlum terraſquè regit atque tuetur, ut ſe bonorum omnium, omnis abundantiæ, fertilitatiſquè omnis in humanum genus beneficentiſſimum authorem indicaret, *oleâ* uberrimâ, fœcundiſſimâ, utiliſſimâquè omnium arbore voluerit inſigniri. Quod & ſufficienter liquet in *Oleæ* productione primâ, omnes enim tàm *mortales*, quàm *immortales* repudiatis *Neptuni* donis, *Oleam*, quòd pacis, rerum omnium abundantiæ, *FOELICITATIS QUE* conſequenter *ſymbolum* eſſet, ut pluribus in *Pacis* ramô tractatum eſt, prætulerunt. Neque repetere neceſſarium pariter eſt, ab *Apolline* mandatum *Hegeſiſtrato* ut ibi degeret, ubicunque *Paganos* incolaſquè regionis *oleâ* coronatos, ducenteſquè choreas reperiret, hoc enim *Oraculum* illi veluti quietis, *FOELICITATIS*, *beatitudiniſquè* certiſſimum præbuit indicium.

Georg. 2.

Plutarch. in Deor. Imag.

Ut autem addam aliquid ad ea quæ ſuprà dicta ſunt in iſtud *Jeremiæ*, Olivam, *uberem*, *pulchram*, *fructiferam*, *ſpecioſam vocavit dominus nomen tuum*. Dicam hìc cum interprete doctiſſimô, Deus effecit O *Juda* ut te jure vocare poſſent omnes Olivam *uberem*, *pulchram*, *fructiferam*, *ſpecioſam*, eras enim, dum eum coleres, domino tanquam Oliva *virens*, & *florens*, in ſummâ *Pace*, & rerum omnium *abundantiâ FOELIX* & *beatus*, atque inter nationes omnes, inſignis, clarus, famoſus, maximequè celebratus. Ex quibus quàm evidens *FOELICITATIS hieroglyphicum* ſit Oliva, lippis atque adeò tonſoribus manifeſtum eſt.

Jerem. 11. Cornel. hic.

Præcæteris omnibus è re noſtrâ plurimùm facit quòd *Deus*, ut populum ſuum excitet, acuat, impellat, ut ad nutus divinos ſit paratus, non recuſet imperium, monita divina ſequatur, dictis ſuis ſit audiens, nec ſuam tonitruis in monte *Sinai* promulgatam legem unquam violet, infringat, deſerat, abjiciat, ut inquam ad legi ſuæ parendum populum ſuum *Deus* adhortetur, *FOELICITATEM* omnem, quam hâc in vitâ mortalium ullus conſequi valeat, terram videlicet *Canaan*, ſeu promiſſionis, æternæ *FOELICITATIS* typum hâc illi pactione brevi pollicetur, *Ut cuſtodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis ejus, & timeas eum, introducet te in terram* Olei, *ubi rerum omnium abundantiâ perfrueris*. Atque ut cuilibet magis ſit apertum, quanta dictô in locô terræ fertilitas eſſet, ait *Iſraelitarum* populo, ſuô in canticô *Moſes*, *Conſtituit eum ſuper excelſam terram, ut ſugeret* Oleum *de ſaxô duriſſimô*. Quaſi dicat, nullam illìc inutilem eſſe terræ partem, quæ non ſit fœcunditate *FOELIX*, ubertate beata, cùm in petroſis ſaxeiſquè locis illius, maxima vis Olivarum enaſcatur. Hæc autem terræ *Judæorum* abundantia, per Olivas expreſſa ſic illis placuit, ut tanquam illic ſolummodò *FOELICES* *beatiquè* degere poſſent, terram *Canaan* omnibus aliis orbis regionibus longè præponerent, quos ut ab hâc in illis à naturâ velut inſitâ revocaret opinione *Sennacherib*, dum *Judæos* adhortans ut humani ſine ſanguinis effuſione, ſe ſibi pacificè dederent, *FOELICITATEM* eis, quâ fruerentur adpromittens, hâc validâ potiſſimùm, *Achillis* ad inſtar, utitur ratione. *Transferram vos in terram, quæ ſimilis eſt terræ veſtræ, terram* Olivarum & Olei. Enimverò priuſquàm abundantem terræ promiſſionis derelinquere cogamur *FOELICITATEM*, videamus quàm intelligenter, quàm prudenter, quàm ſapienter, quàm providè, quàm

Exod. 8.

Deuteron. 32.

4 Reg. 18.

quàm divinitùs è vitâ diſcedens *Moyſes*, ſpirituquè Propheticô benedicens *Aſer*, huic *FOELICITATEM*, *beatitudinemquè* hujus nomini conſentaneam adpromittat. *Aſer* enim apud *Hebræos FOELICITATEM Beatudinemquè* ſignificat, benedictio porrò *Moſis* hæc eſt, *ASER TINGAT OLEO PEDEM*
Deut. 33. *SUUM.* Vides per nomen inditum huic *Jacob* filio contingere *FOELICITATEM*, *Beatitudinemquè* expreſſam in Olivarum *Oleô*, quò ad Divinam *Providentiam* ſignificandam in nominum impoſitione fortuitâ, caſuali, nec non accidentariâ mortalibus, ut ſuprà vidimus in Olivario, nihil validius, nihil fortius, potentius nihil afferri poteſt. Licet enim *Lia*, quando natus eſt *Aſer* dixerit, *Hoc pro* Beatitudine *meâ*, beatam *quippe me dicent omnes*
Gen. 30. *mulieres*, *propterea appellavit eum* Aſer. Atenim videamus quam *beatitudinem* in ejus nativitate, ut eum ſic appellaret concipere potuerit. *Jacob* ſuſceperat jam ex eâ quatuor filios, *Ruben*, *Simeon*, *Levi*, *Juda*, & poſtmodùm duos iterum illa peperit, *Iſſachar* & *Zabulon*, præter filiam *Dinam*: *Jacob* autem nullos ex *Rachel* genuerat liberos, unde factum ut *Rachel* ex invidiâ dederit *Jacob Balam* ancillam ex quâ duos procreavit liberos, *Dan* & *Nephtali*, quod cùm *Lia* videret, conjunxit & marito ancillam *Zelpham*, ex quâ nati ſunt *Gad* & *Aſer*. Quid? Propriô in uterô tulit ſex filios *Lia*, filiamquè unam, & tamen nunquam ſe *FOELICEM* ob id appellat, quia autem ex Ancillâ marito copulatâ, duos acquiſiverat filios, in eô *Beatam* ſe prædicat, in quô ſe miſeram non modò quereretur altera, ſed matrem & filios exemplô *Saræ* vellet amandari, unde patet quòd ſupradicta *Liæ FOELICITAS*, & ex conſequenti nominis *Aſer* impoſitio, ex invidiâ potiùs, quàm ex rei naturâ conſecuta ſit, quam tamen aliâ nobiliore cauſâ ſic volente Deô ſuprà vidimus accidiſſe. Dictus eſt igitur *Aſer* reſpectu Dei propter eam quam deſtinabat ei *FOELICITATEM*, nulliquè alii *Tribui Iſrael* expreſſam hìc à *Moſe*, *ASER TINGAT OLEO PE-*
Deut. 33. *DEM SUUM.*

Et ut videamus benedictionem hanc *Moſis* impertitam *Aſer* ſimilem eſſe benedictioni parentis ipſius *Jacob*, ad ea quæ ſequuntur animum adverte. Dum enim hìc efflaret animam ait, *Aſer pinguis panis ejus.*
Gen. 49. Quam enim aliam in *Aſer* pane *Pinguedinem* excogitare poſſumus, niſi *Olei* Olivarum, habitâ temporis illius regioniſquè ratione? Audi quid hæc bona *Sarepthæ* vidua reſponderit *Eliæ* buxellam panis emendicanti, *Vivit Dominus Deus tuus, quia non*
Penult. Reg. 17 *habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydriâ, & paululum* Olei *in lecythô, en colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, ut comedamus & moriamur.* Quamvis autem hìc ad ſuperiorum probationem neceſſarium non arbitrer ex *Religioſô* ramô deferre *panes* & *lagana* & *ſimilam* oblatos Deo in *Sacrificiis* Olivarum *Oleô* conſperſos, quia ex omnibus ſcripturæ interpretibus panes id genus ſaporis ſint ſuaviſſimi, atq; Deo gratiſſimi, qui optimum quodq; ſibi velit à ſuis offerri, hoc unum tamen teſtimoniorũ aliorum omnium inſtar, quæ plurima ſuperiùs ego protuli, commemorare non abs re fore cenſeo. *Anima cùm obtulerit oblationem Domino, ſimila erit ejus oblatio, fun-*
Levit. 2. *detquè ſuper eam* Oleum, *&c. Cùm autem obtuleris ſacrificium coctum in clibanô de ſimilâ panes ſcilicet abſque fermentô, conſperſô* Oleô, *& lagana azima* Oleô *lita, ſi oblatio tua fuerit de ſanguine ſimilæ conſperſa* Oleô, *& abſque fermentô, divides eam minutatim, & fundes ſuper ea* Oleum, *ſin autem de craticulâ fuerit ſacrificium, æquè ſimila* Oleô *conſpergetur, ſi autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de ſpicis adhuc virentibus torrebis igni, & confringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Domino fundens ſuper ea* Oleum. Cùm igitur agens animam *Jacob* Propheticam *Aſer* benedictionem impertit aſſerens *panem* ejus *pinguem* fore, nihil aliud indicat quàm ab

Aſer

Aſer Regionem *Oleis* abundantem poſſeſſum iri, & ex conſequenti fertilitatem, *FOELICITATEM*, *Beatitudinem* huic terrenam ipſius nomini convenientem adpromittit. Quâ & vel Deus ipſe, ſi alimentis uteretur contentus eſſet, licet enim Deo fierent ſacrificia, tamen ex Rege Prophetâ nequaquam illis indigebat, *ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem utique*, Holocauſtis *non delectaberis*, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Non enim Deus noſter *Famelicis*, *Macris*, *Monogramiſque Gentium Diis* ſimilis eſt, qui circumquaque per cœlum oberrent, intentiſque circumſpectent terras oculis, ſicubi vel ſicundè *ſacrificii fumum* fortè viderint, quô cognitô ad illius *Nidorem* ſtatim accurrant, ſeſequè trudant & impellant invicem, ut partem inde ſuam vel modicam haurire queant, nam eâ ſolâ ratione *epulantur* omnes *inhiantes fumo*, ἐωχοῦνται πάντες ἐπικεχηνότες τῷ καπνῷ. Ut autem ad propoſitum revertar, *Job* anteactæ vitæ *FOELICITATEM* recolens ait, *Petra fundabat mihi rivos Olei*: Tantâ fruebar rerum omnium abundantiâ, ut vel in petroſis ſaxeiſque ditionis meæ locis, maxima vis Olivarum, atque adeò ſumma *FOELICITAS* enaſceretur.

Pſal. 50. Lucian. περὶ θυσίων. Job 29.

Mirum eſt, amice lector, quantùm expreſſionibus id genus ſcriptura delectetur, quibus ſiquidem aſſertio mea neque validiùs, neque meliùs probari poteſt, propterea duas, ad ſummum tres ſacris ex iiſdem codicibus depromptas in medium proferam. Primam igitur dabit *Iſaias*, ubi *Deus* ait. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filiô* Olei. Quibus verbis Deus ipſemet innuit, quòd vinea fuit in locô editô quem cornu denotat, vel colle *filiô Olei*, id eſt delitiis abundante, *FOELICI*, fertili, pingui, *Olearum* plenô, eâdem prorſùs ratione quâ pro iniquitate plenô, filius iniquitatis communiter uſurpatur.

Iſa. 5.

Alteram habemus ex mortalium ſapientiſſimô *Salomone*. *Theſaurus deſiderabilis & Oleum in habitaculô juſti.* Quibus verbis compendioſam rerum omnium copiam, vim, facultatem, immò *Theſauros*, temporalemque juſto promiſſam *FOELICITATEM* in Olivarum *Oleô ſapientiæ* Divinæ comprehendit. Et quandoquidem juſti Deumque timentis apud *Hebræos*, non tantùm rerum abundantiam, ſed etiam liberos ad mundanam hanc *FOELICITATEM* pertinere ſatis omnibus apertum eſt, qui primoribus quod aiunt labris ſacras literas deguſtarunt: Vide quàm ad inſtitutum noſtrum divinitùs per *Oleam* hæc *Beatitudo FOELICITAS QUE* compleatur. Quapropter lege ſeriò quod his verbis aptiſſimè *regius Propheta* tàm multis abhinc ſeculis eâ de re, ſacris ſuis in monimentis nobis, hominumque poſteritati futuræ, jubente *Deô* reliquit. *Filii tui ſicut NOVELLÆ* Olivarum *in circuitu menſæ tuæ, ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum.* En ſummum ad quod *FOELICITATIS* dictæ cumulus aſſurgere queat. Nemo enim eſt qui neſciat benè moratos liberos quibuſlibet theſauris potiores eſſe. Unde *Corneliam Heroïnam* nobiliſſimam *Gracchorum* matrem *Valerius Maximus* ideò commendat, quòd *Campanæ* matronæ ditiſſimum ornatum oſtentanti, hæc non monilia, non gemmas, non uniones, non pretioſas veſtes, non theſauros, quibus omnibus erat ditiſſima, ſed utrumque *filium* pro ratione temporis liberaliter educatum oppoſuerit. Qui ſi juſti timenteſque *Deum* fuiſſent, ſicut Olivarum *NOVELLÆ*, fortunatiùs, *beatiuſque* vixiſſent *FOELICIOREMQUE* nacti fuiſſent exitum.

Proverb. 21. Pſal. 128. Valer. Maxim.

Quæ cùm igitur ita ſint omnia, quis jam non optimè notum penituſque perſpectum habeat, annonæ fertilitatem, rerum omnium abundantiam, theſauros, *FOELICITATEM QUE*, quanta poſſit hìc haberi maxima, per *Oleam* veriſſimè deſignari. Unde ſine dubitatione quælibet *Olea*, aureâ

Pygmalionis Oleâ longè preſtantior eſſe debet, quamvis eam, quam jam ſuprà decerpſimus hòc in *FOELICI* ramô ſignificare videatur. Nam *Gadibus* in *Herculis* templô *Pygmalionis* aurea eſt Oliva πυγμαλίωνος ἐλαία ἡ χρυσῆ, mirabili ut aiunt arte fabricata, cujus præcipua in fructuum opere pulchritudo conſpicitur, qui ex lapide *Smaragdô* σμαραγδου λίθου confecti, veris Olivis ſimillimi prorſùs appareant, cùm autem *Smaragdus* ſit Olivæ coloris *Gemma*, mirum eſt quòd non tantùm inſtar ſpeculi præſentia repræſentet objecta, τὸ ὑποπίπτεσθαι πρόσωπον δύναμιν ἔχει σμάραγδος, ſed ad prædicendos effectus vim habeat λέγεται δὲ καὶ προγνωστικὸς εἶναι, Quæ ſi veritati conſentanea forent, forent ſine dubiô ſtupenda, ſed ut ut ſe res habeat ſapientiſſimè tamen meô quidem judiciô per hanc auream *Oleam* cum gemmarum fructibus rerum omnium abundantiam, terreſtriſquè vitæ *FOELICITATEM*, *Gaditani* nobis expreſſère.

Philoſt. l. 5. de vita Apollon. Tyanei c. 1.

S. Epiphan. in l. de gemm. 12. in Aar. ration.

Porrò fertilitas Olivæque *FOELICITAS* in hôc illius *Symbolô*, clariſſimè, manifeſtiſſimè, evidentiſſimequè patet, illud enim ſic habet *Cteſias* in hortis videlicet Regiis lignum *Parebum* eſt ξύλον ἐστὶ παρῆβον Olivæ magnitudine τὸ μέγεθος ὅσον ἐλάια quod ad ſe trahit omnia πάντα ἕλκει πρὸς ἑαυτὸ, Aurum χρυσὸν, Argentum ἄργυρον, Æs καλκὸν, Lapides λίθους, Boves βοῦς, Agnos ἄρνους, innumeraquè alia præter *Electrum* πλὴν ἠλέκτρου. Quæ cùm omnia pertineant ad rerum abundantiam, *FOELICITATEM QUE*, quippe quas *Olea* veriſſimè ſignificet, non mirum eſt ſi genus hoc arboris ad *Oleam* aliquô modô ſpectans, omnià ſupradicta per vim admirandam, proprietatemquè ſtupendam, ad ſe ſemper in activitate *Sphæræ* ſuæ poſita trahere, rapereque ſubitò videatur.

Cteſ. apud Photium. p 59.

DUdum pluribus diſceptatum eſt à ſapientiæ candidatis omnibus tùm *Ethnicis*, iiſquè *Academicis*, *Peripateticis*, *Stoïcis*, *Epicureis*: Tùm *Chriſtianis*, iiſquè *Thomiſtis*, *Scotiſtis*, *Suareſiis*, *Vaſqueſiis*, cæteris, quânam in re *FOELICITAS* hominis conſiſtere poſſit. Qui omnes ſecundum diverſa *Sectarum* ſuarum principia, in diverſas abierunt opiniones. Antequam autem eâ de re quidquam aggrediar, *Deum* teſtor & homines, quòd hìc nullô modô tractare velim de finali ſeu totali hominis *FOELICITATE*, quam in ſolô *Deô*, tanquam in

ſolô

ſolô ſummô bonô conſiſtere, nec non in illius verâ poſſeſſione, quam haberi ſive per hominis *intellectum*, ſive per *voluntatem*, ſive per utrumque, ut diſputant *Philoſophiæ moralis ſectatores*, certô certius eſt.

Hìc igitur eâ ſolâ de *FOELICITATE* loquor, quæ reddat hâc in vitâ *FOELICES*, *Florentes*, *Fortunatos*, & quantum fieri poſſit *Beatos*.

Primum igitur, ut quis meus ſit ſenſus aperiam. Neutiquam unquam mihi probata fuit *Peripateticorum* opinio ſuperba, dum hominis *Beatitudinem*, in cognitione, ſcientiâquè ſitam eſſe præciſè contendunt: Videmus enim *intelligentibus* viris plerumquè nihil eſſe miſerius, nihil *indigentius*, nihil *infœlicius*, cùm præterea hominum omnium cognitio valde ſit imperfecta: Si enim ſapientes omnes quotquot ab orbe conſtitutô ad hanc uſque noſtram ætatem celeberrimi fuêre, conſulas: Inter illos ne unum quidem tàm innumeros inter reperias, qui vel *formicæ Naturam* explicare queat. Omnis enim quantacunque eſt cognitio noſtra, ſcientiaquè pendet à *ſenſibus*, qui ſint quaſi animarum noſtrarum *Portæ*, per quas rerum omnium ſpecies ad *intellectus* noſtros deferantur. Unde cùm mortalium nemo viderit unquam ullam in ſe *ſubſtantiam*, fieri nullâ ratione poteſt ut ullius *ſubſtantiæ* notitiam habeat, nam ut *Peripateticorum axiomatis* utar, *NIHIL EST IN INTELLECTU, QUOD PRIUS NON FUERIT IN SENSU, & OPORTET INTELLIGENTEM PHANTASMATA INTUERI.* Quam à ſenſibus, amabo te lector, cognitionem habere poſſumus niſi paucorum accidentium? animadvertimus enim colorem, quantitatem, & ſimilia, neſcimus autem idipſum quod habet colorem, quantitatem, quodquè ſit *baſis*, *ſubſtantia*, *ſuſtentaculum* accidentium eorundem nullô modô nobis apertum eſt. Quapropter quis in re tàm imperfectâ, quæ tamen miſerias admittat innumeras, cùm iſti quos appellamus eruditos, ſtudiis, vigiliis, nocturniſquè lucubrationibus, ut in ſcientiis nomen aliquod habere poſſint ſe continuô frangant, omni ſe *ſocietate* deprivent, veluti *feræ* ſolitudinem ament, nihil *recreationis* unquam habeant, unde magis *mortui* quam *vivi*, dum ſe cum *mortuis* aiunt miſcere colloquia, videantur. Quis inquam vel modicum rationis uſum habens, in re tali *Beatitudinem* hominis conſiſtere vel dubitare audeat: Cùm præſertim hominis vita breviſsima ſit, ſcientiæ verò licet imperfectiſsimæ multas hominum ætates requirant? Unde in *Aphoriſmatum* ſuorum primô queritur *Hippocrates* quòd habitâ ratione ſolius *Medicinæ* ARS LONGA SIT, VITA VERO BREVIS ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρή. Ille verò cui *Theophraſti* nomen loquendi fecerat divinitas, cùm annum octogeſimum exceſſiſſet, moriens tamen accuſaſſe *Naturam* dicitur, quòd *Cervis* & *Cornicibus* diuturnam vitam, quorum id nihil intereſſet, hominibus quorum maximè interfuiſſet, tàm exiguam dediſſet, quòd quidquid in ſcientiis tàm parvô tempore conſequi poſſent *VANUM ET INNANE* foret. Ex quibus omnibus quàm *Vana*, quàm *inanis* ſit ea *FOELICITAS*, quam ex ſcientiarum cognitione quis valeat aſſequi manifeſtum eſt.

Hippocrat. Aphoriſm. l. 1. aphor. 1. Diogenes Laertius in antiquorum philoſophorum vitâ.

Deinde ſum in eâ pariter *hæreſi*, ut terrenam hanc *FOELICITATEM* ſi quæ ſit, nequaquam in *virtute* ſolâ, quod tenent *Stoici*, poſitam eſſe putem. Ridiculum enim eſt, *Sapientem Stoicum*, hoc eſt *virtutis cultorem*, quem in *Taurô Phalaridis* exclamare velint, *quàm mihi benè eſt*, arbitrari *Beatum*. Ad hæc, cùm à *Beatitudine* debeant omnes exulare miſeriæ, quibus *virtutem* profitentes abundare videmus, morbis quippe, pauperie, fame, ſiti, frigore, cæteris, num in iſtis hominis terrenam collocare *FOELICITATEM* à ratione prorſus eſſet alienum.

Optimè

Optimè omnium meô quidem judiciô hâc in diſputatione Philoſophatus eſt *ſapientum* ſuperioris ætatis ſine controverſiâ *princeps EPICURUS*. Hic enim tantô *ſapientiæ ſuæ fulgore priſcos antiquitatis remotiſſimæ ſapientes ſuperavit*, quantô *ſuô ſplendore ſol aſtris omnibus antecellere videtur*, quod Philoſophorum cæterorum illiuſquè vitæ ſcriptor idoneus tradidiſſe poſteritati legitur, quod & iſtis verſibus *Lucretius* innuit.

Diogenes Laertius de Philoſophorum vitâ l. 10.

Lucretius de Epicur.

Ipſe EPICURUS obit, decurſô lumine vitæ,
Qui genus humanum ingeniô ſuperavit, & omnes
Reſtinxit ſtellas, *exortus uti Aërius SOL.*

Unde patet quòd à *ſcholaſticorum* vulgô maxima tanto viro ſoleat irrogari calumnia, qui cùm *EPICURI* ſcripta nunquam legerint, atque in *Epicureos* variis in libris ſcripta nonnulla repererint, diſcipulorum nonnullorum infamiam per inauditam injuſtitiam in eorum magiſtrum immeritò refundant. Hæc eſt igitur *Epicuri* de hominum hâc in vitâ *FOELICITATE* ſententia, quam ab eôdem in ejuſdem epiſtolâ ad *Menœceum* edocebimur. *Cùm dicamus, in quit*, voluptatem Beatitudinem *eſſe, non luxurioſorum, & nepotum voluptates, eaſquè quæ in guſtu, & ingluvie, conviviis, commeſſationibus, mulierumque congreſſibus poſitæ ſunt, ut quidam ignorantes, aut à noſtrâ ſententiâ diſſentientes, aut malè ſapientes arbitrantur*, Sed Non Dolere Corpore, Animoque Tranquillum Esse, Et Perturbatione Vacare *dicimus*, μήτ' ἀλγεῖν κατὰ σῶμα, μήτε ταράττεσθαι κατὰ τὴν ψυχήν, *cauſaſquè cum ratione ſobriâ perſcrutari cur quæque vel eligenda vel fugienda ſint.* Quô quid ab homine præſertim *Ethnicô* verius vel divinius hâc in materiâ dici potuerit, philoſophorum omnium vel ſubtiliſſimus reperire nemo poteſt, nihil enim ad *FOELICITATEM* æternam, quam ſectatoribus ſuis adpromittit *Religio Chriſtiana*, vicinius eſſe poteſt. Quæ nam enim lector benevole, poteſt excogitari præter eam *Beatitudo*, quàm ea quâ homo & corpore, & animô contentus eſſe queat. Perpende diligenter apud teipſum viri tanti *Pronunciatum*, certus ſum quòd non poſſis illud rationis judiciiquè trutinâ ponderatum, non extraordinarium, non cœleſte, non divinum arbitrari. Audi & eâ de re *Senecam*. *Apud EPICURUM duo bona ſunt, ex quibus ſummum illud Beatum componitur; Ut corpus ſine dolore ſit, animus ſine perturbatione: Hæc bona non creſcunt ſi plena ſunt, quò enim creſcet quod plenum eſt? Dolore corpus caret, quid ad hanc indolentiam accedere poteſt? Animus conſtat ſibi, & placidus eſt, quid accedere ad hanc tranquillitatem poteſt?* Audi & *Tullium*, pluſquàm divinos habentem de *EPICURO* ſermones. *Semper DEUM appellat EPICURUS BEATUM & ÆTERNUM, demptâ enim ÆTERNITATE, NIHILO BEATIOR JUPITER QUAM EPICURUS.* Propterea non poſſum quin excandeſcam in *EPICURI calumniatores ignaros*, qui viri *continentiſſimi*, admirandiquè ſcientiam non capientes, in eum injuſtiſſimè debacchati ſunt, non autem in *Ariſtippum* obſcœnæ corporis voluptatis aſſertorem, in quâ *FOELICITATEM* hominis perinde atque *PORCORUM* locatam ab eôdem eſſe conſtat.

Diogen. de Claror. Philoſ. vit. l. 10.

Senec. ad Lucil Epiſt. 66.

Tull. 2. de finib.

Quæ cùm ita ſint, *FOELICEM* Olivarium ſine dubiô prædicabimus, licet ante mortem *Solon* nemo *FOELICEM* dicendum arbitretur, cùm & corpore ſit ſanô, vegetô, robuſtô, proceró, formoſô, animô verò quietô, tranquillô, pacatô, qui ſibi ſemper ſit præſens, nunquam peregrinetur, nunquam res alias agat, ſed ad inſtitutum ſemper intentus rebelliones ſic accipiat, ſicquè remedium illis adhibeat, ut illis non plus turbetur ex omnium teſtimoniô, quàm ſi pacatiſſima forent omnia, unde inquam, cùm terrena ſita ſit in eô *FOELICITAS*, quòd quis *corpore non doleat*, atque *tranquillô*, *perturbationequè carenti ſit animô*, neceſſarium eſt Olivarium juxta hanc opinionem

Valer. Max. l. 7. c. 2. ex Herod. l. 1.

aliis

aliis longè veriorem præſtantioremquè *beatiſsimum* etiamnunc temporis exiſtere.

Quòd ſi ſuperioribus addamus iſtud *Auguſtini, Ille* beatus *eſt, qui omnia quæ vult habet, nec aliquid vult quod non decet*, quis OLIVARIUM ſummè *beatum* non exiſtimet? Quidquid enim hâc invitâ rationabiliter optari poteſt, illud omne poſſidet. Si velit *divitias?* Illæ omnes ingentiſſimæ quæ ſunt in *Angliâ, Scotiâ, Hyberniâ*, vicinis illarum *inſulis*, illæ omnes quæ ſunt in plurimis *Americæ* locis ſunt OLIVARII, cùm de illis pro ſuô diſponere poſſit arbitratu. Si *dignitates* ambiat? *Trium Regnorum potentiſsimorum DEI GRATIA principatum* obtinet; Atque *ſeptentrionalium inſularum* eâdem *DIVINA GRATIA Supremus Imperator* exiſtit OLIVARIUS. Si *poteſtatem* cupiat? Tantam habet tàm in mari quàm in terrâ, quantam omnes *Angliæ Reges* ſimul ſumpti vix unquam habuerunt. Si *fortitudinem* exoptet? Omnes ab OLIVARIO tàm ſæpè, tamquè variis in locis reportatæ victoriæ, ſunt illius indices. Si deſideret *ſapientiam?* Quis neſciat ab OLIVARIO quatuor ſummos *Principatus* cum admirandâ *prudentiâ* gubernari, novas in illis condi leges, veteres ab eôdem corrigi, Denique *principum Chriſtianorum* omnium Rerumquè publicarum *Legati* tùm ordinarii tùm extraordinarii, Reſidentes, Agentes, Miſsi, dum agunt cum OLIVARIO, mirantur omnes ſingularem OLIVARII *prudentiam*. Si prolem expetat OLIVARIUS, quæ *temporalis FOELICITATIS pars eſt optima*, & quæ timenti deum conceditur? OLIVARI, *Beatus es, & bene tibi erit, uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filii tui ſicut novellæ* OLIVARUM *in circuitu menſæ tuæ, ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum.* Quis non meridianâ luce clariùs animadvertat *Beatitudinem* OLIVARII in tàm numeroſâ, formoſâ, generoſâ, Heroïcâ, prudenti, fortiquè prole, quam ex Heroinâ conjuge ſuſcepit mulierum omnium ætatis noſtræ propter eximias virtutes illius ſummaſquè dotes commendatiſsimâ, glorioſiſsimâquè: cumquè ad *FOELICITATEM* hominis temporalem pertineat inſuper ut *liberos* ſuos & hìc potentes juxta *Prophetæ Regii* immò *Dei* ſenſum videre poſsit, *Beatus vir qui timet Dominum, potens in terrâ erit ſemen ejus, generatio rectorum benedicetur, gloria & divitiæ in domô ejus.* Quænam poſsit hìc eſſe major OLIVARII *FOELICITAS?* Cùm duos ſibi pares *HEROES* in omnibus, filios *principes* videat, *HENRICUM Hyberniæ Proregem, RICHARDUM Archithalaſſum Angliæ*; Quatuor filias habeat hâc ætate noſtrâ *ſui ſexus decus & ornamentum.* Cognationem denique omnem ſuam tùm honoribus, tùm divitiis, tùm gloriâ per ſe florentem circumſpiciat. Ad ſuperiora ſi *firmam ſanitatem valitudinemquè corporis* requirat OLIVARIUS, ſine quâ licet rebus omnibus aliis abundet, beatus hìc eſſe nemo poteſt, huic cumulatè ſatisfactum eſt, nam ex corpore ſanô, vegetô, robuſtô, valenti ſic compoſitus eſt OLIVARIUS, ac quiſquam in *ANGLIA* reperiri poſsit. Ad quæ ſi *virtus* accedat OLIVARII, de quâ ſuprà, num OLIVARIUM ſummè *FOELICEM* judicabimus. Cum ex ipſômet *Sapientum principe*, nihil ſit aliud *FOELICITAS* εὐδαιμονία quàm *proſperitas cum virtute conjuncta*, ut multis probat. Cui ſi, *Conſcientiæ ſuavitas, quæ ſit veluti continua quædam lætitia jugequè convivium*, addatur, quænam hìc potior ab homine mortali *FOELICITAS* expectanda eſt. Cùm *Græci beatum* à maximè gaudendo μακάριον ἀπὸ τοῦ μάλιστα χαίρειν nominarint, dicatquè propterea vir eruditiſsimus, *Conſcientia bona eſt titulus* Religionis, *Templum* Salomonis, *ager benedictionis, hortus delitiarum, aureum reclinatorium gaudium* Angelorum, *arca fœderis, Theſaurus Regis, aula* Dei, *habitaculum ſpiritus ſancti.* Quam cùm bonam conſcientiam cæteris de quibus ſuprà jungat OLIVARIUS, pro quâ Deum teſtem ipſemet adhibuit in ſapientiſsimis

D. Aug. de ſpiritu & lit.

Pſal. 128. ex Heb.

Pſal. 112. ex Heb.

Ariſt. Rhetor. l. c. 5.

Ambroſ. de Offic.

Ariſt. Ethic. Eudem. l. 6. c. 11. Hugo Victorinus l. de anima c. 3.

mis

mis pariter ac eloquentiſsimis orationibus, quas ad ultimum *Angliæ* Parlamentum habuit, Papæ! Quantum *FOELICITATIS* eſt in OLIVARIO.

Quandoquidem autem Principis ſupremi FOELICITAS non tantùm ad illum ſolum pertinere, ſed etiam ad ipſius *Amicos*, necnon *ſubditos* redundare convenit, rerum omnium abundantiam illis procurando, quam *Deus Judæis* in FOELICITATEM adpromittit, propterea & hìc de utriſque nonnihil agere conſentaneum eſt. Atque ut nihil hìc dicam OLIVARII de FOELICITATE quòd ætate provectam *Gloriæ ſuæ ſpectatricem* ante ejuſdem obitum *Matrem* habuerit, quæ tamen maxima FOELICITAS eſt, ut ex *Romanorum* fortiſſimò *Coriolanò* colligitur, qui *Matris gaudium* τὴν τῆς μητρὸς εὐφροσύνην de ſuâ fortitudine, laudibus, honoribus, dignitatibus pro ſummâ FOELICITATE duceret: Quod & *Thebanorum* ſeu potiùs *Græcorum* fortiſsimus indicavit *Epaminondas*, cùm propter victoriam ejus *Leuctricam*, illiuſquè palmam, *Parentem utrumquè* ſuperſtitem lætitiæ ſuæ participem intuitus eſt: Quod & in *Sertoriò Romanorum* nemini ſecundò manifeſtum eſt, hic enim FOELICISSIMUM ſe putaſſet ſi victoriarum ſuarum *ſpectatricem Matrem* habere potuiſſet.

Plut. in Coriol.

Id. in Sertorio.

Primum igitur ex poſitis ſuprà, hinc patet, *Beatus eſt de cujus culmine amicis datur lætitia.* Audent ſic ratiocinari priſci ſapientes, cùm ſint *Amicorum omnia communia*, atque ſapientes ſint amici Dei, cujus ſint quæcunque hâc in rerum univerſitate ſunt omnia, profectò ſapientum eſſe pariter omnia neceſſe eſt. Unde dicit ſapientiæ candidato quidam ſapiens, *cùm Orientem, Occidentemquè luſtraveris animò, cùm tot animalia, tantam rerum copiam, quas natura beatiſſimè fundit aſpexeris, emitte hanc Dei vocem HÆC OMNIA MEA SUNT.* Sic rationabiliter OLIVARII dicere poſſunt *Amici.* Cum amicorum ſint omnia communia, quæcunque verò ſunt in *Angliâ, Cambriâ, Scotiâ, Hyberniâ*, multiſquè aliis in locis pertinent ad OLIVARIUM omnia, cujus cùm ſimus *conſanguinei, affines, amici*, quidni quæcunque ſunt dictis in locis omnia, noſtra ſint omnia? Ulteriùs infero, tu quiſquis *Amicus* es OLIVARII, cùm luſtraveris *Angliam, Cambriam, Scotiam, Hyberniamquè*, videriſquè tàm innumeros, eoſquè fœcundiſſimos agros, frugum generis omnis feraciſſimos, hortos cultiſſimos, caſtella regia, ſuperbaquè ædificia plurima, innumeros ovium greges, equorum ubique, nec non boum armenta, ferarumquè ſepta, cùm urbes ampliſſimas percurreris, tamquè immenſas in illis videris generis omnis opes: Cùm ad portus acceſſeris, atque tàm multæ tibi naves apparuerint oneratæ vinò generoſiſsimò, aurò, argentò, ſaccharò, ſericis, aromatis, omnibuſquè omnium orbis partium divitiis, verè poſsis inquam exclamare, quiſquis OLIVARII ſis AMICUS, HÆC OMNIA MEA SUNT. Ita ſunt iſta tua perinde ac OLIVARII. Cùm enim ſciat OLIVARIUS quòd *ſummi Principes* ſine *Amicis Principatum* ſuum conſervare non poſsint, plurimos ideò *Prudentiſsimos, Fortiſsimos, Nobiliſsimoſquè* ſibi parat *Amicos. Prudentiſsimos*, quorum conſiliis juvetur; *Fortiſsimos*, quorum virtute roboretur; *Nobiliſsimos*, qui ſint huic ornatui; Hoſquè omnes *FOELICITATIS* ſuæ participes efficit, qui ſint omnes hìc in omnibus quaſi alteri OLIVARII, ſintquè ipſius quodammodò *Theſauri*, quò enim potentiores ſunt OLIVARII, immò Principum omnium *Amici*, eò certè potentior eſt, *FOELICIORQUE* Principatus eorumdem.

Caſſiodor. in Epiſt.

Senec. de beneficiis l. 7. c. 3.

Vis ut in hôc Principum tibi ſpeculum ponam ob oculos: *Cyri Dynaſtarum, Imperatorumquè* omnium exemplaris vitam apud *Xenophontem* perlege, quanta fuerit illius in parandis *Amicis* cura, quanta diligentia, quanta humanitas,

quanta

quanta familiaritas, quanta liberalitas illìc accipies. Factum illius ex ſexcentis hanc ad rem unum referam. Cùm *Cræſus Cyrum* admoneret amicè, quòd tàm multa largiendo tandem pauper evaderet, ὡς διὰ τὸ πολλὰ διδόναι, πένης ἔσοιτο, cùm huic non difficile foret multos eoſquè immenſos congerere *Theſauros*, quæſiviſſe tùm *Cyrus* ab eô dicitur, quantam O *Cræſe* nummorum vim ab eô tempore, quô cum imperiô dego habiturum me jam fuiſſe putas, ſi juxta tuam mentem, aurum collegiſſem. Hìc *Cræſus* magnam quandam ſummam indicavit πολύν τινα ἀριθμόν, ſubjecit *Cyrus* ut *Cræſus* cum *Hyſtaſpâ* quemcunque ſibi fidiſſimum mitteret: Hic igitur ad *Amicos Cyri* cum *Cræſi* ſervô profectus, ait ut deſcriberent, quantam maximam poſſent pecuniarum vim Regi conferre, cum is pecuniis indigeret; quas ſchedas cùm miſſi detuliſſent, tùm *Cyrus* ad *Cræſum*, hic *Theſaurus* nobis eſt οὗτος θησαυρὸς ἡμῖν. Cùm autem chartarum omnium rationes putaſſet *Cræſus* ſimulquè omnes addidiſſet, reperit longè plures in ſchedis fuiſſe pecunias, quàm *Cyrus* habuiſſet, ſi ex *Cræſi* ſententiâ pecuniarum acervos ſuis in *Theſauris* exaggeraſſet. Quod cùm manifeſtum patuit, tandem *Cyrus* lætabundus exclamavit, vides *Cræſe* quòd & mihi *Theſauri* ſunt ὡρᾷς Φάναι ὦ Κροῖσε ὡς εἰσι καὶ ἐμοὶ θησαυροί. Hâc igitur ratione per ſummam liberalitatem ſibi terrenâ *FOELICITATE* pares *Amicos* habent *ſummi Principes*, atque cæteros inter Olivarius, quod ſufficienter toti patet *Albioni*; Legit enim jampridem, & exercuit quod moriens *Cambyſi* filio ſuprà laudatus *Cyrus* author eſt, ut plures fidos *Amicos* habeat, qui ſint Regibus veriſſimum, tutiſſimumquè *Sceptrum* πιστοὶ φίλοι σκῆπτρον βασίλευσιν ἀλιθέστατον καὶ ἀσφαλέστατον.

Xenoph. in Cyropædiâ. l. 8.

Id. ibid.

Quod & ſuis *ſubditis FOELICITATEM* eandem procurare debeant ſupremi *Rerumpublicarum Gubernatores*, manifeſtum eſt, nam cùm *ſummus Princeps Rempublicam* ſibi deſpondeat inquit *Philo*, certè decet ſponſam Principis, ejuſdem cum illô *FOELICITATIS* eſſe participem. Prætereà cum *ſubditorum* ſuorum ut ſuprà vidimus *patres* ſint ſupremi *Rerumpublicarum* rectores, omni ratione conveniens eſt, ut illorum *ſubditi* terrenæ *Beatitudinis* cum *parentibus* ſuis communionem quandam habeant.

Ad hæc, *ſententia* Platonis *eſt, beatas fore Reſpublicas, ſi eas vel ſtudioſi ſapientiæ regerent, vel earum rectores ſtudere ſapientiæ contigiſſet.* Cùm omnia quæcunque poſſint *Rerumpublicarum* obſtare proſperitati, removere poſſint, tùm noſcant rationes quibus illas florentes, & rerum omnium abundantiâ fortunatas reddere valeant. Ad extremum, *Concordia eſt mater omnis FOELICITATIS Reipublicæ, hæc enim à finibus depellit hoſtem, auget opibus regna, ornamentis illuſtrat, præſidiis firmat.*

Boetius de conſolatione philoſoph. l. 1. proſ. 4.

Joannes Demetrius in hiſt. Polon.

Denique ſiquidem *primum omnium bonorum humanorum* Pax eſt, & tranquillitas populorum, *quam Principes Imprimis procurare debent*, atque ex *Imperatore* fortiſſimô, ſapientiſsimô, maximequè politicô conſtat, quòd ab omnibus ubique locorum, *Hæ dicuntur, & ſunt* Beatiſsimæ *Reſpublicæ, quæ plurimô tempore vixerunt in Pace.* Propterea Principes illi qui Rebuſpublicis à Deô præpoſiti ſunt, omni ratione ſatagere debent, ut *ſubditos* ſuos quantum fieri poteſt pacificè regant.

Natal. Comes. l. 3. hiſt.

Xenoph. lib. de Vectigalibus.

Atque hæc quidem ſunt capita, per quæ nobis demonſtrandum incumbit Rempublicam hanc, quam in omnium *infæliciſsimô* ſtatu reperit, cùm regimen illius, tùm à Deô, tùm ab hominibus oblatum ſuſcepit Olivarius, omnium quæcunque ſint in orbe, modò vitam Olivario Deus annuat, per ipſum brevi tempore fore *Beatiſsimam, Florentiſsimam, Fortunatiſsimam, FOELICISSIMAM.*

De primô quòd ſcilicet æquè ac ſponſæ ſuæ, vel liberorum ſuorum ſit *Angliæ*

Rei-

Reipublicæ ſollicitus OLIVARIUS, hinc patet, quòd eô die quô ſibi deſpondit illam, illamquè duxit, ſequè *Patrem* illius declaravit, huic *FOELICITATEM* omnem adpromiſit, quando juravit, vicinis cum principibus ſe quoad fieri poſſet honorificè, quæ *FOELICITATIS* omnis fons eſt, & Origo, *Pacem* inituram, conſervaturumquè. Præterea cùm multi *Londini primores* ad OLIVARIUM acceſſiſſent eô tempore quô *Batavos* ad pacem expoſcendam coëgiſſet atque cum iiſdem componeret; Iidem ut damnorum per *Batavos* nec non *Danos* illatorum ſibi, recordaretur, rogaverunt OLIVARIUM, qui tulerunt id ab eô reſponſi, ut rerum illarum non uſque eo ſatagerent, cum omnia in eorum commodum, utilitatem, honorem, commercii libertatem ipſe meditaretur, hoſquè omnium qui *Britanniam* unquam incoluiſſent reddere *FOELICISSIMOS* intenderet. Atque jam aliquâ ex parte OLIVARII promiſſa ſortita ſunt effectum, per illam *Anglis* non minùs honorificam quàm utilem *Pacis* cum *potentiſſimô Galliarum Rege*, *Bataviſque* compoſitionem concluſionemquè cujus cùm manibus omnium terantur *Pacis* articuli, ad illos qui venales proſtant ubique remittere te lector amice ſtatutum eſt: Ex quibus ſummam procul dubiô *Britanniæ FOELICITATEM* actutùm exiſtere neceſſarium eſt.

Deinde cùm ſuperiùs *prudentiſſimum*, *ſapientiſſimumquè* viderimus OLIVARIUM, quid ab illô ad hujus Reipublicæ *Beatitudinem* deſiderari poſsit ampliùs? Num in capiendis dandiſve conſiliis ad iſtud inſtitutum meliorem cujuſlibet diei partem OLIVARIUM inſumere tota novit *Anglia*, num ſæpiſſimè conſultationes illius, deliberationeſquè cum ſuô conciliô, de mediis ad eundem finem propoſitum convenienter eligendis ad multam noctem producere ſolet? Num *fortitudinem* ille ſuam, animiquè magnitudinem in deliberationum ſuarum executione maximè neceſſariâ ultrò demonſtrat? Quid? Num *Anglis*, cùm Imperii regendi clavum ſuſcepit OLIVARIUS omnia ferè ad commercium intercluſa fuêre maria, *Balthicum*, *Athlanticum*, *Mediterraneum*, *Septentrionale*, *Eoum*, ſive *Indicum*? Et quò jam non penetrent Auſpiciis OLIVARII *Britannica* Navigia? Quòd priùs *Galli*, *Batavi*, *Dani*, *Sueci*, *Norvegi*, *Iſlandi* negarunt jam *Anglis* abundè ſuppeditant. Quid? Num *Africani* Piratæ *Tunenſes*, *Anglos* bellorum civilium tempore deprædati, maximâ cum ignominiâ ſuâ, combuſtis nuper in ipſorum portu navigiis eorumdem prædatoriis, luêre *Barbari*: Nunquid *Algieri* prædones ipſorum edocti pœnâ, de reparandis illatis *Angliæ* damnis nuper conſtituêre? Num *Mexicanum* *Anglis* patere ſinum evicit OLIVARIUS?

Denique cùm *Reſpublicæ* ſuorum *concordiâ* fiant artibus ingenuis omnibus florentes, rerum omnium abundantiâ fortunatæ, beatæquè, atquè ex aureâ *Micipſæ* Regis morientis ad filios ſententiâ, *CONCORDIA RES PARVÆ CRESCANT, DISCORDIA MAXIMÆ DILABANTVR.* Num *Tartaream* penè dixi *diſcordiam* hìc Regnantem ad *Garamantas* amandavit OLIVARIUS? Num Nationum iſtarum incolas ad perfectiſſimam *Concordiam*, unionemquè firmiorem quod ſani judicii ſolerent omnes inter ἀδύνατα conſtituere, revocavit OLIVARIUS?

Saluſt. bel. Jugurth.

Quamobrem quod *Rhodiis* ferunt accidiſſe naſcente repertrice OLIVÆ *Minervâ*, id *Anglis* OLIVARIO naſcente *Principe*, contigiſſe veriſſimum eſt.

Claudian.

Auratos Rhodiis *imbres naſcente* Minervâ
Induxiſſe Jovem *perhibent.*

Nam ut ad ſuprà nominatam *FOELICITATEM* hæc tanquam cumulus accedat, licet Auri fodinas nullas hìc habeat *Anglia*, quidquid tamen auri reperi-

tur

tur in *Africæ Guineâ*, *Æthiopiâquè*, quidquid in *Gangeticâ*, *Indicâquè Asiâ*, quidquid in *Americâ Peruvianâ*, id in *Angliam* advehere classis OLIVARII poteſt, poteſt ex orbe novô in *Angliam* deferre classis eadem aliquid ei ſimile quod in *Peruviâ* repererunt *Hiſpani*, ubi domus ex aurô ſolidô conſtructæ multæ viſebantur, quarum horti aureô cingerentur murô, cujus regionis incolæ à capite ad calcem aurea gererent arma, ubi ſolerent & *Hiſpani* pedibus equorum, aurum, ferri penuriâ, ſupponere, poteſt inquam reperire ſimilia claſſis OLIVARII. Orbis novi Geograph.

Verùm hæc noſtra vota ſunt OLIVARI, quæ ſi plenè Deus audiat, ut jam audiit ex parte, illic OLIVARII, claſſi tribuendo S. *Jacobi* maximi momenti inſulam, tàm dives, tàm rerum abundanti copiâ *FOELIX fortunataquè* per te futura eſt *Anglia*, quàm poſt hominum memoriam ulla fuerit unquam *Aſſyriorum* licet, *Perſarum*, *Macedonum*, *Romanorumve Monarchia*.

Enimvero quamvis *Auri fodinas* nullas reperiret OLIVARIUS, ſuppoſitis tamen prioribus, tantam poſt aliquot annos viſurus eſt orbis his in inſulis *FOELICITATEM*, ut has *Fortunatas* appellare queat, atque de iſtis æquè meritò ac de *Fortunatis PHERECRATES* ille dicere queat, quòd *Flumina juris, vini, lactis, Olei fluent in Angliâ*, *Paneſquè calidi current*, *ſuaviſſimi ſaporis poma circa virorum ora ſemper ſponte ſuâ ferentur*, *Turdi*, *Cothurnices*, *Alaudæ*, *Perdices*, *Phaſianiquè toſti benequè conditi ora circum volabunt*, *& rogabunt edi*. Et ſi ſuperis placet *Menſa Solis* futura eſt ipſamet *Anglia*, qualis eſt apud *Æthiopas Macrobios* ſeu *Longævos*, quæ talis eſſe perhibetur. Eſt enim illic in ſuburbanis pratum ampliſſimum generis omnis ciborum, quadrupedum præcipuè commeſtibilium aſſâ refertum carne, ad quod dum illuxit, cuilibet peregrino præſertim, epulatum accedere licet. Hos *Æthiopum Magiſtratus* ſingulis noctibus cibos apparant, adquè dictum locum antequam illuceſcat, illis *SOLIS Menſam* adornant; Menſa Solis inquam futura eſt *Anglia*, dum non in *Aulâ ſolâ*, non apud *ſolum Majorem Londinenſem*, *Tribunoſquè plebis*, non apud ſolos *Nobiles*, ſed apud omnes tanta futura eſt rerum omnium abundantia, ut peregrinos ipſos ſuâ menſâ nullis ab illis ob id petitis pecuniis, accipere lautè poſſint. Pherecrates in Metalla fodientibus. Thalia Herod.

Matt. 6.

Ixit aliquando ſedens in colle Veritas increata, incarnata, quod auditores ſuos maximam rapere debeat in admirationem, *Conſiderate* Lilia *agri, dico autem vobis quoniam nec* Salomon *in omni* GLORIA *ſuâ coopertus eſt ſicut unum ex iſtis.* Quid igitur ille *Salomon*, qui *magnificatus eſt ſuper omnes* Reges *terræ præ divitiis & GLORIA*, quique tantam *Argenti* & *Auri* copiam, quanta vulgò fuit lapidum *Jeroſolymitanæ* tribuit civitati, *Præbuitque Rex* Argentum *&* Aurum *in* Jeruſalem *quaſi lapides.* Quibus verbis intelligas innumeras penè divitias, & ex conſequenti veſtes omnium pretioſiſſimas intertextas aurô gemmiſquè, omnimodi generis ſplendore multiplici conſpicuas, quæ variis à *Regibus* undique mittebantur huic in munera. Quid inquam, *GLORIOSUS* hìc adeò *Salomon*, cujus *omnes Reges terrarum deſiderabant videre faciem*, cum omni ſuâ quantâcunquè *GLORIA*, ſi cultum corporis ejuſdem externum ſpectes non agri *Lilio* comparandus? Quòd ſi mira nobis videatur hæc *Chriſti* propoſitio, cui tamen propter dicentis authoritatem evidentiſſimo velut *Axiomati* contradicere nemo prorſùs audeat. Certè longè potiori jure miranda nobis illa venire debet, quam Deus ipſemet in ſuô *Majeſtatis Divinæ* ſoliô ſtabilem, irrefragabilem, irrevocabilem ſapientiſſimè protulit ſententia. Dum enim *Iſraeliticum* populum per *Oleam* ad reſipiſcentiam adhortatur, promittit quòd ſi deſerat *Idololatriam*, mandata divina colat, juſtitiam exerceat, quòd *erit quaſi* OLIVA *GLORIA* ejus. Quænam eſt iſta merces? Quod præmium? Quæ compenſatio? Totius *Iſraelitici* populi ad Deum converſi, grati & accepti Deo, juſtitiâ, virtutibuſquè omnibus adornati tota *GLORIA* erit quaſi OLIVA, non erit OLIVA in ſuâ *GLORIA*, non adæquatè comparabitur OLIVÆ in *GLORIA*, ſed ejus *GLORIA* erit quaſi OLIVA. Unde profectò ſequitur amice lector, ſummam in OLIVA *GLORIAM* ineſſe, ſiquidem tota populi propemodum infiniti ſanctiquè *GLORIA* ad illam nequaquam accedere poteſt. Unde porrò minimum illud eſt hujus habitâ ratione, quod *Chriſtus* unicum ab *Iſraelis* poſteris in omni veſtium ſuorum *GLORIA* nequaquam agreſti *Lilio* comparandum judicarit.

Paralip. l. 2. c. 9

Paralip. l. 2. c. 1.

2 Par. 9.

Oſ. 14.

Igitur ut ad *Oſeam* redeamus, volunt ejus interpretes, *Eccleſiam* & *ſanctos*, immò *ſanctorum* quemlibet, *OLIVAM* appellari, ob virtutum ſplendorem, & *GLORIAM*, quæ in omnes annos conſequentes nunquam emarceſſet. Volunt & Expoſitores *Jeremiæ* hôc in locô ſuprà jam citatô, *OLIVAM uberem pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocavit Dominus nomen tuum*, Præterea quæ ſuperiùs attigi, volunt inquam *Eccleſiam Judaicam* dum coleret Deum, obſervaret, veneraretur, in ſummâ pâce rerumquè omnium abundantiâ virentem, Florentem, Fœlicem, Beatam fuiſſe, atque apud Nationes omnes, quod & omnes *Judæorum* produnt hiſtoriæ, famoſiſſimam, *GLORIOSISSIMAM*, Honoratiſſimam. Nec mirum, hæc enim OLIVA plantata fuerat ab ipſômet Deô, unde ſine dubiô *GLORIOSISSIMUM* conſequuta eſt honorem. *Dominus exercituum plantavit te.*

Jerem. 11.

Id. Ibid.

Ut autem, amice lector, quàm *GLORIOSA* ſit OLIVA tibi magis ac magis eluceſcat, placet hìc obiter, quaſiquè per tranſennam OLIVÆ noſtræ ramos iterum veluti prætereundo, neque ab itinere ſuſceptô deſiſtendo, ſed paululùm averſis à viâ luminibus progrediendo tamen reſpectare.

Tranſverſim igitur & obliquè *PACIS* ramum intuêre, papæ! Quàm viret, quàm pulcher, quàm ſpecioſus, quàm *GLORIOSUS*, quàm honorificus eſt, ejus quantacunquè *GLORIA* eſt, *PACIS* eſt: In *PACE GLORIA*

pleni

pleni ſunt agri, horrent *Belli* tempore inculti & derelicti; Num *PAX* extrùit ſuperba glorioſaquè palatia? *Bellum* deſtruit: Quid? Nonne *GLORIOSÆ* ſunt in *PACE* leges? At inter *Arma* jacent: Magna eſt procul dubiô liberalium artium omnium in *PACE GLORIA*, ſqualent autem in *Bellô*: Unde porrò præcipua regnorum *GLORIA*, niſi à *PACE*? Eorumdem devaſtatio niſi à *Bellô* proficiſcatur. *GLORIOSA PAX* igitur OLIVAQUE maximè *GLORIOSA*, quæ una arbores innumeras inter, hôc decoretur honore, quòd *PACIS* arbor ab omnibus habeatur.

Sequitur *PRINCEPS* OLIVÆ ramus, *Regius, Imperatorius, Monarchicus.* Ut enim *PRINCIPES, Reges, Imperatores, Monarchæ* vulgò reliquos antecedunt *GLORIA*; Sic *PRINCEPS* arborum OLIVA, *Reginaquè*, quô cæteris plantis omnibus præſtantior eſt, ita cæteras omnes veriſimè *GLORIA* ſuperare videtur.

Succedit è *COELO* ramus OLIVÆ, *COELOQUE* redditus, ramus per *columbam* è *COELIS* ad genus humanum miſſus à Deô; Ramus per *Columbam* è Terris ad *Deum* miſſus ab humanô genere, inter *Aſtra* quippe relatus. Cujus tanta *GLORIA* eſt, quanta poſsit eſſe maxima, ab hôc enim, ut ſuprà vidimus, tota ſerenitas *Aëris*, conſequenterquè tota totius orbis *GLORIA* eſt, unde faceſſant hinc procul fabulæ, hic OLIVÆ ramus, nequaquam autem *Herculeſ* verus eſt Ἡρακλῆς, cum enim Ἡρακλῆς ut ſonat interpretatio nominis, nihil ſit aliud, quam Ἥρας, hoc eſt *Junonis* ſive aëris, & κλέος *Gloria*, quænam autem aëris alia poſsit eſſe *GLORIA*, quàm ejuſdem non obſcurati caligine, minimè ventis perturbati, nulliſquè obducti nubibus, ſerenitas, puritas, perſpicuitas? Porrò *Junonem Aërem* eſſe docet ita *Tullius*. Aër *ut* Stoïci *diſputant inter mare & Cælum* Junonis *nomine conſecratur, quæ eſt ſoror & conjux* Jovis, *quòd & ſimilitudo eſt* Ætheris, *& cum eô ſumma conjunctio, effœminarunt autem eum,* Junoniquè *tribuerunt, quòd nihil eſt eô mollius.* Ut nihil dicam ex *Platone* nomen Ἥρα *Juno* pro ἀὴρ *Aër* primâ vocali poſtpoſitâ à nonnullis uſurpatum eſſe. Sed obliviſcimur inſtituti, curſim enim & quaſi furtim *GLORIOSOS* OLIVÆ ramos obliquè reſpicere propoſuimus, & tamen nos quàm par erat diutiùs *COELESTIS* iſte detinuit, quamobrem feſtinanter cæteros intueamur.

Macrob. Satur. l. 1. c. 20.

Tul. de natur. Deor. l. 2.

Plat. in Cratyl.

Proximè ſpectandus venit *Sapientiæ* ſurculus, eô cæteris omnibus in OLIVA *GLORIOSIOR*, quô *GLORIA* reliquis antecellit *SAPIENTIA*,

At pulchrum eſt digitô monſtrari, & dicier hic eſt.

Perſius Satyr. 1.

Si tantum enim *GLORIÆ* percepit indigitatus à vetulâ *SAPIENS* in verbis *Demoſthenes*, quantum opinaris percepit *GLORIÆ* mortalium *SAPIENTISSIMUS SALOMON*, cujus auditâ ſapientiâ *Reges* omnes terrarum conſpectum ejuſdem vehementer expetebant? Cùm autem *SAPIENTIÆ* ſit arbor OLIVA, & ſi repetere liceat ex ſuperioribus, aliquô modô *SAPIENTIÆ* cauſa, OLIVAM profectò *GLORIOSISSIMAM* eſſe conſtare debet.

2 Paralip. 9.

Ordine ſequitur *RELIGIONIS* ramus, maxima cujus in eô ſita eſt *GLORIA*, quòd à Deô tota *RELIGIO*, tàm apud *HEBRÆOS*, quàm apud *Chriſtianos* in OLIVA fundata ſit. Ut de gentibus nihil dicam, apud quas OLIVÆ delatus honos, exhibita reverentia, habita *GLORIA* tanta fuit, ut eam impunè violare nemini fas eſſet.

Rom. 11.

Feſtino. Quid OLIVÆ vicinô Ramulô, *FORTITUDINEM* ejuſdem indicante *GLORIOSIUS?* Anne mortales inter, qui ſe ſic prædicent, efferantquè *GLORIA* propter *FORTITUDINEM* repertus eſt unquam aliquis, qui ventis, turbinibus, procellis, tempeſtatibus exaſperatum mare, violentiſſimum,

mum, turbulentiſſimumquè continuò ſedaverit, aut ſedare ſaltem potuerit, ea ſola eſt Olivæ Gloria. Maxima fuit *Alexandri Magni* fama, perquè totum terrarum orbem diſperſa *GLORIA*, quæ ad hæc uſquè noſtra tempora dimanavit. Quòd ſcilicet in obſidione *Tyri* partem aliquam *Oceani* ſic
Plin.l.5 c.19. implevit, ut *Tyrum* priùs *Inſulam Peninſulam* effecerit. *Tyrus*, ait Plinius, *quondam inſula præ altò Mari ſeptuaginta paſſibus diviſa, nunc verò* Alexandri *eam oppugnantis operibus continens.* Cùm igitur antiquam *Tyrum* demolitus lapides in mare conjiceret, *Tyrii* navigiis propiùs advecti, num ſe fore *Neptuno* ſuperiorem autumaret, per deriſionem *Alexandrum* interrogabant, ſed illi
Diod.l.7.part.i. fuerunt irridendi, qui tantam urbem, tamquè veterem ad tàm exigui freti fauces, & *Anguſtias* ſtare permiſſerint.

Longè majorem conſecutus eſt *GLORIAM EMINENTISSIMUS* ille tùm dignitate, tùm honore, tùm ſapientiâ *Ludovici Decimi tertii Regis Chriſtianiſſimi Miniſter fidiſſimus Armandus Cardinalis* de *Richelieu*: Cùm hinc inde geminum, medium in *Oceanum* ad *Rupellam*, procul longequè petitâ materiâ, vallum magnitudinis immenſæ produxerit, atquò præſidiariis militibus, tormentiſquè bellicis munitum catenis utrumque ferreis junxerit, quò *Rupellanis* omnem à majoribus *Anglorum* navibus auxilii, obſidioniſquè liberandæ ſpem omnem ademerit. Unde ſtât etiamnum ad idem *Oceani* littus, licet non ad tantam molem aſſurgens *Ægyptiis* omnibus multò nobilior, cum hôc *Epigrammate Pyramis.* Hic Sta Viator Ubi Stetit Oceanus, Videbis Rupellæ Laqueum, Maris Baltheum, Angliæ Compedem, *&c.* Licet inquam duorum iſtorum ſuprà laudatorum *GLORIA* immenſa penè fuerit, propter domitum quodammodò *Mare*, at iſthæc cum Olivæ memoratâ *GLORIA* conferre niſi mente captus nemo poteſt.

Nimios ex hôc ramuſculò *GLORIÆ* fructus decerpſimus, ex *VICTORIÆ* ramò ſequenti, plurimâ licet is oneretur honoreturquè *GLORIA*,
Plin.l. 15. c.4. nonnihil delibemus. Audi præconem ad id Olivarum *GLORIÆ Plinium.* Oleæ *honorem* Romana *majeſtas magnum præbuit, turmas* Equitum Idibus Juliis *ex eâ coronando, item minoribus* Triumphis Ovantes. Athenæ *quoque victores* Olea *coronarunt.* Pluribus abſtineo, ſiquidem hôc in ramò *VICTORE, GLORIAM* Olivarum in omnibus ferè *VICTORIARUM* generibus, fuſiùs ſuprà demonſtrarim.

Finitimum *BENIGNITATIS* Olivæ brachium nequaquam aliis eſt inferius *GLORIA*, cum ex hôc *Dii* coronari, ſimulachraq; ſua fieri, propter rationes ibidem allatas decreverint.

Enimvero quid dico *Dii?* Unus ipſe *Deus* Misericordiarum pater ex hôc Olivæ ſupra cæteros omnes longè Glorioſissimo Misericordiæ ſurculò coronatus apparuit, ſuumquè ipſius filium per infinitam Misericor-
Rom. 11. diam ſuam ut in hâc gentium oleaſter inſereretur Olivam eſſe voluit.

Propinquus eſt *JUSTITIÆ, Sanctitatiſq;* Olivæ quàm *GLORIOSISSIMUS* ramus, atque vel ex hôc unò, quod diſcurſus iſtius initiò cum *Oseâ* protuli plurimùm honorandus. *Erit quaſi* Oliva Gloria *ejus*, per quæ verba,
Oſeæ 14. totius *Eccleſiæ, Juſtorum, Sanctorumquè GLORIA*, quæ licet ſine dubiò ſit quanta poſſit eſſe maxima, non tamen adæquatur Olivæ Gloriæ, nec ad illam propiùs accedere videtur.

Supereſt & obiter à nobis animò tanquam oculis luſtrandus *FOELICITATIS* Olivæ ramulus, quò nihil mortales inter hâc in vitâ à præpotente bonorum omnium largitore Deò, Gloriosius nobis conceſſum eſſe manifeſtum eſt. Videmus enim rerum omnium abundantiâ, Foelices *beataſquè* regiones ita Gloriosas & honoratas à cæteris eſſe, ut alia nulla cum illarum

rum *GLORIA* comparari poſſe jure videatur. Unde *Canaam* ob *FOELICITATEM*, *beatitudinemquè* terrenam *GLORIOSISSIMA*, Olivarum & Olei, quemadmodum ſuprà vidimus, terra nuncupatur.

Quòd ſi hæc omnia ſupradicta in Olivis *ÆTERNA* demonſtremus, ubi quæſo, unde, quà ſimilem Olivæ *GLORIAM* reperiemus, quònam gentium nos tandem conferemus, ut creatum aliquid cum tantâ *GLORIA* conferre valeamus, ſed cùm hoc *Oleæ* brachium nondum attigerimus, eam ob rem iſta ſuô locô diſputanda remittamus.

Ut autem huic Olivæ de *GLORIA* ſermoni *GLORIOSE* finem imponamus, hìc in Olivæ *GLORIÆQUE SEMPITERNUM*, decus, aliquid, cui nunquam ab orbe conſtitutô ſimile viſum eſt, in medium cum *Libaniô* proferemus.

Huc advolate *Juriſconſulti*, *Legum Interpretes*, in *Jure Civili Prudentes*, *Conſiliarii*, *Advocati*, *Patroni*, *cauſarum Defenſores*, *Procuratores*, *Accuſatores*, *Præſcriptores*, *Arbitri*, *Judices*. Hìc agitut cauſa, in quâ tota veſtra deſudare debet induſtria.

Nam pater ſenex, auctus divitiis, opibus affluens, fortunis ampliſſimis locupletatus, quiquè repoſitos pecuniarum rerumquè pretioſiſſimarum *Theſauros*, eoſquè innumeros poſſidet, filium unicum privatus omni aliâ prole cognationequè, *Fortiſſimum*, *Sapientiſſimumquè*, reum agit apud *Judices*, eumquè ſententiis ipſorum ſic exhæredare pro virili ſuâ parte nititur, ut ipſum ſibi velut exoticum, omni prorſùs hæreditate privent, & excludant, ſuaquè demum omnia ſecum potiùs inhumari decernant, quàm vel illum minimâ facultatum ſuarum parte gaudere permittant.

Atrox, ſceleſtum, nefarium, inauditumquè facinus aliquod, in quô ſcelera omnia complexa eſſe videantur, ab hôc juvene ſine dubiô perpetratum expectatis, forſan ἄθεσ eſt, fortè violentas afferre *Patri* manus conatus eſt. *Matricidam* aut *Fratricidam* fortaſſis pater agnoſcit, & ideò vocatur in crimen à patre filius, ejuſquè nomen defertur apud *Judices*, apud quos ſuperiorum criminum, vel ſimilium reum eundem facere nititur. Ex patris pertinacis, & inexorabilis acerbitate tàm vehementi, contraquè naturam furibundâ veluti rabie, nihil minus à filiô commiſſum judicandum eſt. Judicandum eſt minus aliquid. Quid illud tandem? Innocuus juvenis eſt, adoleſcens ſingulari vitæ ac morum integritate & innocentiâ, qui nemini prorſùs intulit unquam injuriam, de cæterô magnanimus, ſtrenuus, excelſô, invictôquè animô valens, quiquè omnia virtute putat inferiorâ. Quid igitur tantâ innocentiâ virtutequè juvenem quaſi flagitioſiſſimum tali proſequitur pater judiciô? Nihil diſſimulandum eſt, in hôc juvenis ſolùm reus eſt, quòd ſit *Avari* filius φιλαργύρου παῖς. Cùm enim ille ſtrenuè fortiterquè patrios ſe geſſiſſet in hoſtes, atque præ cæteris commilitonibus vim Fortitudinemquè tùm animi, tùm corporis ſingularem exhibuiſſet, tandemquè virtute ſuâ, civibus ſuis, ab impendenti cervicibus eorum ſervitutis jugô liberatis, ſalutarem obtinuiſſet victoriam, conciliô publicô decretum eſt, ut illi quidquid in tanti facinoris mercedem peteret donaretur. Magnô præditus animò juvenis, virtutem, laudem, *GLORIAM* rebus omnibus anteponens, pro munere coronam ex Oliva poſtulavit, ἀριςεύσας ἤτησεν τὴν δωρέαν θαλλοῦ ςέφανον. Quæ cùm ipſius capiti magnô cum honore fuiſſet impoſita, ſtupentibus ad juvenis animi magnitudinem omnibus, quì præferret Olivæ ramuſculi *GLORIAM* cæteris omnibus, quorum eidem à magiſtratu data fuiſſet optio, Pater ipſius in tantum iracundiæ furorem incidit, ut filium eô ſolô nomine vocarit in judicium, huncquè quod Olivæ ſurculi *GLORIAM* divitiis omnibus, quas illi petere,

Libanius declamation. 37.

nec non conſequi fas erat antepoſuiſſet, *Judicum* ſententiis exhæredare contendit.

Quod ut non aſſequatur, vos etiam atque etiam oro, & obteſtor *Juriſprudentes* optimi. Dum autem generoſi juvenis digna vos tanget miſeratio, huicquè quòd OLIVÆ *GLORIAM* tanti fecerit, præſentiâ veſtrâ favebitis, interea, quò me ſuſceptum vocat negotium, properabo.

Tull. 1. Offic. Pro Archiâ Poet.

Ix invenitur qui laboribus ſuſceptis, periculiſquè aditis non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret GLORIAM. Trahimur enim omnes laudis ſtudiô, & optimus quiſque maximè GLORIA ducitur. Philoſophi *etiam in libris, quos de contemnendâ GLORIA ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt, in eô ipſô, in quô prædicationem, nobilitatemquè deſpiciunt, prædicari de ſe ac nominari volunt,* inquit *Tullius.*

2. de Invent.

Cum enim ex eôdem nihil ſit aliud *GLORIA* quàm *frequens de aliquô fama cum laude*; Vel *Illuſtris & pervagata multorum & magnorum vel in ſuos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum*; Et præſertim cùm vera *GLORIA ſit conſentiens laus bonorum, incorrupta vox benè judicantium de excellenti virtute.*

Pro Marcel.

3 Tuſcul. quæſt.

Proptereà te verè meritoquè *GLORIOSUM* prædicare poſſumus OLIVARI, cùm meritorum tuorum approbatio non pendeat à viris ſemiſſibus de quibus Poëta,

Horat. in arte Poet. câ.

Nec ſi quid fricti ciceris probet, aut nucis emptor,

Sed lauderis à laudatis viris, à viris cordatis, à viris benè ſentientibus, à viris incorruptis, à viris qui blandiri neſciant, à viris, qui in virtutum tuarum, meritorum, rectequè factorum excellentiâ, famæ, nominis, *GLORIÆ QUE* tuæ fundamentum agnoſcant.

Quamobrem cùm ex *Philoſophis moralibus fama, nomen, laus, honor, admiratio, GLORIA* ſint teſtimonia externa alicujus excellentiæ, Cumquè teſtimonia hæc externa de meritis excellentiſſimis OLIVARII, non à vulgò ſolùm, ſed à viris illuſtriſſimis laudatiſſimiſquè non *Angliæ* modò, ſed orbis ferè totius exhibeantur, proptereà te inquam iterum atque iterum eſſe *GLORIOSISSIMUM* oportet OLIVARI.

Cùm autem ex *Tullii* ſuprà laudati ſententiâ, *ſumma & perfecta GLORIA conſtet*

conſtet ex tribus his, Si diligit multitudo, ſi fidem habet, ſi cum admiratione quâdam, honore nos dignos putat. Primùm quærere utrum *Britanni* diſcordiarum ſuarum compoſitorem, libertatis ſuæ vindicem & aſſertorem, ſuæ Fœlicitatis authorem te diligant OLIVARI, idem eſſet prorſùs quærere atque utrum meridianô tempore ſol luceret. Deinde utrum tibi fidem habeant iidem diſputare, eſſet quoque in dubium revocare tibi ab illis ſuæ *Reipublicæ* regendæ plenariam abſolutamquè poteſtatem conceſſam eſſe. Poſtremò nunquam ſibi perſuadere poſſet aliquis quantùm te ſuſpiciant, admirentur, honorent, venerentur *Angli*, niſi concurſus illorum ordinum omnium, ſexus, ætatis, viſendi tui gratiâ, cùm ex *Scotiâ, Vigorniâquè Triumphans* redires, accepiſſet oculis: Te enim tanquam virum aliquem extraordinarium, cœleſtem, divinum, virorum miraculum, virtutum tuarum, rerumquè tuarum præclarè geſtarum ſtupefacti magnitudine tunc intuebantur, ſuſpiciebant, venerabantur. Tul. 2. Offic.

Et quandoquidem in confeſſô eſt apud intelligentes omnes, quòd fundetur in *virtute GLORIA*, idoneorum authorum teſtimonia nonnulla ſeligam ex quibus OLIVARII major inferatur *GLORIA*. Primo legimus apud *Bernardum*, quòd *Virtus eſt mater GLORIÆ, cui ſola GLORIA jure debetur*. Deinde habemus ex *Senecâ*, quòd *GLORIA umbra* virtutis *eſt, atque etiam invitos comitabitur: ſed quemadmodum aliquando umbra antecedit, aliquando ſequitur, ita GLORIA aliquando ante nos eſt viſendamquè ſe præbet, aliquando in averſô eſt, majorquè quò ſerior, ubi invidia ſeceſſit.* Tertiòvult *Naturæ Genius* quòd *virtutis* præmium ſit *Honor*, viriſquè bonis tribuatur, τῆς ἀρετῆς ἄθλον ἡ τιμὴ, καὶ ἀπονέμεται τοῖς ἀγαθοῖς. His accedit, quòd *cùm* Marcellus Virtuti & Honori *templum voviſſet*, Romani Virtutis *delubrum ante poſuerunt, poſt inde* Honoris, *ut oſtenderetur aditum non patere ad verum* Honorem *conſequendum, niſi per* Virtutem *ipſam*. Denique certiſſimum eſt ex *Tulliô*, & ex rei veritate, quòd *Is GLORIA maximè excellit, qui* Virtute *plurimâ præſtat*. Bernard. in Cantic. Senec. ad Lucil. Epiſt 79. Ariſt. Ethic. Nicom. l. 4. c. 7 Vereder. in im. g. Deor. ex Valer. Max. Cic. pro Planc.

Quibus ita poſitis, cùm apud ſapientes, eruditos, Chriſtianos, Ethnicos, intelligentes omnes conſtet *virtuti* deberi *GLORIAM*, placet hic quemadmodum fecimus in OLIVA ad diverſas OLIVARII *virtutes* hôc in opuſculô priùs à nobis adumbratas animum reflectere, quô *GLORIAM* ex ſingulis OLIVARIO maximam accedere demonſtremus, dicamuſquè cum *Macrobiô*, *Hæc eſt, non* Maronis, *at* OLIVARII *GLORIA, ut nullius laudibus creſcat, vituperatione nullâ minuatur*. Macrob. Saturnal. l. 1. c. 24.

Primùm igitur ex hôc quòd *PACIFICUS* ſit OLIVARIUS, quantam huic amice Lector redundare *GLORIAM* arbitraris? Si verum enim eſt quòd præcipua *Salomonis GLORIA*, quæ tanta fuit, quanta potuit eſſe maxima, petita ſit inde, quòd *PACIFICUS* fuerit, populoſquè ſuos in *Pace* rexerit, licet ille *PACEM* propriè non procurarit, quanta futura eſt OLIVARII *GLORIA*, qui tàm multiplicem, de quâ ſuprà, *PACEM* compoſuerit ipſemet, quanta inquam OLIVARII, qui *PACEM Bello* prætulerit, cùm ſit hæc illo *GLORIOSIOR*? futura eſt *GLORIA*,

PAX ducibus Bellô *GLORIA major erit.* Ovid. Faſt. 1.

Deinde cùm *Angliæ, Scotiæ, Hyberniæquè PRINCIPATUS* ex OLIVARII meritis *Heroicâquè* virtute conceſſus illi ſit ab iis, penes quos id efficiendi fuit authoritas, num hoc ipſum OLIVARIO *GLORIOSSIMUM* eſt? Cùm ſuprà viderimus *GLORIAM* teſtimonium externum eſſe virtutis, quod majus autem potuit eſſe teſtimonium excellentiſſimæ, præſtantiſſimæquè *virtutis* OLIVARII, quàm ejuſdem ad eundem delatio *PRINCIPATUS, PRINCIPUMQUE* omnium orbis *Chriſtiani* ob id eidem congratulatio?

Quòd

Quòd ſi quilibet homo *GLORIA* & honore coronatus ſit à Deô, cùm beſtiis rebuſquè inſenſibilibus præpoſitus eſt, *GLORIA & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Quid dicendum putes de Olivario? Cùm in ratione præditos, nec non intelligentes à *COELO*, ab ipſomet *DEO*, *DEI GRATIA* ſuprà viderimus dictum *PRINCIPATUM* Olivario collocatum eſſe. Num ob id in immenſum excreſcet Olivarii *GLORIA?* Audi quid *Nabuchodonoſori* dixerit olim, dum ſomnium illius ſibi per nocturnam viſionem revelatum interpretaretur *Daniel. Tu* Rex Regum *es, & DEUS COELI Regnum, & fortitudinem, & Imperium, & GLORIAM dedit tibi.*

Pſal: 8.

Dan. 2:

Cùm autem dixerit *SAPIENS*, atque per ipſum Deus, quòd *GLORIAM SAPIENTES poſsidebunt*, cumquè maximam in Olivario *SAPIENTIAM* admirati fuerimus, ejuſdem *GLORIAM* per conſequens neceſſarium ſuſpicere debemus.

Præterea, quantum nomen, quantam famam, quantas laudes, quantum honorem, quantam *GLORIAM*, quantam venerationem propter *RELIGIONEM* ſuam apud *Reformatos* omnes obtineat Olivarius, teſtis eſt ille titulus quô ſe *Reformatæ RELIGIONIS* defenſorem profitetur. Teſtes ſunt illæ *Lachrymæ* maximâ cum abundantiâ coram Deô profuſæ, ubi in *Pedemontanis* vallibus *Proteſtantes* in ſuæ *RELIGIONIS* odium tùm cæſos, tum ejectos comperit. Teſtis eſt immenſa liberalitas illius in *Reformatorum* eorumdem per montes nemoraquè metu mortis palantium. Teſtes preces, jejunia, pecuniariæ Agapes, quas per omnes ditionis ſuæ terras in eorumdem auxilium indixit Olivarius. Teſtes ſunt ad *Franciæ Regem* eâ de cauſâ miſſæ tabellæ. Teſtes illi quos ad *Celſitudinem Regiam Ducis Sabaudiæ*, nec non *Helvetios* nuper ablegavit, quod vel unicum, ut ſuperiora non repetam, apud *Reformatos* omnes ubicunque gentium futuri demum illi ſint, immortalem pariet Olivario *GLORIAM.*

Quòd ſi dictis addamus *Cæleſte* prorſùs effatum unius è ſeptuaginta duobus interpretibus apud *Ariſteam* in conviviô *Ptolomæi*, à quô dictus interpres quid eſſet imprimis *GLORIOSUM* interrogatus τί μέγιςόν ἐςι δόξης, reſpondit, colere & venerari Deum τὸ τιμᾶν τὸν θεόν. Te ſanè *GLORIOSISSIMUM* jam tùm orbi propoſuimus Olivari, dum te cultui venerationiquè divinæ maximè deditum ſuprà demonſtraverimus.

Ariſt. de 72. Interpret.

Quòd ſi *FORTITUDINIS* Olivarii veniat nobis in mentem, ſine dubiô cùm illa ſumma ſit, ſummam & ex illâ *GLORIAM* conſequetur Olivarius, nam præterquàm quòd, *Nullus in FORTIUM pectoribus aculeus laudis & GLORIÆ cupiditate acrior eſſe poteſt*, ſcimus quòd *FORTITUDINE* bellicâ ſui temporis præſtantiſſimus *Epaminondas* viros *FORTES GLORIA virtutis* præmiô contentos eſſe debere putabat: Scimus ad hæc, quòd apud *Lacedæmonios* qui ſtrenuam in militiâ navaſſent operam, ac pro patriâ fortiter occubuiſſent, Oliva redimiti cum multis laudibus veherentur, ac demum amicti purpurâ pretioſiſſimâ glorioſè ac honorificè ſepulchris mandarentur. Ad hæc, certum eſt quòd nulli bellatori ullum inſigne in armis ſuis, ſive clypeô gerere conceſſum eſſet antiquitùs, niſi inſigne aliquod eximium, vel aliqua *FORTITUDINIS* extraordinariæ teſtimonia præbuiſſet, unde generoſitas, unde nobilitas, unde eorumdem inſignia; Hanc opinionem meam in hôc *Virgilii* fundari metrô rectè putem.

Guiciardin. l. 2.

Apophtheg Plut

Ælian, l. 6.

Enſe levis nudô, parmâquè Inglorius *albâ.*

Virgil. Æneid. l. 9.

Inglorius, quia nullum adhuc *Heroicum* facinus, neque ex conſequenti Gloria vel *inſigni* dignum, quod unum & idem eſt, perpetrarat. Ex hôc

præ-

prætereà, reſpectu clari generis, & nobilitatis quæ maximè petitur ab armis, dicebantur obſcuri, obſcurô locô nati, quorum majores nullam ſibi ſuâ *FORTITUDINE* bellicâ *GLORIAM* comparaſſent, nullis donati fuiſſent *FORTITUDINIS* generoſitatiſquè *inſignibus*, delituiſſent, nubibus ſemper operti fuiſſent, conſequenterquè obſcuri, minimè clari, *INGLORII*. Invaluerat enim priſcis temporibus ea conſuetudo, ut junioribus qui militiam profiterentur, daretur clypeus, in quô circumquaquè depictæ *Nubes* eſſent, quem cum nubibus tandiù gererent, quoad per *Martium* facinus aliquod *inſigni* donarentur, unde nubes amoverentur ab eorum Clypeô, et ex conſequenti non eſſent ampliùs obſcuri, ſed clari, cùm *virtus* ipſorum *GLORIÆ* ſuæ ſplendore nubes ex ipſorum Clypeô, quibus anteà tegerentur, amoviſſet, unde poſtea clari dicerentur, atquè ex ipſis oriundi, claró *GLORIOSOQUE* genere, claris parentibus GLORIOSISQUE nati dicerentur. Unde quendam veteranum, qui nihil adhuc laude dignum egiſſet, irridet *Poëta*, dum hunc in re militari tyronem ſeu potiùs ignavum facit,

Quis tibi tàm tenerô permiſit plaudere collô, Statius 5. Silv.
Nubigeros Clypeos, *intonſaquè cædibus arma?*

Ex quibus liquidò conſtat, quòd ex *FORTITUDINE* bellicâ generis claritas, *GLORIA*, nobilitas oriantur. Unde ſi quis *Nobilis* ex iis quos tales vulgus appellat, *animi magnitudine FORTITUDINE QUE* careat, eum & verâ carere *GLORIA*, internâquè *Nobilitate* certum eſt. Sed tantùm externâ Prædeceſſorum ſuorum, non ſuâ falſò *GLORIARI* conſtat.

VICTORIÆ pretereà *GLORIAM* mercedem eſſe præcipuam ex hôc *Themiſtoclis* unicô patet, qui cùm tùm ſapientiâ, tùm fortitudine ſuâ maximam quæ fuerit unquam de Perſis Victoriam *Græciæ* peperiſſet, atque ob id laudatus honoratuſquè à *Lacedæmoneis OLEAGINEAM* habuiſſet *Coronam*, proximequè ſequentibus *Olympiis* cùm ſpectatorum omnium neglectis certantibus *Athletis* in ſe convertiſſet oculos, laudes, plauſus, tanta *GLORIA* ſic captus eſt, tantâquè lætitiâ ſic perfuſus, ut amicis palàm edixerit ſe ſuorum pro *Græciâ* ſuſceptorum laborum ſufficientem percepiſſe fructum, τὸν καρπὸν ἀπέχειν τῆς ὑπὲρ τῆς ἑλλάδος αὐτοῦ πόνων. Quòd ſi, quia juvit in hâc obtinendâ victoriâ adverſus Molles & effœminatos *Perſas* tantam conſecutus eſt *GLORIAM*, *Themiſtocles?* Quantam meretur OLIVARIUS? Qui tàm multas, tàm variis in locis, tàm diverſis temporibus, tàm modicis copiis, ex tàm numeroſis, tamquè fortibus hoſtibus victorias, de quibus ſuprà, reportavit. Plut. in Themiſtoc.

BENIGNITATI, manſuetudini, clementiæ deberur pariter *GLORIA*, ſeu potiùs ipſamet eſt *GLORIA*. Nam ubi juſſiſſet *Deus Moyſi*, ut in montem *Abarim* aſcenderet & videret terram promiſſionis antequàm moreretur, cumquè rogaſſet ille Deum ut aliquem populo ſuo Ducem præberet, *Dixit Dominus ad eum, tolle* Joſue *filium* Nun, *virum in quô eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum, qui ſtabit coram Eleazarô ſacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem GLORIÆ tuæ.* Cùm genuinus ut arbitror iſtius loci ſenſus ſit, ut *Moſes* impertiretur filio *Nun Joſue* partem *GLORIÆ* ſuæ, hoc eſt partem authoritatis & poteſtatis, principatuſquè ſui: Non deſunt tamen interpretes, qui velint, per *Moſis GLORIAM* ejus *manſuetudinem* intelligi: Unde jubeat Deus ut *Moſes* ſucceſſori ſuo *Joſue*, ſimilem quâ præditus is eſſet commendaret, ſuaderetquè *manſuetudinem*. Si *GLORIA* ſit igitur, ut eſt in *manſuetudine*, *BENIGNITATE*, clementiâ, quàm *GLORIOSUM* & ex hôc capite fateri cogemur OLIVARIUM, cùm eum Imperato- Num. 27.

rum omnis memoriæ clementiſſimum ſuprà viderimus.

Luc 6. De MISERICORDIA dicere nihil attinet, cùm præcipuè ſita ſit in eâ mortalium GLORIA, quippequi per eam, quæ propria modò peculiari Dei virtus exiſtat, ad quàndam Dei ſimilitudinem etiam hâc in vitâ, quantùm fieri poteſt, propiùs accedant; Atque ex conſequenti cùm in OLIVARIO ſuprà MISERICORDIÆ ſummæ præſtantiam animadverterimus, in neceſſariâ conſecutione deducere nos convenit in hôc & ſummè GLORIOSUM OLIVARIUM eſſe, qui ſuâ in MISERICORDIA magis quàm ullus unquam victorum antiquitatis Imperatorum Deum effinxerit, expreſſerit, imitatus fuerit.

Maxim. Serm. de glor. *Si GLORIAM quæris* inquit Baſilius, *& cupis ſuperior multis videri, & in rebus mundanis clarior fieri, ſis JUSTUS.* Et quod in unum & idem recidit,

Id. Ibid. *Heraclitus viam ad gloriam maximè compendiariam dicebat, ſi quis* bonus *eſſe ſtuderet.* Unde fit, ut cùm tanta ſit in OLIVARIO *bonitas*, tanta *JUSTITIA*, quantam ſuprà vidimus, quò non aſſurget OLIVARII *GLORIA?*

Ad FOELICITATEM ſine dubiô. In quô æquè ac PERICLES, immò jure potiori gloriari poteſt OLIVARIUS, quòd FOELICITER adeò, non *Athenienſem* ſed *Anglicam* gubernarit *Rempublicam*, ut nullum ſuô in regimine

Pericl. Plutarc. publicum unquam luctum aut mœrorem cauſaſſet. Et certè GLORIA honoreque ſummô dignum eſt, immò ſtupore non vulgari, quòd nunquam à pugnâ niſi laureis, palmis, OLIVIS onuſtus redierit OLIVARIUS, nihilquè ſuſceperit unquam, quod non ad Fauſtum, Fœlicem, Fortunatumquè tandem perduxerit exitum, unde longè potior eſt honos OLIVARII quàm illius, quem *Funonis* GLORIAM nomen effecit Ἡρακλῆς, cujus GLORIA hinc inde ad *freti Gaditani Columnas*, cum hâc epigraphê *NON ULTRA*, terminata fuit. At OLIVARII GLORIA nullos patitur terminos, neque locorum, neque temporum, nam pro locis habet inſigne *PLUS ULTRA*, pro tempore quoque *PLUS ULTRA.*

Diogen. Laert. l. 4. c. 7. Hoc eſt ÆTERNITATEM, nam inter ſapientiæ candidatos non poſtremus ille *Bion* GLORIAM matrem annorum appellabat, quòd cùm hominis vita brevis eſſet, memoria tamen illius honeſta in omnes annos conſequentes propagaretur, unde Poëta.

Ovid. ad Livium. *Facta Ducis vivent, operoſaquè GLORIA rerum,*
Hæc manet, hæc avidos effugit illa rogos.

Et certè rationi maximè conſonum eſſe videtur, ut qui vitam hanc temporalem, mortalemquè periculis omnibus pro hâc expoſuerit *Republicâ*, *ÆTERNAM* ob id immortalemquè conſequatur. Propterea fortitudine bellicâ nemini ſecundus *Laconum Rex Ageſilaus* à quôdam interrogatus quâ ratione

Apophthег. Plutarc. perpetuam ſibi *GLORIAM* parare poſſet, ſi mortem contempſeris ait, nihil enim rei præclaræ eum gerere poſſe patebat, cujus animum mortis metus occupaſſet. Ex quô manifeſtè ſequitur OLIVARI, quòd tibi laus ÆTERNA, GLORIA immortalis, ſempiterna ob rectè factorum tuorum memoriam juſtè debeatur. Et præſertim quòd tàm ſæpè pro *Angliâ* vitam tuam tàm apertis expoſueris periculis, mortemquè ſic contempſeris, quaſi ex *IMMORTALIUM* numerô mortales inter fuiſſes hìc aliquis. Unde ut de GLORIA Cœleſti nec non Divinâ fileam, quæ in illis beatarum mentium ſedibus tuas in *ÆTERNUM* manet virtutes, quandiu futurum eſt genus hominum, præſertim in *Nationibus* in quibus imperas, tandiu tua vigebit & virebit in eorum animis *Immarceſcens* OLIVARI *GLORIA.*

ÆTER-

PHilippus Valeſius Franciæ Rex habuit in inſigne pictum in editâ rupe, flantibus fractiſquè ad ipſam undequaque ventis, mariſquè fluctibus, *LILIUM* cum Epigraphê, *IN ÆTERNUM NON COMMOVEBITUR.* Quô ſapiens fortiſquè princeps voluit indicare ſymbolô, *Franciæ Regnum*, licet tunc ab *Anglis*, *Belgis*, *Germanis*, *Waſconibus*, *aliis*, bellô peteretur undique, quòd hoc nihilominus in lege *Salicâ* velut in rupe fundatum adventitiis aliunde belli tempeſtatibus nullâ ratione moveri poſſet. Iſtud Pace tanti principis dixerim, longè potiori jure, abſque *Hieroglyphicô*, ſed merô naturali ſignô, ſine ulteriori aliâ cognitione præter eam quam primariò ſenſibus ingerit, *OLIVÆ* poteſt adaptari. Nam ex naturâ ſuâ diligit *Olea* petroſa, rupea, ſaxeaquè loca, atque in illis uberiorem quàm alibi fructum producit: Præterea, tantam habet à naturâ ſuâ fortitudinem, ut omnes aquæ *Diluvii*, decumani fluctus, qui totum everterunt orbem, tempeſtates omnes, vehementiſſimi ventorum flatus, turbines, atque procellæ in eam nihil unquam potuerint. Unde inquam meritiſſimò quis in editâ rupe pingat *OLIVAM* aſſurgentibus in illam undique rabidi *Neptuni* fluctibus, emiſſis in eandem undique furioſis *Æoli* flatibus, inexorabiliſquè *Junonis* Joviſquè tempeſtatibus omnibus, cum hôc Epigrammate, *IN ÆTERNUM NON COMMOVEBITUR.* Symbol. Typor.

Et certè quod pluribus à nobis ſuprà demonſtratum, verô ſimillimum eſt, quòd ceſſante *Diluviô*, naturâ ſuâ ſemper virens hæc arbor totô cataclyſmi generalis tempore, ſuam ſub aquis frondium comam retinuerit, ὅτι τὸ ἀένναον τὴν τῶν φύλλων ἔχειν κόμην. Nam ex eruditiſſimô fidiſſimôquè naturalis hiſtoriæ ſcriptore *Plinio*, OLEÆ *non decidunt folia*, ſi rei tàm in naturâ mirandæ rationem expoſcas, nullam aſſignabit aliam, niſi petitam ab ejuſdem arboris velut *ÆTERNA* quodammodò duratione, OLEA SEMPITERNA *comâ viret.* Neque eſt quòd putes in rei tàm admirandæ veritate ſtabiliendâ, fide dignos deeſſe teſtes, nam ait primos inter, occurrens *Sidonius*

Chryſoſt. in c. 8. Gen. Homil. 28.

Plin. l. 16. c. 10

Id. ibid. c. 19.

ÆTERNUMQUE *virens* OLIVA.

Sidon. in Epiſt. Polemii & Aranceliæ.

Ille verò, qui ob ingenii ſubtilitatem *ingeniorum Aquila* dici meruit *Auguſtinus*, quærens rationem, undenam intelligere poſſimus Pacem perpetuam OLIVÆ ramuſculô ſignificari, quem ad *Arcam* rediens *Columba* detulerit, ſibi

ſibi ipſi reſpondet, *id non aliam ob cauſam facile eſt intelligere, niſi quia novimus arborem ipſam frondere* PERENNITER. Sed ut cum virorum tantorum veniâ dixerim, Quæritur perennitatis iſtius OLIVÆ, perpetuitatis, ſempiternitatis, *ÆTERNITATIS* cauſa, unde cùm petitur quare *Diluvii* tempore viridis remanſit OLIVA, ſi reſpondetur, quia OLIVA *SEMPITERNA* coma viret, *ÆTERNUM* viret, frondet *PERENNITER*, ad rem præciſe minimè reſpondetur, eſtquè quodammodò petere principium, hoc enim pro cauſâ reſpondetur quod eſt in quæſtione. Undenam igitur viriditatis iſtius *ÆTERNÆ* cauſa? Hâc in re optimè omnium meò quidem judiciò Philoſophatus eſt *Plutarchus*, qui & *Columbæ*, ramulum OLIVÆ *Deucalionis* finitò diluviò ferentis, ſuprà meminit.

Plutarch. ſympoſiac. 3. Prob. 2.

Rationem igitur tantæ durationis OLEÆ, continuæ viriditatis ipſius, ejuſdemquè ligni ſoliditatis velut *ÆTERNÆ*, veriſimiliter ſuprà laudatus author attingit, dum ait quòd *Oleam ſemper conſervat pinguedo.*

Atque ut rationis iſtius vis magis nobis innoteſcat, placet in ejus confirmationem nonnulla proferre, quibus *Oleæ* pinguedo *ÆTERNITATEM* conferre quodammodò videatur. Ac primùm *Phidiam* memorant quòd cùm *Olympiaci Jovis* ſimulachrum finxiſſet ex ebore, OLIVARUM *Oleum* ante ſtatuam ad pedes ejus effundi juſſerit ἔλαιον ἐκχεῖσθαι προσέταξεν ἀμφὶ τοὺς πόδας ἔμπροσθεν τοῦ ἀγάλματος, quò ſervaret illam quantùm fieri poſſet *IMMORTALEM* ἀθάνατον εἰς δύναμιν φυλάσσειν αὐτὸ. Scimus quòd propter eandem rationem, ex ebore patris Deorum *Saturni* ſimulachrum OLIVARUM *Oleò Romæ* continuò fuerit impletum. Audi quid eâ de re Naturæ proferat idoneus hiſtoricus, *Oleum* OLIVARUM *quippe, exiſtimatur, & ebori vindicandò à carie utile eſſe, certè ſimulachrum* Saturni Romæ *intus Oleò repletum eſt*, quaſi diceret, verſatur in omnium ore, & in communibus fertur proverbiis, hanc habere vim OLIVARUM OLEUM, ut ebur à carie vindicando, veluti ſempiternum efficiat, quod utrum aut quomodò fieri poſſit non diſputo, ſed hoc unum ſcio, *Saturni* ſimulachrum propter communem hanc omnium opinionem *Romæ* in urbe totius orbis ſapientiſſimâ, quò redderetur *ÆTERNUM*, OLIVARUM *Oleò* repletum eſſe.

S. Epiphan. hæreſ poſt adventum Chriſti 44.

Plin. l. 15. c. 7.

Ex quibus profectò nemini mirandum videri debet, ſi *firmiſſimæ ad vivendum* Oleæ, *cariem vetuſtatemquè non ſentiant.* Siquè propterea ſimulachra Deorum, quemadmodum multis jam anteà notavimus, ex *Oleâ* fieri voluerit antiquitas, nam *qui ligni Naturam, & ſoliditatem exploratam habebant, ÆTERNITATIS ratione habitâ id fieri crediderunt, ea ſiquidem materies ÆTERNA eſt, quam neque tempeſtas, neque caries, neque vetuſtas labefactat, eadem non in murò tantùm obſtructa, ſed & in ſubſtructionibus, & in terrâ obruta, & in aquâ fixa collocatavè SEMPITERNO propemodùm officiò perſeverat incorrupta.*

Id. l. 16. c. 40. & 44.

Pier. Hieregl. l. 53.

Hoc ſine dubiò nequaquam ignoravit *Plantarum* omnium, *Naturæ* virtutumquè callentiſſimus *Salomon*, cùm ex *Olearum* lignò *Cherubinos* geminos in interiori templò ſuò collocavit. Neque ſimiliter fugit idem *Pictores, Sculptores, ſtatuarumquè fuſores*, cùm Deorum ſuorum, *Joviſquè* præſertim capita corollis ex *Oleâ* redimirent, nam id eâ de cauſâ factitarunt *quòd in OLEA viriditatis PERENNITATEM animadverterent*, ut ait quidam theologus, idquè factum pariter ſtatuit, curioſus antiquitatis indagator, *PERPETUI vironis ratione.*

3 Reg. 6.

Furnut. de imag. Deor. Rhodigin. l. 12 c. 19.

Quibus ita conſtitutis, ſi ab viris ſapientiâ canditatis *OLEÆ* tributa ſynonima repetere liceat, *ÆTERNAM, PERPETUAM, PERENNEM, SEMPITERNAM* ex naturâ ſuâ quamlibet *OLEAM* eſſe hinc manifeſtiſſimum eſt.

eſt. Unde ſine ullâ dubitatione paululùm aberravit maximis *Athenas* laudibus efferre ſe putans *Tullius*, quòd OLIVAM à *Pallade* productam peculiari commendatione *SEMPITERNAM* appellarit, ait enim *Athenæ SEMPITERNAM OLEAM in arce tenere potuerunt.* Quaſi *Palladis* hæc *OLEA* præ cæteris *SEMPITERNA* dicenda ſit, quôd à *Perſis* templô *Minervæ* combuſtô, ſervata fuerit: Cùm in *Bizantinô* Lucô conſumptis ab igne cæteris arboribus, *Olea* non modò non læſa, ſed ab eôdem igne plurimùm fœcundata fuerit, ut non repetam quæ ſuperiùs in fortitudinem præ ſe ferente ramô de quâvis *OLEA* dictum *Virgilii*,

Tul. 1. de leg.

Quin & candicibus ſectis, mirabile dictu,
Truditur è ſiccô radix OLEAGINA ramô.

Virg. Georg. 2.

Quod non quaſi fabulam, ſed ut rem veriſſimam protulit in *Georgicis*. A cujus opinione ſtant exactiſſimi rerum naturalium ſcriptores *Columella*, *Plinius*, *Palladius*, ut non dicam ex *Theophraſtô*, quòd in *BOEOTIA* omnibus ab *OLEA* germinibus ablatis, per ſtupendum tamen *Naturæ* miraculum tota renovata germinarit πάλιν ἀνεβλάϛησε. Quin quod & omnem penitùs admirationem ſuperare videtur, alia quondam ab igne tota combuſta, ex ſuis cineribus veluti *PLANTARUM PHOENIX* oſtentô prodigioſô renaſcens iterum tota ſurrexit, Ἐλαία ποτὲ προνανθεῖσα τελείως, ἀνεβλάϛησεν ὅλη.

Columel. l. 3. Plin. l. 17. Pallad. paſſim. Theophraſt. hiſt. plant. l. 2. c. 4. Id. l. 5. c. 10.

Nec eſt quòd ab eôdem repetam, *OLEAGINEAM* materiam in opus redactam, & ab omnibus mortuam æſtimatam, per connaturalem *ÆTERNITATEM Oleæ*, denuò germinaſſe, quemadmodum in valvarum cardinibus, atque adeò in antiquis, ſicciſque poculis in limum injectis contigiſſe fuſè ſuprà vidimus. Quæ omnia non tanquam abſurda, ficta, commentitia, fabulæ, deliria, ἄτοπα, ſed tanquam veriſſima conſideranda ſunt. Quippe quæ & experientiis frequentiſſimis, & rationibus, iiſquè validiſſimis probata manifeſtam *ÆTERNITATEM* OLIVÆ demonſtrent.

Quapropter non poſſum quin majorum noſtrorum OLIVA dignum facinus approbem, dum arborem ſolam *ÆTERNAM*, ſolam inter *ÆTERNA* ſtatuêre, cùm ex ejus ſurculô in ore *Columbæ Conſtellationem* ad *Polum Meridionalem* effecerint, quæ permanſura illic eſt tandiu, quandiu Cœlum futurum eſt, quamobrem ut in *ÆTERNITATE* licet infinitâ finiam.

Et COELO & TERRIS ſemper OLIVA *viret.*

EX tribus nationibus quæ *Lunam* in *Nobilitatis inſigne, ſtemmaquè* geſſerunt, ſapientiſſimè omnium meô quidem judiciô *Romani* tale ſibi dignitatis generis ſignum elegêre.

Arcades enim mortalium omnium primi, hanc antiquitatis notam eam ob rem uſurparunt, quòd ſe *Lunâ* priores eſſe crediderint. Ἀρκάδες λέγουσι τῆς σελήνης ἔμμεναι προγενέστεροι. Unde Poëta

Aſtrol. Lucian.

--Lunâquè priores
Arcades.

Cur autem tàm ſtolidâ uterentur *Arcades* opinione, talis fuit ratio. Cùm *Arcadia* ſita ſit in *Peloponeſi* mediô, *Græciamquè* univerſam, editis quippe referta montibus, altitudine ſuâ ſuperet, *Diluvii* tempore ſoli feruntur *Arcades*, cum ad montium vertices illicò ſe recepiſſent, aquarum exundationem evaſiſſe: Poſtquàm autem decreviſſent aquæ, atque ex montium cavernis, in quibus tanquam in apricô, totô *Diluvii* tempore delituerant, emerſiſſent, tumquè *Lunam* vidiſſent, hanc, priori per *Diluvium* abſorptâ diſſolutâquè, recenter eſſe natam crediderunt: Hincquè factum, ut ſe mortalium omnium antiquiſſimos nobiliſſimoſquè gloriati fuerint, quippe qui tempore *Lunam* ipſam antevertiſſent.

Dian. Vereder.

Mahumetani verò ſuis in inſignibus *Lunæ* partem duas ob cauſas habent. Primam, ad *Religionis* ſuæ confirmationem, alteram ad effrænatum inſolentis intolerandæquè ſuperbiæ, nec non ambitionis ſuæ ſtudium exprimendum.

Alcoran. Mahom. Azor. 643

Quod ad primam attinet, refert in *Alcoranô* ſuô veterator ille Sycophanta *Mahometes*, quòd in ſuæ religionis confirmationem aliquando ſub noctem ejus diſcipuli cœleſte ſignum aliquod ab eôdem poſtulaſſent, cumquè tunc albicans in pleniluniô ſerenô Cœlô *Luna* fulgeret, huic eundem ſignô digitorum ſuorum imperaſſe, ut in duas illa ſe partes divideret, quod illicò factum eſt, unde pars una *Lunæ* cecidit ad *Helicanum* montem ex unâ parte urbis *Meccæ*: Pars autem altera ex alterâ urbis ejuſdem parte ad montem *Erithreum* corruerit. *Mahometes* autem miſertus orbis, per miraculoſam poteſtatem ſuam, ejuſdem *Planetæ* ſic diviſi partes ſuâ in manicâ rurſus adunarit,

Cœlô-

Cœlôquè reſtituerit. Non ab hôc diſſimile refert ibidem de *Alexandrô Magnô* delirium, quòd ille quondam dormientem ad fontem rubrum *Solem* offendiſſet. Hìc ut verum fatear vix me continere poſſum amice lector: Dum enim hæc ſcribo, ſic internô quôdam furore corripior, ut totus ob id exardeſcam, penituſquè excandeſcam, dum video Bubulcos, Camelarios, vilia fortunæ mancipia, Arcadicis pecoribus ſtolidiora, ſimulatâ ſanctitate, hominibus talia deliria, ſine ullâ examinatione, diſquiſitione, diſputatione, controverſiâ, dubitatione, ſcrupulô, firmiter, conſtanterquè per fidem Divinamquè ſub pœnâ capitis credenda proponi. O monſtrum horrendum, informe, ingens! O Tyrannidem inauditam! O cœcitatem hominum deplorandam! Quid? Homo divinum iſtud animal, imago Dei, θαῦμα θαυμάτων, mundi totius breviarium, compendium, epitome, μικρόκοσμος ille, cujus Cœli terræquè Rex liber intellectus, νοῦς ἐστι βασιλεὺς ἡμῖν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς, ne quidem mundis innumeris, cui Dei ſolius ſufficiat immenſitas, contineri poſſit. Quid inquam infinitæ cognitionis capax homo, Stolidorum, Idiotarum, Hypocritarum, Impoſtorum, Veſanorum, Vecordium, Inſanorum delirationibus, impoſturis inſaniis, ſycophantiis, contradictionibus, fidem & quidem illam Divinam habere cogatur, illis acquieſcere, rerum omnium judicis rationis hominibus ingenitum à Deô lumen, ad phanaticorum mandatum extinguere, captivare intellectum, atque in illum de plagiariorum Imperiô contra naturam cœcitatis tenebras inferre, quod tamen fieri ratione nullâ poteſt, cùm lumen in animis noſtris impreſſum à Deô, Divinum ſit, neque coneris licet, poſſit obſcurari, tantùm abeſt, ut penitùs extingui valeat. Sed obliviſcor inſtituti lector, zelo de hominis prærogativâ condones velim.

Id. lib. Ator. 18

Plato in Philebo ſeu de voluptate.

Altera igitur ratio, cur *Mahumetani* principes *Otthomanni Lunæ* partem ſuis in inſignibus ferant, ut ſuprà monui, petitur ex eorumdem effrænatâ regnandi cupiditate, quod ſufficienter innuitur per hanc additam *Lunæ* quartæ ſuis in inſignibus epigraphen *DONEC TOTUM IMPLEAT ORBEM.* Quô volunt imperiorum appetentes, ſe tandiu hæc habituros inſignia, quoad totius orbis victores extiterint. Quô tempore plenam in Nobilitatis indicium *Lunam* tunc ſint habituri.

Hiſtor. Turcar.

De *Romanis* tandem videamus aliquid, *Romanis qui nobilitate præſtarent geſtandi* Lunullas *morem fuiſſe tradit* Plutarchus, *&* Martialis Lunatam *pellem appellat calceum,*

Pier. lib. 44.

--Lunatâ *lingula* plantâ.

Habentur quoque ad idem propoſitum de Quintilianô *Rhetore Juvenalis verba,*

--Nobilis & generoſus
Appoſitam nigræ Lunam *ſubtexit Aluta.*

Sunt autem, qui talis facti cauſam reddant, ut ſcilicet eâ ratione Romani, *conſiderandam eſſe rerum viciſſitudinem, qua præſertim in* Lunâ *ſpectabilis eſt, ne glorioſô Nobilitatis nomine nimiùm inſoleſcerent, admonerentur.*

Alteram rationem, ſed magè præcipuam inde petendam arbitror, quòd cùm nobilitas omnis quantacunque ſit, à virtute, quemadmodum ſuprà vidimus, tota proficiſcatur, nobilitatiſquè ſolùm dentur iis inſignia, qui virtutis *Heroicæ* ſpecimen eximium aliquod exhibuerint, propterea ſub nobilium pedibus *Lunæ Romæ* ſtatuebatur, ut virtutis, unde nobilitas, æternitatem indicarent: Sublunaria enim caduca ſunt, mobilia, inconſtantia, mutabilitatis plena, viciſſitudinibus plurimis obnoxia: Quæ ſupra *Lunam* autem, conſtantia, incorrupta, *ÆTERNA*, immortalia ſunt.

Quamobrem cùm te foelicem, beatum, glorioſum propter *Heroicas*, Divinaſquè

nasque virtutes, quibus te præditum vidimus OLIVARI, tuæ profectò nobilitatis *ÆTERNUM* immortalequè decus, locum suprà res omnes *Lunares* inter *ÆTERNA* nec non immortalia, sempiternum habere convenit.

Nam & ex sapiente *Romanô*, *Divitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis est, VIRTUS CLARA ÆTERNAQUE HABETUR.* *Xenophon* autem unus ex *Græcorum* sapientissimis immortalem virtutem agnoscit, ἀρετὴν ἀθάνατον. Unde fit ut tibi similes OLIVARI virtute fortitudinequè invicti nunquam moriantur

Sallust. de conjurat. Catilin.

Xenophon de venatione.

Anthолog. Græcor. l. 5.

τῶν γὰρ ἀνικήτων ἅπτεται οὐδ' Ἄϊδης

Nam invictos mors non tangit.

Rationem reddit *Pindarus*, quia cùm sint Deorum filii invulnerabiles, existunt ex consequenti immortales, *ÆTERNI*, ἄτρωτοι παῖδες θεῶν. Licet enim ex vinculis corporis eorumdem solvantur animæ, quæ mors in cæteris habeatur, nequaquam tamen in istis, cùm ex *Tulliô*, *omnium quidem animi sunt immortales, sed fortium, bonorumquè Divini*, quippe fortes sapientesquè virtutum præsidiô muniti, peculiari quâdam ratione filii Dei sunt, sunt enim illi tales à Deô.

Pindar. Isthm. Od. 3.

Tul. 2. de legibus.

Pindar. Olymp. Od. 9.

ἀγαθοὶ δὲ καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμονα ἄνδρες.

Divina igitur tua *virtus* OLIVARI, *ÆTERNA*, invulnerabilis, incorruptibilis, immortalis est.

Itaque eâ prorsùs ratione quâ possunt hìc homines OLIVARI facinora tua bellica, virtutes *Heroïcæ*, prudentia cœlestis, Religio singularis, Benignitas, misericordiaquè plusquàm *Heroica*, tùm nostris, tùm historicorum ætatis nostræ scriptis, immortalitati, sempiternæquè tradentur memoriæ, quanam enim hâc ætate nostrâ tàm immemores, tàm ingratæ, tàm desides, inertesquè literæ reperiantur in *Angliâ*, quæ rectè factorum tuorum memoriam, in quibus vastissimus eloquentiæ campus pateat, non immortalitatis, *Æternitatisquè* gloriâ prosequantur. Dixit olim *Virgilius* de *Nisô* & *Euryalô* insignibus amicâ virtute juvenibus,

Virgil. Æneid. l. 9.

-- Si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævô.

Idem de te dicendum venit OLIVARI, si quid mea scripta valeant, quamdiu genus erit hominum, non per hasce meas solùm, quas memoriæ tuæ sempiternitati qualescunque voveo, sed & per aliorum lucubrationes ubicunque locorum per totum terrarum orbem literæ poterunt aliquid, *VIVES* OLIVARI, hoc enim præcipuum habent literæ, ut vel ipsis mortuis apud posteros, ad *ÆTERNITATEM* usque vitam eamquè immortalem impertiri valeant. Hæc enim debetur virtuti tuæ, hæc justitiæ gloria, *In memoriâ ÆTERNA erit justus*, inquit Rex Propheta, quocirca nullô modô dubitandum mihi venit, quin fama, nomen, laus, gloria, virtutum tuarum, justitiæquè memoria, parem cum *ÆTERNITATE* durationem sit habitura.

Diod. l. 11.

Psal 112. apud Heb.

Hìc mihi si placeat, eam dabis OLIVARI veniam, ut immortalitatem aliam, nec non ÆTERNITATEM, quam rectè factis tuis debitam dicere non ausim, quamvis promissam, à naturâ ductâ ratione duplici demonstrare Liceat.

Dicebat olim excellentis ingenii solertiâ præstans *Romanus* Orator *Cicero*, *Si in hôc erro quòd animos hominum immortales esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem quô delector dum vivo extorqueri volo, sin mortuus, ut quidam minuti Philosophi censent, nihil sentiam, non vereor ne hunc errorem meum mortui Philosophi irrideant.* Ego verò hìc, non animo solùm, sed & corpori post utriusque dissolutionem, sive potiùs toti composito, homini duntaxat, nec dubitans aut vacillans immortalitatem astruo. Primò

Tullius de senectute.

Primò igitur certum eſt, quòd *ÆTERNITATIS* naturalis ſit appetitus in homine, ſeu congenitum homini *ÆTERNITATIS* à naturâ deſiderium. Enimvero patet evidenter iſtud, ex innumeris eorumdem actis quibus ad immortalem famam niti quotidie videntur. Certum eſt pariter quòd appetitus idem *ÆTERNITATIS* rationem nullô modô conſequitur. Nam *Pyramides* illæ omnes, ſepulchra, *Mauſolea*, Turres *Aſtris* æquales altitudine, *Trophæa*, *Statuæ*, virtutis monumenta, *Templa*, ſuperba ædificia, *Palatia*, *Amphitheatra*, urbium ampliſſimarum ædificationes, quibus ſuum nomen apud poſteros *ÆTERNUM* ubique reddere, tàm multi principes eximii, ditiſſimiquè omnibus retrò ſeculis conati ſunt, conatibus tandem ſuis nunc ferè omnes excidêre. Ex illis enim omnibus *Lapideis*, *Marmoreis*, *Ferreis*, *Æreis*, *Argenteis*, *Aureis Monumentis*, vix quidquam reſidui *Sol* hodiernus aſpicit, illa enim vel ætate, vel incendiis, vel bellô conſumpta perierunt omnia, innumeræ florentiſſimæquè civitates nec non ædificia propemodùm infinita, ubi tàm multa ſervabantur ad *ÆTERNITATEM* ſimilia, de quibus ſuprà monumenta, eandem cum *Trojâ*, cujus ſolum nomen vacuum & inane reliquum eſt, ſortem dudum ſunt expertæ.

Jam ſeges eſt ubi Troja *fuit.* Penelop. Ulyſ: apud Ovid:

Per literas verum eſt, longè major diuturniorquè fama, gloriaquè perſeverat. Sed & illa quoque ad *ÆTERNITATEM* pertinere non poteſt, cùm antiquos ferè omnes libros *Vulcanus* abſumpſerit. Nam per quatuor annorum ferè millia, ab orbe conſtitutô, ut de *Moſe* nihil dicam, quinque nunc reliquos tantùm habemus hiſtoricos, *Herodotum* viventem ad annum mundi ter milleſimum quingenteſimum trigeſimum. *Thucididem*, huic tredecim annis minorem ætate. *Xenophontem Thucidide* juniorem annis triginta quatuor. *Julium Cæſarem*, qui occiſus eſt ad annum mundi ter milleſimum nongenteſimum quadrageſimum. *Saluſtium Cæſari* novem annis ſuperſtitem. Si inquam per totum terrarum orbem omnia antiquitatis hiſtoriarum per quatuor annorum millia ſcripta monumenta periiſſe cogites, & in illis pleraque contenta, cùm pauciſſima nobis reſtent, cum illis finem pariter accepiſſe cognoſces. Præterea ſolam ſui temporis hiſtoricam *Xerxis* expeditionem in *Græciam* deſcripſit *Herodotus*, quæ ſe priora ſcriptis attigit, *Fabularum* ferè plena ſunt omnia, *Thucidides* verò magis Orator quam hiſtoricus, ubi finit *Herodotus*, ſuam *Græciæ* tantùm incipit hiſtoriam, hancquè ad principatus *Athenienſium* everſionem à *Lacedæmoniis* producit. *Xenophon* verò in *Cyropædiâ Imperatoris veri perfectam ſtatuit ideam*, ut *Plato Civitatis*, *Tullius Oratoris*, qui tamen in rerum naturâ nunquam extitêre. Verum eſt quòd expeditionem *Cyri* minoris in *Aſiam*, in quam cum illô profectus eſt ipſemet, deſcripſerit, multaquè de *Socrate*, dequè *Græciâ* nonnulla poſteritati tradiderit. *Julius* autem *Cæſar* ſolummodò res à ſeipſô variis in bellis geſtas nobis exhibuerit. *Saluſtius* verò de conjuratione *Catilinæ*, Jugurtinôquè bellô pauca ſcriptis ſuis exararit.

Unde videre eſt quòd quæcunque dicuntur de tàm multis per tot annorum millia principibus, nec non Imperatoribus, ab ſcriptoribus in lucem edita ſint, qui per multa ſecula illis ætate longè fuerint inferiores, unde non niſi per aliorum ſcripta, ad eorum, *Modò nihil ipſi finxerint*, quæ nobis tradunt cognitionem devenire potuerunt. Et ubinam ſunt hæc antiquitatis ſcripta monumenta? Si recordemur *Alexandriæ* in urbe *Ægypti* celeberrimâ, quod ſuprà retulimus, quadringenta millia librorum arſiſſe, non dubitandum eſt, quin egregia innumerorum præſtantium virorum facinora, *ÆTERNA* digna memoriâ pariter cum illis arſerint, extinctaquè tandem omninò fuerint. Dolemus ſingulis diebus à Barbaris inhumaniſquè Mahumetanis tot glorioſorum virorum

famam, qui in memoriâ hominum *ÆTERNA* vivere debuiſſent, dum orientales bibliothecas omnes combuſſerunt, in flammis ſuffocatam fuiſſe. Num ſimiliter deplorandum eſt Chinenſes Antiquiſſimas hiſtorias à *Tartaris Vulcano* nuper omnes ferè conſecratas eſſe? Qui per quingentos annos, antequam reperta fuiſſet in *Germaniâ*, *Typographia* uſum habuiſſent; Cùm tamen apud nos ars *Typographica* ſolùm inventa ſit inquam in *Germaniâ* ad annum Chriſti milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum.

Bellum Tartar. Conſalv. Mendoza l. 3. c. 16. de regno Chin. Petr. Maffeus hiſt. Indic. l. 6. Polyd. Verg. l. 2. c. 7. de rerum inventori

Quamobrem nec ea quæ per literas intenditur *ÆTERNA* famæ, nominis, gloriæquè duratio finem ſuum aſſequitur, cùm ſæpiſſimè, quod ſingulis diebus accidere videmus, regionis alicujus urbes ferè omnes bellis vaſtentur, cum ſuis bibliothecis ſcriptiſquè omnibus comburantur, æquentur ſolo, fundituſquè evertantur, quarum in ruinis innumeras fortium virorum egregia facinora, *ÆTERNA* ſepeliuntur oblivione.

Et propterea cùm naturalis in omnibus hominibus *ÆTERNITATIS* ſit appetitus, deſideriumquè immortalitatis in illis impreſſum à naturâ. Neque tamen hic in tantâ rerum omnium viciſſitudine poſſit expleri, neceſſarium eſt profectò, niſi contra rationem omnem per grande peccatum, ſtultitiæ *NATURAM ipſam ſapientiſſimam optimamquè omnium parentem* arguere velimus (quamquè *DEUM* agnoſco, veneror, & adoro) quæ nobis *Novercâ* pejor det appetitus fruſtraneos, vanos, inutiles, & ad id aptos ſolummodò, ut nos vexent & torqueant, dum ad id fruſtrâ nos excitant & impellunt, ad quod nunquam pervenire poſſimus: Neceſſarium inquam eſt, ut detur altera vita immortalis & *ÆTERNA*, per quàm naturale deſiderium hoc hominis impleatur.

Alteram hujus rei demonſtrationem, ſuperiore nequaquam infirmiorem à Divinâ *Providentiâ*, mundi juſtâ gubernatrice petitam, myſtis, verbiquè Divini præconibus ſuis in exedris concioni proponendam, explicandamquè relinquo.

Ut ad te demum OLIVARI mea redeat, nec non deſinat oratio, cum enim mortalium tibi conceſſæ, vel concedendæ *Laudes, Encomia, Gloria*, Fama, Decus, Inſignia, Tabellæ, Statuæ, ſcriptaquè virorum eruditorum de te, præclarequè factis tuis Monumenta, quæ ſtrictim & obiter hôc in opuſculô pinguiore *Minervâ* proſecuti ſumus; Cùm inquam hæc omnia rectè factorum tuorum meritis longè ſint imparia, nec *ÆTERNITATEM* eam, quæ præclara facinora tua maneat aſſequi valeant, propterea & alteram tibi propoſui vitam immortalem & *ÆTERNAM*,

Quam poſteaquàm hoc pro tuô nutu ſtabiliveris imperium, atque multos in eô fœlices fortunatoſquè videris annos, quam inquam tibi *BEATAM* optat laudum tuarum indignus Encomiaſtes. Hanc ſine dubiô ſi tuis ipſius veſtigiis, quibus adhuc inceſſiſti firmiùs inſiſtas, iſtamquè mortalem vitam nunquam immortali illi nec non *ÆTERNÆ* præponas, hanc inquam *ÆTERNAM* tandem conſequeris. Igitur in *ÆTERNUM* finem OLIVARI

Vive diu, ſed vive Deo, nam vivere mundo
Mortis opus, viva eſt vivere vita Deo.

D. Paulinus Epiſt. ad Roman.

COROLLARIUM

COROLLARIVM

HIc *CORONIDIS locô vos obteſtor BRITANNI, ſiquidem tàm multa percepiſtis ab* OLIVARIO, *ut* extraneos OLIVARII *ramorum ſaltem umbrâ gaudere ſinatis, voſquè memineritis populos* OLIVARII, *conſequenterquè priſcam illam* Barbariem, *quâ multis abhinc retrò ſeculis malè veſtri majores audierunt, ab orbe veſtrô procul exulare jubeatis.*

Viſam *Britannos* hoſpitibus feros — Horat l. 3. car. Od. 4.
Horatius *ait*, Achron *autem*
*I*nhoſpitales Britannos *appellat*,
Catullus, Horribiles.

Credo enim, quòd iſtis ſimilibuſq; prætermiſsis, quòd inquam OLIVARII, *quâ proſequitur* extraneos *Benignitas, Manſuetudo, Clementia, Benevolentia, ſic veſtros delinivit animos, ut hìc* exoticum *eſſe non ampliùs CAPITALE cum majoribus veſtris arbitremini: Sed reſiduos aliquot ex iis, quibus tàm innumeris ANGLIAM cumulavit* OLIVARIUS, *ab hoſpitibus veſtris fructus pacificè delibari permittatis, quandoquidem populo ſuo* Deus *ipſe jubet, OLIVATIONE peractâ, reliquos* OLIVARUM *fructus* Advenæ *concedendos.* — Acronin Hor: — Deut. 24.

ERRORES

HOcce quid eſt Lector? Liber hic niſi Gramma caninum
Nil habet, ab Româ, Cecropiâ, Solymis.
Et tamen haud uſquam ſignatus arundine noſtrâ
R habet Auſonium, Grajugenum, Hebraïcum.